NOVA
BIBLIOTHECA
LVBECENSIS.





Io. Diet. Winckleri, D.
Hildes. 1754.

VOLVMEN I.

LVBECAE

SVMTV IONAE SCHMIDII

A. MDCCLIII.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

FRIDER. IOACHIM. SCHNOBEL
ad D. Mariae Lub. Archidiac.

IOANNES HAKE
V. D. M. add. Laurentii,

ET

IOANNES DANIEL OVERBECK
Gymnaſ. Lub. Subrect. et Bibl. Publ.
Praef.

Octo fere et viginti elapſi ſunt anni, BENEVOLE LECTOR, ex quo cura et induſtria Triumuirorum eruditiſſiorum ac celeberrimorum, M. HENRICI SCHARBAV, reuerendi apud nos ſacri ordinis grauiſſimi hoc tempore Senioris, M. GERHARDI SAMVELIS A MELLE, V. D. M. nunc agentis inter coelites, et

IOANNIS HENRICI A SEELEN, S. Theol. Lic. et Gymnaſ. Lub. Rectoris meritiſſimi, opus prodire coepit, quum omni doctrinae, tum ſanctiori in primis, promouendae aptiſſimum, quod *Bibliothecam Lubecenſem* inſcribere Viris, quos diximus, praeſtantiſſimis placuit. Hi in eo id egerunt, vt ſiſterent lectoribus commentationes ſelectas, nulla re minus, quam mole ſua, aut quod eruditione carerent, legentibus ingratas, quas partim ipſi pro varia, qua inſtructi eſſent, rerum copia elaborarent, partim aliorum ſtudiis referrent acceptas, earumque faſciculo cuilibet annecterent breuem relationem eorum, quae rei litterariae, in oris praecipue maris Baltici, nouiſſime accidiſſent. Qua in re ita verſati ſunt, vt opinioni, quam tales Viri excitauerant, ſucceſſus omnino reſponderet, ipſique non modo HARENBERGIOS, HOSMANNOS, KOCHIOS, KOHLREIFFIOS, LACKMANNOS, MOELLEROS, RAMBACHIOS, VOGTIOS, WOLFIOS aliosque plures facile in quandam laboris pertraherent ſocietatem, ſed applauſum quoque inſignem eruditiſſimi cuiusque iure ſuo mererentur.

tur *. Quocirca optandum profecto erat, vt operis huius continuatio diuturnior et vrbi nostrae decori fuisset et litteratissimis quibusque vsui et delectationi. Sed accidit, vt eodem anno, quo editorum alter fato nimis maturo rebus eripe-

* Non possumus hic, neque necesse est, omnia eruditorum iudicia de hoc opere referre. Egerunt de illo, vt caeteri taceantur, auctores *der fortgesetzten Sammlung von alten und neuen Theol. Sachen* 1726. p. 644. sq. et p. 780 sq. cum laude. Pagina vero 74 tomi illius, qui annum 1729. continet, opus *vtile* vocatur. His adde *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen* 1724. p. 571. sq. *Niedersächsische neue Zeitungen von gelehrten Sachen* 1730. p. 154. sq. et p. 329. sq. et IAC. FRIDERIC. REIMMANNVM in *Catal. Biblioth. Syst. Crit.* Tom. II. pag. 538. GOTTLIEB STOLLE *eruditas obseruationes* Bibliotheca Lubecensi contineri scribit *in den Anmerkungen über HEVMANNS Viam ad Histor. literar.* p. 1044. IO. IOACHIMVS WEIDENERVS vero, praestantissimus ille quondam Rostochiensium Theologus in *Progr. ad Differt. Inaug. Cel. IO. HENR. a SEELEN* Rost. 1725. 4. p. 25. *Quem*, inquit, *inter eruditos vidimus, cui non ad palatum fuerit recens inchoata Bibliotheca Lubecensis?* Quocum consentit ERN. LEOPOLD. FRID. BEHMIVS in *Seelenianis* p. 273. eandem bibliothecam appellans *opus praestantissimum et communi adplausu exceptum.*

retur humanis, idem opus et commodis doctorum hominum et deliciis opinione citius praecluderetur. Quum enim A. P. C. N. 1725. primum volumen et secundum lucem adspexissent publicam et reliqua deinceps suis quaeque annis essent insecuta, anno 1731. in volumine duodecimo operis totius factus est finis.

Quam nos quidem iacturam vt ex omni parte restituamus, neque opis nostrae neque consilii res est. Id agitamus, vt, si minus aequis passibus sequamur praeclaros illos viros, quod nobis negatum esse, egregie sentimus, nostro tamen modo eaque, qua per vires licebit, cura et contentione vestigia auspicatissime signata legere nitamur. Hoc animo *nouam* aperimus *Bibliothecam Lubecensem*, in qua sustentanda easdem nobis fere leges ponimus, ad quas se iidem illi duces nostri plaudente eruditorum coetu alligarunt. Quam ob causam vix fortasse opus esse videbitur, vt instituti rationem nostri operose denuo exponamus. Sed tamen quia in rebus saltem minoris momenti non-

nonnihil ſeceſſuri ab illis forte ſumus, quale futurum ſit noſtrum inceptum, paucis declarare hoc loco, niſi fallimur, licebit.

Praecipuam dicabimus operam diſciplinae ſanctiori: quocirca, quae huius cultoribus nullo modo vſui eſſe poſſunt, vt, quae ad forum iuridicum aut rem medicam vnice pertinent, fidei qualicunque noſtrae non poterunt committi. Quoniam vero omnis, quae ab homine ſuſcipitur, de diuina re inſtitutio debet a ſacro codice proficiſci et ad eiusdem dirigi normam, eas in primis commentationes et colligere ſtudebimus et elaborare, quae ad interpretanda diuina oracula prae caeteris facient. Nec tamen interpretationes nullas, niſi nouas, par erit in opusculis his noſtris quaeri. Quin veteres ſaepe nouis confirmabimus argumentis, vt appareat, inconſultae conſuetudini, quae tenet hodie nimium multos, dicendi

- - *inſigne, recens, adhuc*
Indictum ore alio *,

 qua-

* HORAT. Lib. III. Od. XXV.

quacunque fieri poſſit ratione, obuiam a nobis iri.

Secundum haec eos cupide venabimur libellos et conſcribere ipſi tentabimus, qui quum illuſtrare quodammodo poſſint, tum confirmare, augere, excutere, principio ſacrorum partem dogmatum, deinde veritatem diuinam contra aduerſarios propugnandam, tum Chriſtianae vitae praecepta, tum res ſingulares, quae, quum vſu eueniant, fit vt diſtrahantur deliberando animi coeleſtia anquirentes afferantque ancipitem curam cogitandi, tum ea denique, quibus obſeruatis integre poſſit quisquam caſteque et prudenter in adminiſtrando ſacro munere verſari. Neque enim partem optamus vllam diſciplinae ſanctioris remanere, quam non ope quadam noſtra et praeſidio qualicunque adiuuemus. Itaque ne hiſtoriam quidem ſacram, nec Iudaicam magis, quam Chriſtianam, ab opere volumus noſtro excluſam. Immo gratiſſimo agnoſcemus animo, ſi qui erunt, vt ſperamus, qui conatibus in hoc ſtudio noſtris ſuc-

ſuccurrant et vel documenta vel commentationes etiam miniſtrent, quibus effici poſſit, vt fatorum notitiae ciuitatis ſacrae aliquid nouae lucis ſplendeat. In primis vehementer gaudebimus, ſi, quae noſtris temporibus in republica Chriſtiana accidunt, quaeque adeo in oris his noſtris eueniunt viciſſitudines ad eandem pertinentes, diligenter a nonnullis annotentur ac beneuole nobiſcum communicentur.

Quum vero ſaeculi huius ea ſit indoles, vt philoſophia plerique admodum delectentur, neque nos quidem adeo ab eo, quod hodie fit, alienos gerimus animos, vt, quae acute ſubtiliterque et ad communem vtilitatem accommodate a quoquam diſputari forte queant, accipere nolimus. Sed tamen ea prae caeteris arridebunt φιλοσοφήματα, quae vel in ſcientia ſanctiori poterunt praeſtare vſum, vel naturalem DEI cognitionem augere et efficere clariorem, vel Chriſtianam religionem aduerſus eorum, quos *Naturaliſtas* et *Deiſtas* vulgo vocant, temerarios inſultus argutasue cavillationes et ingenii calumnias defendere.

 Ac-

Acceptabimus igitur philoſophica: Sed nec minus erudita. Liceat enim, quod nolunt quidam, diſcrimen hoc admittere et extra philoſophiam quaerere multa, quae eruditi notionem hominis ingrediantur. Nam, quum ea excepturi nonnunquam ſimus et pro virili parte explanaturi, quae rerum quarumlibet geſtarum adiuuent memoriam, tum hiſtoriae quoque literariae ſtudium, quod iure hodie vigere pergit, haud parum nobis habebimus commendatum. Nec vero amoeniores delicias Muſae elegantioris omnino ſpernemus. Quin cum voluptate, quotiescunque fieri poterit, exhibebimus, quae non modo ſcientiam vniuerſam eius, quod in omni humanitate pulcrum eſt, (*Aeſtheticam* vulgo vocant) attingant, ſed in exſequendis etiam huius ſcientiae praeceptis quoquo modo verſentur.

Atque ita totum hoc, quidquid eſt, conſilii noſtri perficiemus, vt nec amicitiae demus quidquam, neque odio. Quocirca nec iis paginas denegabimus noſtras, quibus controuerſiae ſerram reciprocare placuerit, modo

modo in eorum ſcriptis modeſtia dominetur et ab omni detrectandi libidine temperantia. Quid enim vel rei ſacrae detrimenti accidere poſſit, vel ciuili, vel literariae, honeſtas lites alendo, nos plane ignorare ingenue fatemur. Sane res plurimae etiamnunc in puteo laterent DEMOCRITI, niſi ab omni tempore licitum fuiſſet diſputare in vtramque partem.

Quidquid vero mittere ad nos placuerit, vltra quatuor, quales volumen hoc complectitur, chartarum plagulas non debet extendi, quoniam bibliotheca noſtra, vti ex ſuperioribus colligere eſt, patebit multis, quorum laboribus nefas foret ab vnius opere ſpatium nimis praecludi. Ad haec eiusmodi prae caeteris ſpecimina expetimus, quae vt a materia et argumento, ita et a ſtili cultu et elegantia ſe commendent. Absque quo ſi fuerit, perpaucos ſibi libellus aliquis lectores poterit, quod delicati eſt ſaeculi noſtri ab aliquo tempore faſtidium, polliceri. Nec vero iniuria ab eruditiſſimis quibusque nunc repudiari intelligimus, quidquid ſordido nimis orationis genere eſt conſcri-

ſcriptum. Nam ſi quid eſt vnquam, quod neruis quaſi ſermonis eaque, quae volumus, perſpicue dicendi facultati officiat parumque conciliet aliorum animos, ſane immunda eſt ac barbara loquendi ſcribendiue ratio. Stili vero elegantiam dicimus latini. Si quid enim alia quacunque lingua exaratum ad nos forte perueniret, illud caeteris, quos collecturi ſumus, libellis vel ob id ipſum non poſſet adiungi. Hoc tamen per ſe manifeſtum eſſe arbitramur, ſi αὐτόγραφα ſint quaedam aut documenta inſigniora cum lectoribus communicanda, iſta in eadem debere lingua eodemque habitu, quo primum ſcripta ſunt, apponi. Omnia autem, quae operi inſeremus, a quibus fuerint auctoribus profecta, eorum nomina indicabimus bona fide et lubentiſſimo animo. Diſſimulabimus vero etiam, vti bonos viros decet, quotiescunque erunt, quibus innoteſcere minus integrum videbitur, modo apud nos, qui ſint, vel literis adiectis vel ſcheda interprete velint profiteri. Neque enim modeſte hoc nos poſtulare iniquum eſſe, plurimae ſunt cauſae, quae nobis perſuadeant. Perue-

nient

nient autem ad nos, quaecunque inserenda transmittentur, si ad eum perferre, qui edendis his nostris fert impensas, bibliopolam Lubecensem tabellarii iubebuntur.

Addi etiam his rebus poterit, si quid fuerit noui, quod eruditorum intersit quam plurimos scire. Neque enim succinctis de eiusmodi rebus relationibus locum omnino negamus. Ne tamen huius generis nimis multa polliceamur, libellorum copia immo operum nos prohibet, qua ad nauseam fere vsque rerum inter eruditos gestarum notitia, maximarum, minimarum, et quae vix interdum ad eruditionem facere videantur, in se quasi ingurgitari quidam queruntur. Itaque orbis etiam arctoi praecipuam in hac re habebimus rationem et si quae aliae sunt regiones ab oculis plerorumque speculatorum rei publicae literariae paullo remotiores. Quam ad rem opportune in primis natura sitam esse Lubecam nostram, hominem esse, qui dubitet, arbitramur neminem.

Quam

Quam frequentes vero bibliothecae huius accessiones futurae sint, quamue rarae, pro certo in praesentia affirmare non possumus. Nec tamen nimis tarde capturam eam esse sua incrementa, vel hoc fidem facit, quod non Lubecae modo degentes eruditissimi nonnulli viri, et in his duo, qui sunt superstites, *Bibliothecae Lubecensis*, quam imitamur, editores supra iam ex merito a nobis laudati, sed alii quoque extra vrbem viuentes nostram, qui ipsorum erga bonas literas amor et in nos fauor est, symbolas promiserunt ad subleuandos conatus nostros beneuole conferendas, immo conferre iam nunc, vti patet, ex parte coeperunt. Quibus vt pro insigni hac beneuolentia et publico et nostro nomine agamus gratias, ius et fas postulant. Hoc videmur saltem posse polliceri, fore, vt elapso quolibet spatio semestri eruditorum conspectui volumen se aliquod nouum huius nostri laboris sistat. Ac quaternis quidem voluminibus facile in vnum com-

pingendis

pingendis vinculum indices addentur necessarii.

Iamque nihil superest, BENEVOLE LECTOR, quam vt in tuum, vt speramus, et rei publicae incrementum literariae rogemus viros quosque doctrina celebres, quos quidem rogamus his verbis et maiorem in modum, qua decet, obseruantia oramus, vt instituto huic nostro fauere et, si qua fieri poterit, ferre suppetias ne dedignentur. Vale. Dabamus Lubecae mense Septembri A. cIↄ IↄCC LII.



CONTINENTVR

Vol. I.



I. P. F.

I.

PAVLI FRIEDERICI OPITII *

S.Theologiae, graecae & or. lingu. quondam Professoris P. O. in academia Kiloniensi

disquisitio exegetico-theologica

DE DEO

LIBEROS ABRAHAMO EX LAPIDIBVS SVSCITANTE

ad locum Matth. III. 1. 2. 5. 6. 7. 8. 9.

Σύνοψις.

* Vitam posuit beatus auctor anno 1747. mense Octobri. Erat is HENRICI OPITII filius, & IOSIAE HENRICI OPITII frater. Nihil de vita & scriptis eius in monumentis GOETTENII RATHLEFII, MOSERI, NEVBAVERI, BARTHOLOMAEI, atque nova *lexici eruditorum* editione literis consignatum reperimus. Dedit tamen catalogum scriptorum a viro beato ad annum vsque 1723. editorum IOHANNES MOLLERVS, in *Cimbria literata*. P. I. p. 471. Quae post illud tempus ab eo elaborata sunt, eorum indicem inposterum huic opusculo inseremus. Caeterum praesens disquisitio, quae & argumenti grauitate & tractationis soliditate & stili elegantia sese commendat, communicata nobiscum est a Viro doctissimo IOHANNE CHRISTOPHORO HENNINGS, Phys. & Metaph. in Academia Kiloniensi Professore P. O. fautore & amico nostro aestumatissimo. Animum induxerat auctor, publico eru-

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Summa Judaeorum tempore Christi malitia. §. I. *Adventus Iohannis Baptistae. Iudaeorum mos imponendi nomina. Johannes Baptistae nomine maxime insignis.* §. III. *Adventus Johannis propius a Matthaeo indicatur,* §. III. *Iohannes praeconem agens. Natiua indoles vocis* κηρύσσειν. *Iudai suos habebant praecones.* §. 4. *Praeconium Iohannis in solitudine Iudaeae, & quaenam illa fuerit. Vox* ἔρημος *non denotat locum hominibus plane vacuum. Mysticae rationes, cur Iohannes praeconem egerit in solitudine.* §. V. *Primum Iohannis praeconium. Vis poenitentiae. R. Elieseris praeclarum effatum. Quid sit* βασιλεία τῶν ὀυρανῶν. §. VI. *Esaiae de Iohanne vaticinium. Herm. Witsii de sensu illius vaticinii opera laudatur. Ritus parandi vias.* §. VII. *Iudaei magno numero ad Iohannem accedentes, & quibus ex locis.* §. VIII. *Omnes in Iordane baptizati. An baptismus proselytorum obtinuerit inter Iudaeos & num baptismus Iohannis idem fuerit cum baptismo Christi. Locus baptismi Iohannei, Iordanes fluuius. Speciatim Bethabara. Nemo a Iohanne*

---

ditorum examini eam subiicere, primamque eius plagulam typis iam exscribi curaverat. Postea vero, nescio quo casu, factum est, vt consilium mutaret, & quo minus tela pertexeretur, impediret.

S.

hanne ad baptismum admittebatur prius, quam publice sua esset peccata confessus. Formula confessionis. §. IX. *Pharisaei & Sadducaei ad Iohannem accedentes. Iohannes admiratione plenus. An isti a Iohanne fuerint baptizati. Iohannes de proposito illorum dubius, vocat eos* γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν *& quare. Christi & legatorum eius praecepta Iudaicis longe sanctiora.* §. X. *Iohannes prodit admirationem suam. Sententia Clerici refutatur, nostraque ab obiectionibus vindicatur. Quid sit:* φυγεῖν τὴν μέλλουσαν ὀργήν. §. XI. *Iohannes ante baptismum de quibusdam adhuc eos admonet. Primum monitum. Quid sit* תשובה גמורה. *Vox* ἄξιος *respondet voci* ראוי §. XII. *Alterum Iohannis monitum.* πρόληψις *qua Iudaeorum obiectioni occurritur, eiusque* ὑποφορά. *Iudaeorum de sua ex Abrahamo origine gloriatio. Verba Herm. Witsii. Promissionis Abrahamo factae, foederisque cum Deo initi formula. Deus memor huius promissionis. Iudaei freti hac promissione.* §. XIII. Ἀνθυποφορὰ *refellens Iudaeorum obiectionem. In hac parte orationis nostra potissimum occupatur opera. Communis hemistichii huius explicatio reiicitur. Literalis sensus praeferendus.* §. XIV. *Ioh. Marckii sententia refutatur.* §. XV. *Historia Iephtae huic loco lucem foeneratur. Multa millia Ephraimitarum ad ripam Iordanis caesa & sepulta. Hi erant veri & genuini Abrahami*

bami filii ex lapidibus facile resuscitandi. Vera Iohannis sententia. Vox ἐγείρειν maximam partem significat resuscitare ex mortuis. §. XVI. *Dubium aliquod aduersus nostram sententiam soluitur. Canones Iudaeorum de mortuorum & sepulcrorum immunditie.* §. XVII. *Conclusio operis & verus verborum Iohannis sensus*

§. I.

Misera erant & perditissima reipublicæ Judaicæ tempora, cum CHristus primum humana vestitus carne inter mortales ageret, assumtisque XII. vitæ laborumque suorum sociis, divinæ præsentiæ suæ radiis omnia collustraret. (a) Quod enim flagitiorum genus excogitari potest, cui non improba gens dedita prorsus, atque immersa fuit? quot non perpetrarunt facinora? quot caedes? quot adulteria? quot rapinas? ut nihil ferè ad summam defuisse malitiam videatur. Tum vere poterat dici, quod de temporibus sui, quem frustra exspectabant, Messiæ, Gemarici referunt Doctores: דור שבן דוד בא בו בית הוועד יהיה לזונות וחכמת הסופרים תסרח ויראי חטא ימאסו ופני הדור כפני כלב והאמת נעדרת: *In illa hominum progenie, qua venturus est Messias, filius Davidis, scholæ vertentur*

tentur in lupanaria, doctorum fœtebit sapientia, ludibrio habebuntur pii, frons sæculi caninam præferet frontem, omnisque veritas exsulabit. (b) His gemina sunt, quæ R. ELIESER, cognomine magnus profert: בעקבות משיחא חוצפא יסגא ויוקר יאמיר הגפן תתן פריה והיין ביוקר והמלכות תהפך למינות ואין תוכחת בית חוועד יהיה לזונית והגליל יחרב והגבלן ישום ואנשי הגבול יסובבו מעיר לעיר ולא יחיננו וחכמות סופרים תסרח ויראו חטא ימאסו והאמת תהא נעדרת נערים פני זקנים ילבינו זקנים יעמדו מפני קטנים בן מנוול אב בת קמה באמה כלה בחמותה אויבי איש אנשי ביתו פני הדור כפני הכלב הבן אינו מתבייש מאביו: *In calcaneis Messiæ (i. e. paulo ante adventum Messiæ) impudentia augebitur, & magna erit annonæ caritas. Vitis proferet fructum suum, & nihilo secius vinum care vendetur. Summum imperium pravis obruetur opinionibus, nullaque locum habebit admonitio. Scholæ convertentur in lupanaria, Galilæa devastabitur, & Gablan ‡ exscindetur, & incolæ terræ oppidatim circuibunt, nec ulla experientur humanitatis officia. Sapientia magistrorum fœtebit, & qui à peccatis sibi cavent, contemtui erunt, & magnus veritatis defectus. Juvenes in ruborem dabunt ora senum, senes coram junioribus stabunt. Filius irritabit patrem, filia insurget adversus*

 matrem,

matrem, nurus adversus socrum, domestici cujusque erunt inimici ejus, frons denique saeculi istius caninam proferet faciem, nec verebitur filius parentem. (c)

(a) vid. Lightfoot Hor. Hebr. & Talm. ad Matth. X. 1. (b) Gemara Babyl. cod. Sanhedrin fol. 97. col. 1. med. (c) Mischna cod. Sota cap. IX. Mischn. 15.

§. II.

In ista sæculi labe atque infamia divina Numinis providentia *παραγινεται venit*, vel, quod ERASMO SCHMIDIO placet, *processit* (a) Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς *Johannes baptista* a munere, quo fungebatur, ita dictus. (b) Erat enim in more positum Judæis, ut magnis præcipuisque in gente sua viris nomina imponerent vel agnomina, à summis, quibus effulgebant, ingenii animique dotibus, vel à natali eorum terra, vel morum integritate, vel dignitate, aut vitæ, quod sequebantur, genere desumta. Doctorem ISSÆUM, filium Jehudæ, in magistrorum laudem pronuntiasse ferunt: ר׳ מאיר חכם וסופר ר׳ יהודה חכם לכשירצה ר׳ טרפון גל של אגוזים׃ ר׳ ישמעאל חנות מזונת׃ ר׳ עקיבא אוצר כלום׃ ר׳ יוחנן בן נורי קופת הרוכלים׃ ר׳ אלעזר בן עזריה קופה של בשמים׃ משנת ר׳ אלעזר בן

בן יעקב קב ונקי. ר' יוסי נמוקו עמו ר' שמעון טוחן הרבה ומוצא קמעא וגו׳

R. Meir sapiens est & legis peritus, R. Jehuda sapiens, quotiescunque ipsi libuerit, R. Tarphon cumulus est nucum, R. Ismael taberna (vino) *semper instructa, R. Akiba, horreum clausum, R. Jochanan, filius Nuri, pyxis aromataria, R. Eliefer, filius Asariæ, capsula aromatum, doctrina Elieferis, filii Jacobi integra est & pura. R. Jose omnium verborum suorum dat rationem. R. Simeon molit multum, & egerit parum* &c. (c) Et quis ignorat, doctorem JOSEPHUM ab acumine ingenii עוקר הרים *evellentem montes*, (d) ANTIGONUM a civitate sua איש סוכו *Sochæum*, (e) R. JEHUDAM à sanctitate vitæ הקדוש *sanctum*, (f) HILLELEM a summa, cui præerat, dignitate, הנשיא *principem*, (g) JOCHANANEM, ab artificio, quod tractabat, הסנדלר *calceorum confectorem*, (h) SIMEONEM, a mercatura, quam exercebat, הפקולי *gossypiarium* fuisse appellatum? (i) Tam illustri ergo baptistæ nomine adeo insignis etiam inter omnes Johannes fuit, ut recte moneat CHRYSOSTOMUS: ὅταν βαπτιστὴν εἴπῃς, πάντες εὐθέως τὸν Ἰωάννην ἐννοοῦσι, quando baptistam nominas, omnes statim Johannem cogitant. (k) Atque hæc ratio permovit JOH. CLERICUM, ut in versione

ſua Gallica verba Ἰωάννης ὁ βαπτιςὴς *Johannes baptiſta*, per *Jean le baptiſeur* potius, quam *Jean le baptiſte* reddere voluerit, *On l'a*, inquiens, *nommé le baptiſeur plûtot, que baptiſte, parce que ce mot eſt un nom propre dans les Langues modernes, au lieu, qu'il eſt ici appellatif, pour ſignifier un homme, qui plongeoit dans l'eau ceux, qui temoignoient reconnoitre ſa miſſion divine, & vouloir changer de vie.* (l)

(a) In not ad h. l. (b) Eraſm. Schmidius ad h. l. (c) Gemara Gittin fol. 67. col. 1. med. (d) Halichoth Olam cap. III. p. 27. (e) Pirke Abhoth cap. 1. 3. (f) Gemara Hieroſ. cod. Megilla fol. 72. col. 2. med. (g) vid. Joh. Chriſtoph. Wolfii Bibl. Hebr. part. II. p. 829. (h) Pirke Abhoth cap. IV. 11. (i) Gemara cod. Berachoth fol. 28. col. 2. fin. (k) Homil. LV. in acta. (l) in Verſione Gallica ad h. l.

§. III.

Sed propius adhuc tempus prodeuntis in publicum Johannis indicans MATTHÆUS, factum hoc eſſe ait ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις *in diebus iſtis*, quibus ſcilicet Chriſtus in Nazareth adhuc commorabatur. Hæc enim arctiſſime cohærent cum præcedentis capitis verbis ultimis, quibus narratur, quod mortuo Herode Joſephus per Angelum in ſomnio admonitus, una cum puero Chriſto & matre

tre ejus, ex Ægypto Nazarethum fuerit reversus. In illis ipsis diebus, *non sane in illis, quando ex Ægypto vocabatur puer JEsus, & Joseph in Nazareth habitatum concedebat*, (verba legis GODOFR. WEGNERI) *sed post viginti & octo fere ab eo tempore annos, cum ministerium suum incboaret Christus, natus annos triginta*. (a) In eandem sententiam CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS: *Intelligenda sunt Matthæi verba non de initio* κατοικισμȣ̃ *Josephi in Nazareth, sed de continuatione ipsius, ita ut hic emergat sensus: Cum Christus adhuc habitaret in Nazareth, advenit Johannes. Habitavit autem ibidem usque ad id tempus, quo ministerium suum incboavit, quod apparet ex nomine* Ναζωραίȣ, *ex ipsius duodecennis reditu in Nazareth, Luc. II. 51. & denique ex eo, quod Matth. III. 13. dicitur, ipsum venisse ex Galilæa, ut à Johanne baptizaretur. Ita & in Vet. Test. phrases* בימים ההם *aut* בימים האלה *latissime sæpius sumuntur*. (b) Consentit JOH. CLERICUS, ad verba ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις *in diebus illis*, ita commentatus: *Non au tems, que Joseph retourna à Nazareth, mais pendant que notre Seigneur y demeuroit encore*. (c)

(a) in Annot. in Matth. ad h. l. (b) in not. Exeget. in Matth. ad h. l. (c) in not. ad Vers. Gall. N. T.

§. IV.

Jam itaque Heros noſter ad maturam virilemque pervenerat aetatem, (a) cum is divino excitatus ſpiritu (b) in publicum prodiret κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰȣδαίας *præconem agens in ſolitudine Judææ.* Vox κηρύσσειν ex nativa indole ſua *præconem agere*, vel, *præconis inſtar aliquid proclamare* ſignat, inque ſacris novi fœderis tabulis, & a LXX Interpretibus de verbi divini præconio potiſſimum uſurpatur. Cum Jonas ad nuntiandum Ninevitis interitum a DEO evocaretur, quæ in Hebræo fonte habentur verba, וקרא עליה *& clama contra eam*, LXX Interpretes reddunt: καὶ κήρυξον ἐν αὐτῇ *& proclama in ea.* (c) cumque Chriſtus duodecim ſibi aſciſceret legatos, qui Iſraelitis lætum afferrent Evangelii nuntium, πορευόμενοι, inquit, κηρύσσετε, λέγοντες ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν ȣρανῶν *euntes proclamate, dicentes, appropinquaſſe regnum cœlorum.* (d) Ut enim Græci quondam atque Romani ſuos habebant præcones, (e) quos inter principem apud Romanos locum obtinebant Fetiales, qui bella fœderaque publice indicebant (f) ſic nec inſolens erat Judæis, ut, ſi quid populo innoteſcere deberet, illud publica elataque præconis voce promulgaretur. Hieroſolymis non procul ab

ab urbe ingentem fuisse lapidem אבן טוען *lapidem errantium* dictum, ex quo, si quid inventum esset aut perditum, publice proclamari debuerit, in GEMARA legimus relatum: תנו רבנן אבן טוען היתה בירושלים כל מי שאבדה לו אבידה נפנה לשם וכל מי שמוצא אבידה נפנה לשם זה עומד ומכריז וזה עומד ונותן סימנין ונוטלה: *Tradunt Doctores nostri, lapis errantium fuit Hierosolymis, quo is, qui aliquid amiserat, se conferebat, & quicunque rem amissam invenerat, eo quoque se conferebat. Alter stabat & proclamabat* (rem, quam amiserat forte vel invenerat), *itemque alter stabat, & signum*, (inventæ vel amissæ rei) *indicabat, suumque auferebat.* (g) Supremus Synedrii consessus fixa stataque habebat tempora, quibus præcones emittebantur, qui de solvendis siclis, evellendisque heterogeneis populum admonebant, docente MISCHNA: באחד באדר משמיעין על השקלים ועל הכלאים: *primo die mensis Adar proclamabatur de siclis* (solvendis) *& heterogeneis* (evellendis). (h) Nec inusitatum erat Synagogarum moderatoribus, ut, si quid fieri vellent a discipulis, illud per præcones publice indicarent. R. GAMALIEL aliquando promulgari curavit, כל ת״ח שאין תוכו כברו אל יכנס לבית המדרש: *Quicunque est ex discipulis sapientum*

tum, cujus intimum non eſt, ſicut extimum (i. e. qui fel tegit in pectore, & mel in ore) *ne ingrediatur ſcholam.* (k) RABBA autem, ſi forte ægrotaret, etiam ſervis ſuis atque domeſticis negotium dabat, ut ſuo nomine proclamarent רבא חלש רבא חלש *Rabba ægrotus eſt, Rabba ægrotus eſt*, ut, qui ſaluti ejus faverent, pro eo apud Deum intercederent, qui vero minus ei cuperent, ſuum inde perciperent gaudium. (l)

(a) vid. Interpp. ad Luc. III. 1. inprimisque Joh. Chriſtoph. Wolfius in Cur. philol. ad h. l. & Herm. Witſius in Miſcell. ſacr. t. II. exercit. XV. §. 34 ſqq. (b) Luc. III. 2. (c) Jon. I. 2. (d) Matth. X. 7. (e) vid. Chriſt. Brunings compend. Antiquitt. Græc. cap. III. §. 5. XVIII. §. 13 ſqq. (f) vid. Joh. Dan. Ritteri diſſertatio de fetialibus populi Romani, Lipſ. edita 1732. (g) Gemara cod. Bava Metzia fol. 28. col. 2. poſt init. (h) cod. Schekalim cap. I. 1. (i) in not. ad h. l. (k) Gemara cod. Berachoth. fol. 28. col. 1. poſt init. (l) ibidem fol. 55. col. 2. poſt med.

§. V.

Ad mandatum itaque divinum, non ſuo inſtinctu, propriove conſilio motuque aut prava inductus ambitione præconem agebat Johannes ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰȣδαίας *in ſolitudine Judææ.* Quænam aut qualis hæc fuerit ſolitudo, non una eademque omnibus eſt ſententia. *Invaluit apud multos,* inquit

quit RELANDUS, *opinio, solitudines Judæ fuisse trans Jordanem, qui & eremum S. Johannis illic collocant.* (a) Sed idem mox regerit: *non nego, imo adstruxi hanc sententiam alibi pluribus, regionem trans Jordanem Ἰȣδαίαν potuisse dici, atque ita nuncupatam à quibusdam fuisse, verum, quando eremus sive solitudo Judæ memoratur, de solitudine cis Jordanem cogitandum est, quæ ibi in sacris literis collocatur, & hoc nomine nota est. Nunquam enim, quod sciam, locus vel regio aliqua Peræa appellatur ἔρημος Ἰȣδα.* (b) Campestria Jordanis, planitiemque Hierichuntis hoc nomine venire, Campegius VITRINGA (c), tractum autem regionis Ziph & Mahon Adamus RECHENBERGIUS tuetur. (d) Quocunque modo res sese habet, non procul abfuisse hanc solitudinem arbitror, a Chebrone, olim Kirjatharbe dicta, (e) quæ patria Johannis vulgo fuisse creditur, (f) civitate Judæis eo potissimum nomine celebrata, quod hominum maxime illustrium quatuor paria in ea fuerint sepulta. Ut enim GEMARA certiores nos facit: אמר ר׳ יצחק קרית ארבע׳ זוגות היו אדם וחוה אברהם ושרה יצחק ורבקה יעקב ולאה׃ *Dicit R. Isaac: vocatur Kirjatharba, quia* (hominum) *quatuor paria* (ibidem) *fuerunt sepulta, Adam & Eva, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lea.* (g) Neque illud

illud conficitur ſtatim, eo quod *ἔρημος ſolitudo* dicatur, locum fuiſſe hominibus plane vacuum, *ἀοίκητον καὶ ἀπάνθρωπον non habitatum, & quo nemo hominum veniret*, ſed minus tantum cultum, aſperum & ſaltuoſum, quo ſenſu etiam Hebræa vox מדבר *ſolitudo* ſæpius accipi conſuevit. (h) Et ſi vel maxime locus fuiſſet minus cultus, aſper & ſaltuoſus, hominibus non habitatus: probe tamen obſervat JOH. LIGHTFOOTUS, *fuiſſe eum miniſterio Johannis, quo tum fungebatur, aptiſſimum, quod ejusmodi via, quæ per ſolitudines ducebat, à numeroſiſſima turba partim inter civitates itinerantium, partim ex aliis tractibus Judææ, itemque ex Ephraimitide in Peræam tendentium, aſſidue terebatur.* (i) Apprime huc faciunt, quæ Raf MATTENA profert in GEMARA: אמר רב מתנא מאי דכתיב וממדבר מתנה אם משים אדם עצמו כמדבר הזה שהכל דשין בו תלמודו מתקיים בידו ואם לאו אין תרמודו מתקיים בידו: *Dicit Raf Mattena, quid ſibi vult, quod ſcriptum eſt* (Num. XXI. 19.) *& ex ſolitudine venerunt in Mattanam?* Reſp. *ſi quis faciat ſemetipſum ſicut ſolitudinem, per quam omnes tranſeunt, doctrina ejus ſtabilis erit in manu ejus, ſi non, doctrina illius in manu ejus haud erit ſtabilis.* (k) Nec ſine arcano Dei conſilio factum eſſe exiſtimem, ut, quemadmodum omnis ſalus ex ſolitudine

dine primum in Iſraelitas redundavit, ſic lætus quoque Evangelii nuntius ex ſolitudine primum ad eos perveniret. Facem hic nobis præferunt autores libri RABBOTH ad verba (Cant. III. 6.) מִי זֹאת עֹלָה מִן־הַמִּדְבָּר *quisnam hic eſt, qui aſcendit ex ſolitudine*, ſequentem in modum commentati: המ״א במדבר הזה יתמו תורה מן המדבר משכן מן המדבר סנהדרין מן המדבר כהונה מן המדבר לויה מן המדבר מלכות מן המדבר שנ׳ ואתם תהיו לי ממלכת כהנים וכל מתנות טובות שנתן הקב״ה לישראל מן המדבר: *Hoc eſt, quod dicitur: in ſolitudine perfecti redditi ſunt* (Iſraelitæ). *Lex* (divina) *originem traxit ex ſolitudine. Tabernaculum* (originem habuit) *ex ſolitudine. Conſeſſus Synedrii* (originem habuit) *ex ſolitudine. Sacerdotium* (originem habuit) *ex ſolitudine. Ordo Leviticus* (originem habuit) *ex ſolitudine. Regia dignitas* (originem habuit) *ex ſolitudine, quemadmodum dicitur* (Exod. XIX. 6.) *& vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & omnia inſignia bona, quæ Deus conceſſit Iſraelitis, ex ſolitudine* (profluxerunt). Plura dabit HERM. WITSIUS, ingens quondam Batavorum ſuorum decus, quem pro ſui felicitate ingenii in myſticas hujus facti rationes diligen-

gentius inquirentem, consulere non pigebit. (m)

(a) vid. ejus Palæst. libr. I. cap. LVI. pag. 376. (b) l. c. (c) in Comment. ad Es. XVI. 1. tom. I. p. 476. & tom II p. 356. (d) in differtt. Acad. p. 185. (e) vid. Relandi Palæst. libr. II. cap. XII. p. 489. (f) vid. Lightf. Hor. Hebr. & Talm. ad Matth. III. 1. & Marc. II. §. 4. conf. Herm. Witsii Miscell. sacr. tom. II. exercit. XV. §. 25. (g) vid. Wagenseilii Sota p. 289. (h) vid. Relandi Palæst. libr. I. cap. LVI. p. 374. (i) Hor. Hebr. & Talm. ad Marc. II. §. 4 (k) cod. Erubhin fol. 54 col. 1. circ. fin. (l) Glossa magna in Cant. p. m 262. col. 2. circ. med. (m) Miscell. sacr. tom. II. exercit. XV. § 37. conf. Lightf. in decad. chorogr. Marco præmissa cap. II. §. 4.

§. VI.

Prima autem divini hujus præconis vox erat: *μετανοεῖτε. ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Quam grata Deo sit pœnitentia, quantaque illius vis sit, non uno in loco monent HEBRÆORUM MAGISTRI, scriptis subinde suis inspergentes: גדולה תשובה שמביאה רפאות לעולם *magna est pœnitentia, quæ mundo sanitatem conciliat,* גדולה תשובה שמקרבת גאולה לעולם *magna est pœnitentia, quæ mundo accelerat redemtionem,* גדולה תשובה שמארכת ימיו ושנותיו של אדם *magna est pœnitentia, quæ vitam annosque*

quæ prolongat hominis, גדולה תשובה שמגעת עד כסא הכבוד *magna est pœnitentia, quæ pertingit ad thronum gloriæ*, גדולה תשובה שזדונות נעשות לו כזכיות *magna est pœnitentia, quoniam peccata proæretica fiunt* (per eam) *quasi essent merita.* (a) Et quid pulchrius, quæso, istis doctoris ELIESERIS verbis, quibus omnes ad pœnitentiam exhortatur: שוב יום אחד לפני מיתתך שאלו תלמידיו וכי אדם יודע איזה יום ימות אל״ וכל שכן ישוב היום שמא ימות למחר ונמצא כל ימיו בתשובה ואף שלמה אמר בחכמתו בכל עת יהיו בגדיך לבנים ושמן על ראשך לא יחסר: *Pœnitentiam age uno die ante, quam moriaris. Sciscitantibus vero discipulis, at, quomodo novit homo, quo die sit moriturus? respondit: quin ergo hodie pœnitentiam agat, quod cras forte ipsi sit moriendum, ut per omnem vitam pœnitens deprehendatur. Hinc etiam Salomo in sapientia sua dicit* (Eccles. IX. 8.) *vestimenta tua omni tempore sint candida, & oleum super capite tuo ne deficiat.* (b) Quo propius itaque Johannes regnum Messiæ instare noverat, eo fortius vehementiusque vitæ urgebat morumque integritatem. Per *βασιλείαν* enim *τῶν οὐρανῶν regnum cœlorum*, nihil signari aliud, quam tempora Messiæ,

 sive

ſive gratioſum illud Meſſiæ regnum, a priſcis vatibus dudum prædictum, (c) ex tota ſermonis ſerie patet. JOH. LIGHTFOOTUS phraſin deſumtam eſſe putat ex Dan. VII. 13. 14. (d) GOTHOFREDUS autem OLEARIUS eam repetit ex Dan. II. 44. (e) Sed quamvis loquendi hæc ratio uſitatiſſima forte fuerit Johannis, &, quod eum antecedebat tempore, ſæpiusque de regno Meſſiæ occurrat in novi fœderis tabulis: (f) vix tamen hoc ſenſu eam inveniri in Judæorum ſcriptis, qui ſequioribus poſt Chriſtum natum ſæculis vixerunt, pro ſuo candore oſtendit CHRIST. SCHÖTTGENIUS, *ingenue*, inquiens, *fateri cogor, me in ſcriptis Judæorum tale quid non multum obſervaſſe, quamvis ad illam phraſin, ubicunque mihi occurrit, animum ſedulo adverterim. Unicus locus mihi occurrit in Targum* Michæ IV. 7. *& revelabitur ipſis regnum cælorum in monte Zion, a nunc & usque in ſæculum.* (g) Eodem jure huc advocaveris CHALDÆUM PARAPHRASTEN ad Eſa. XL. 9. אמרו לקרויא דבית יהודה אתגליאת מלכיתא דאלהכון: *dicite civitatibus domus Jehudæ, regnum Dei veſtri revelatur, & Eſa. LIII.* 11. יחזון במלכות משיחהון *videbunt regnum Meſſiæ ſui*, quæ loca diligentiſſimus harum rerum ſcrutator JOH. LIGHTFOOTUS jam excitavit. (h) Ex varia tamen ſcriptorum Judai-

Judaicorum lectione opportune ſe mihi obtulit illuſtris locus, ab autoribus libri RABBOTH in medium prolatus, quem integrum ut apponam, operæ eſſe pretium videtur: ר׳ ברכיה בשם ר׳ יצחק כתיב ויראני ה׳ ארבעה חרשים ׳ ואלו הן אליהו ומלך המשיח ומלכי צדק ומשוח מלחמה עת הזמיר הגיע זמנן של ישראל להגאל הגיע זמנה של ערלה להזמר הגיע זמנה של מלכות כותים שתכלה הגיע זמנה של מלכות שמים שנתגלה שנ׳ והיה ה׳ למלך על כל הארץ: *R. Berachja nomine R. Iſaac dicit: ſcriptum eſt* (Zach. II. 3.) *& oſtendit mihi Deus quatuor fabros. Iſti ſunt Elias, & rex Meſſias, & Melchiſedecus, & unctus belli* (i. e. Meſſias filius Joſephi). *Porro* (dicitur Cant. II. 12.): *tempus cantillationis* (vel ut alii volunt, tempus amputationis) *appropinquavit*, (cujus loci ſenſus hic eſt) *tempus Iſraelitarum, quo redimendi ſunt, appropinquavit, tempus præputii, ut amputetur*, (i. e. quo præputiatæ gentes amputandæ ſunt) *appropinquavit, tempus Cuthæorum, ut devaſtetur, appropinquavit, tempus regni cœlorum* (appropinquavit) *ut manifeſtetur, quemadmodum dicitur*: (Zach. XIV. 9.) *& Deus rex erit ſuper omni terra*, (i) ubi per tempus regni cœlorum gratioſum illud Meſſiæ regnum, ſeu tempora Meſſiæ intelligi debere, ex addito Zachariæ loco ſole meridiano clarius eluceſcit.

(a) Gemara cod. Joma fol. 86. col. 1. ant. fin. & col. 2. init. (b) Gemara cod. Schabbath fol. 153. col. 1. ant. med. (c) vid. Ef. XXII. 29. XCIII. 1. XVII. 1. Ef. LII. 7. &c. (d) Hor. Hebr. & Talm. ad h. l. (e) in Comment. ad h. l. (f) Lightf. Hor. Hebr. & Talm. ad h. l. §. 1. (g) in differt. de Regno cœlorum Hor. Hebr. & Talm. fubnexa. p. 1147. fqq. (h) Hor. Hebr. & Talm. ad h. l. §. 3. (i) in Gloffa magn. in Cant. p. m. 260. col. 1. poft med.

§. VII.

Non autem præconem tantum agebat Johannes, qui populum magna voce ad pœnitentiam excitabat, moxque fecuturi Meffiæ adventum nuntiabat: fed & muneri huic dudum a Deo fuiffe deftinatum, ex Efaia probat MATTHÆUS nofter, Οὗτος γάρ, inquiens, ἐςιν, ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐȣ τȣ͂ προφήτȣ, λέγοντος· Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίȣ, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβȣς αὐτȣ͂. *Hic enim eft, de quo dictum eft per Efaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deferto: parate viam domino, rectas facite femitas ejus.* Quo fenfu hoc Efaiæ vaticinium ad Johannem referri queat, utrum fimplici, an typico, tam late perfequitur HERMANNUS WITSIUS, (a) ut ferias hic nobis feciffe, nec quicquam addi poffe videatur. Ad ritum autem parandi vias quod attinet, nimiam forte & fupervacaneam infumunt operam, qui verba Efaiæ illuftranda effe

esse putant *ex more Veterum, Regum præcipue Orientis, qui cum aulicis aut exercitu iter facturi, præmittebant apparitores stipatoresque, qui vias adæquarent, & hiatus obstruerent,* (b) quorsum etiam tendit HERMANNUS WITSIUS, in hanc pronuntians sententiam: *Ut populi sæpe jubentur præconis voce, Regibus & Principibus urbem aliquam cum pompa ingressuris, præparare vias, complanare semitas, aspera, sordida, indecora removere: ita præconis vice functus est Johannes, Israelitas, quanta potuit contentione, officii sui commonefaciens, ut advenanti Messiæ vias complanarent, quibus in ædes ipsorum animosque posset illabi, imo & corda per pænitentiam omni illuvie expurgarent, quæ introitum illius vel arcere, vel morari posset.* (c) Quid enim opus est, a peregrinis Orientis Regibus arcessere, quæ ex domestica Hebræorum historia rectius explicari possunt? Non commemorabo fabulam, quam de septem nubibus gloriæ una cum Israelitis in solitudine commeantibus referunt, quarum una trium dierum præcesserit itinere ad deprimendum montes & exaltandum valles: (d) sed quod uno omnes fatentur ore, mature prospiciendum erat synedrio, ut, antequam Pascha incurreret, hiemalibus pluviis corruptæ viæ, fluminumque excursionibus rescissi pontes quotannis reficerentur. Hoc enim nisi esset factum, intercalari an-

 nus,

nus, integerque inter Adar & Nisan inseri mensis debebat. Testem habeo Maimonidem, qui, cum de causis intercalandi annum latius disseruisset, mox subjicit: ויש שם דברים אחרים שהיו. בית דין מעברין בשבילן מפני הצורך ואלו הן מפני הדרכים שאינן מתוקנים ואין העם יכולין לעלות מעברין את השנה עד שיפסקו הגשמים ויתקנו הדרכים ומפני הגשרים שנהרסו ונמצאו הנהרות מפסיקין ומונעין את העם ומסתכנין בעצמן ומתים מעברין את השנה עד שיתקנו הגשרים: Sunt etiam aliæ causæ, propter quas synedrium necessario annum intercalare debuit, cujusmodi sunt viæ nondum reparatæ, ut populus (Hierosolymas) ascendere haud posset, quo in casu intercalabant annum, donec deficerent pluviæ, viæque essent reparatæ. Sic propter resciffos pontes, ut intercedentia flumina non modo arcerent populum, sed & in vitæ adducerent periculum, intercalabant annum, usque dum pontes essent refecti. (e) Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ dicta sunto.

(a) in Miscell sacr. tom. II. exercit. XV. §. 36. (b) vid. Joh. Christoph. VVolffius in Curis philol. ad h. l. (c) l. c. §. LIII. (d) vid. Chald. paraphrasten ad Cant. II, 6. (e) Hilchoth Kiddusch hachodesch, cap. IV. 5.

§. VIII.

§. VIII.

Tam nova re perculsis attonitisque Judæis, *ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ Ἰȣδαία καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τȣ̃ Ἰορδάνȣ egrediebatur ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis circumjacens regio Jordanis.* Non opus est, ut moneamus, hæc omnia *μετωνυμικῶς* esse dicta, cum ea in vulgus nota sint. Opponitur autem *Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ Ἰȣδαία, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τȣ̃ Ἰορδάνȣ Hierosolyma & omnis Judæa, & omnis circumjacens regio Jordanis τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰȣδαίας solitudini Judææ*, ad indicandum, non de universa, qua patet, terra Israelitica, inter duodecim tribus quondam divisa, sed ea tantum parte, quæ solitudini, in qua versabatur Johannes, erat vicina, sermonem hoc loco esse. Hierosolyma enim, ut notum, in confiniis tribus Judæ & Benjamin erat sita, (a) Judæa, quæ ob latitudinem suam, hoc loco dicitur *πᾶσα ἡ Ἰȣδαία omnis Judæa*, a Marco restringitur ad *πᾶσαν τὴν Ἰȣδαίαν χώραν ad omnem regionem Judæam*, (†) quæ non erat nisi regio, solitudini, in qua versabatur Johannes, vicina. Circumjacens autem regio Jordanis non erat tractus totam Judæam circumjacens, sed tractus certus, Hebræis ככר הירדן *planities Jordanis* dictus, ut recte judicat Joh.

CHRIST. WOLFFIUS. (b) Quod si tamen quis eo etiam referre velit oppositam huic tractui regionem trans-jordanicam, is faventem sibi habebit JOH. LIGHTFOOTUM, qui, cum situm Jordanis vicinarumque regionum ad littus procurrentium ex BORCHARDO atque JOSEPHO latius descripsisset, mox subjicit: *docent ista, quæ sit περίχωρος Ἰορδάνε, & adjecta vox πᾶσα ab Evangelista, suadere potest, & ulteriorem ripam comprehendi posse, præsertim vero si perpendatur, quam nihil fere distantiæ fluvius interposuerit. Adeo modicum spatium excepit, ut referant Gemaristæ Hieros. Bava kama fol. 5. 3. incendium in hac ripa accensum, ad alteram transvolasse, & supponunt, aquam ab hac ripa ad illam posse spargi, in cautione ista, Babyl. Jevamoth fol. 116. 2. ne accipiat quisquam aquas purificationis & cineres purificationis, & transvehat trans Jordanem. Nec stet in hac ripa, & spargat in aliam. Utcumque: non ea latitudine fuit fluvius, quin quod duo ex adversis ripis stantes, potuerint se invicem intueri, aliquid ab hac ad illam trajicere, imo & confabulari: & tum cogitandum, an non & ulterioris ripæ incolæ etiam ad Baptistam confluxerint, tam prope eum existentes, & quasi intra onspectum.* (c)

(a) vid. Relandi Antiquitt. sacr. part. I. cap. II. §. 4. (†) cap. I. 5. (b) vid. Tab. Geograph. (c) vid. Hor. Hebr. & Talm. in decade chorogr. Marco præmissa cap. II. §. 6.

§. IX.

§. IX.

Confluebat itaque ad eum omnis ex omni vicinia populus, *καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ὑπ᾽ αὐτοῦ & baptizabantur ab eo in Jordane.* Non immorabimur controverſiæ diu multumque inter noſtri aliorumque cœtuum Theologos agitatæ, *an baptiſmus Proſelytorum obtinuerit quondam in gente Ebræa*, quod ab utraque parte acriter diſputatur, (a) neque illud excutiendum nobis ſumemus, *an baptiſmus Johannis idem fuerit cum baptiſmo Chriſti*, quod magno conſenſu a plerisque propugnari videmus. (b) Hoc utique certum eſt, viguiſſe jam olim quendam inter Judæos baptiſmum proſelytorum. Quo vero tempore, & a quo primum ſit inſtitutus, noſtrum non eſt definire. *Quod ſi conjecturis locus relinquatur*, inquit celeberrimus Joh. Franc. Buddeus, *haud procul forte a ſcopo aberrabunt, qui a Phariſæis hunc ritum abluendi vel baptizandi proſelytos introductum exiſtimant. Certe eos rituum & cerimoniarum, cumprimis lotionum ſeu baptismorum ſtudioſiſſimos fuiſſe, non minori etiam cupiditate preſelytos faciendi flagraſſe, ex Matth. XXIII. 15. 25. itemque Luc. XI. 30. 40. conſtat.* (c) Baptizabantur autem omnes, qui ad Johannem accedebant, *ἐν τῷ Ἰορδάνῃ in Jordane*, celebratiſſimo illo totius terræ fluvio, qui ex lacu Phiala prorumpens, in lacum

cum Samochinitidis excurrit, indeque in lacum Tiberiadis effunditur, & longo tandem tractu in lacum Asphaltitis se evolvit. (d) Sed propius adhuc locum nobis designat Evangelista JOHANNES, qui lotionem hanc sacram a baptista primum susceptam esse ait, *ἐν Βηθαβαρᾶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου in Bethabara trans Jordanem.* (e) Hic ipse erat locus, quo Judæi legatos mittebant ad Johannem, qui sciscitarentur, quare hanc baptizandi licentiam sibi sumeret, cum neque Christus esset, neque Elias, neque Propheta? (f) Hic ipse erat locus, ubi Christus ex Galilæa veniens, uno fere eodemque cum adventantibus Judæis tempore baptismum recipiebat. (g) Huc idem se conferebat, cum in Encæniorum festo violentas Judæorum effugeret manus. (h) Sed tamen nemo a Johanne ad baptismum admittebatur prius, quam publice sua esset peccata confessus, vel, ut MATTHÆUS loquitur, *ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν publice confitentes peccata sua.* Ejusmodi enim confessio ab hominibus, ad *βαπτισμὸν τῆς μετανοίας baptismum pœnitentiæ* accedentibus exigebatur, solemnique hac atque recepta absolvebatur formula: אנא השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך ועשיתי כך וכך והרי נחמתי ובושתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר הזה: *Obsecro, o Deus, peccavi ego, per-*

perverse egi, deliqui coram te, hoc & istud peccatum admisi, jam vero pœnitet me facti, & admissorum meorum pudet, nec unquam ad pristinos mores revertar. (i) Hac utebatur etiam Pontifex M. in summo expiationis die, primum pro se & domo sua, deinde pro universa domo Aharonitica, tandemque pro universo populo admissorum veniam quæsiturus, (k) qua de re alio in loco professa nos agere opera, haud inviti meminimus. (l)

(a) vid. Joh. Franc. Buddeus Instit. Theol. dogm. libr. I. cap. I. §. 2. not. (b) ibid. (c) vid. id. libr. V. cap. I. §. 2. not. (d) vid. Tabb. Geogr. inprimis Relandi. (e) Joh. I. 28. (f) ib. v. 19. seqq. (g) vid. Matth. III. 13. Marc. I. 9. 11. Luc. III. 21. (h) vid. Joh. X. 22. (i) vid. Maimonides Hilchoth Teschuba cap. I. 1. (i) ib. (k) Maim. Hilchoth Jom haccippurim cap. IV. §. 1. (l) singulari programm. de Christo Apostolo & Pontifice Confessionis nostræ ad Hebr. III. 1.

§. X.

Hæc inter attollens oculos Johannes, vidit, πολλὰς τῶν Φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ *multos Pharisæorum ad suum baptismum venientes.* Erat hoc genus hominum vafrum admodum atque versutum, ex fraudibus atque fallaciis totum fere compositum, externam plerumque pietatis sanctitatisque præferens speciem, intus vero & in pectore virus tegens

&

& atram bilem. (a) Quo novo ſpectaculo commotus, vixque oculis ſuis fidem habens, quod tantæ malitiæ homines ad ſuum quoque baptiſmum accederent, in ſummam abripiebatur admirationem. Sunt, qui Phariſæos & Sadducæos a Johanne non baptizatos exiſtimant, novamque vocibus *ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ venientes ad baptiſmum ſuum* explicationem affingentes, particulam *ἐπὶ* per *contra* efferunt, hoc forte ſenſu: *videns vero Johannes, ut baptiſmo ſuo ſe opponerent, accedentes Phariſæos & Sadducæos:* (b) quam ſententiam GOTHOFR. inprimis OLEARIUS (c) ornandam ſibi ſumſit. Sed recte obſervat JOH. CHRISTOPH. WOLFFIUS, *manifeſtum ſatis eſſe tum ex vi phraſeos Græcæ communiori, tum ex contextus ſerie, tum ex parallelismo Lucæ rectius communem interpretationem teneri.* (d) In iſta itaque admiratione dubius hærens atque incertus, quo animo accederent, appellat eos *γεννήματα ἐχιδνῶν progenies viperarum*, ſerpentes ex ſerpentibus natos, quos Græci dicerent, *κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν mali corvi malum ovum.* (e) Neque enim præclare de iis ſentire poterat, qui ita a majoribus ſuis erant edocti: כל תלמיד חכם שאינו נוקם ונוטר כנחש אינו תלמיד חכם: *Non eſt diſcipulus ſapientis, qui non vindictæ eſt cupidus, iramque ſervat inſtar ſerpentis.* (f) His arti-

artibus imbuebantur a teneris inde unguiculis, his inhærebant adultiores facti, in his consenescebant, easque per omnem vitam ad usum transferebant. Testis est R. ELIESER, cujus præclarum in PIRKE AVOTH habetur monitum הוי מתחמם כנגד אורן של חכמים והוי זהור בגחלתן שלא תכוה שנשיכתן נשיכת שועל ועקיצתן עקיצת עקרב ולחי שתן לחישת שרף ואף כל דבריהם כגחלי אש: *Incalescas ad ignem sapientum, sed caveas tibi ab illorum prunis, ne aduraris. Nam morsus illorum est morsus vulpis, compunctio illorum compunctio scorpii, sibilusque eorum igniti serpentis sibilus. Quin imo omnia verba illorum sunt quasi carbones ignis.* (g) Sed quomodo his conveniat cum disciplina Christi & legatorum ejus, qui multo nos sanctioribus præceptis instruunt, *ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς amate inimicos vestros, bene precamini iis, qui vobis imprecantur, benefacite vestris malevolis, orate pro lædentibus, vosque insectantibus*, (h) ipsi viderint.

(a) vid. Matth. XXIII. 27. (b) vid. Joh. Christoph. Wolffii Cur. philol. ad h. l. (c) in Observatt. in Matth. ad h. l. (d) in Cur. philol. ad h. l. (e) vid. Grotius ad h. l. (f) Gemara cod. Joma fol. 23. col. 1. (g) cap. II. 10. (h) vid. Matth. V. 44.

§. XI.

§. XI.

Adhuc itaque plenus admiratione & de proposito illorum incertus in has tandem erupit voces, *τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; quis vobis præmonstravit effugere futuram iram?* Singularis est viri clariss. Joh. Clerici sententia, qui verba hæc non admirantis esse, sed negantis propugnandum sibi sumsit, *c'est a dire*, inquiens, *personne ne vous a dit, qu'en recevant mon baptême, & en temoignant en general, que vous vous repentez de vos peches, sans changer d'ailleurs de vie, vous eviterez des peines, que Dieu va faire souffrir aux impenitens, en entrant en son regne. Ce n'est point là ma doctrine. Dans toutes les Langues une interrogation a souvent la force d'une negation. Voyez ci-dessus* Chap. II. 6. (a) Verum hæc expositio præcepta tantum opinione nititur, quod Pharisæi & Sadducæi, ad Johannis baptismum accedentes, perditissimi fuerint, & desperatæ malitiæ homines, qui rei novitate potius, quam baptismum recipiendi studio adducti, aut, ut baptismo ejus se opponerent, ad ipsum accessissent, qua de re antea a nobis fuit actum. (b) Nec obstat, quod eos vocaret *γεννήματα ἐχιδνῶν progenies viperarum*, ex quo colligi forte posset, non sincero eos, sed ficto simulatoque accessisse animo, quod aliqui etiam ex priscis Ecclesiæ doctoribus inde

inde elicere cupiverunt. (c) Nihil enim exinde conficitur aliud, quam quod ob summam pervulgatamque id generis hominum malitiam sublestæ fidei eos suspectos habuerit, de quo tamen certus esse haud poterat, cui intimos pectoris illorum recessus inspicere haud erat datum. Per μέλλουσαν autem ὀργὴν *futuram iram*, non solum æternos cruciatus, impiis aliquando exspectandos, sed & instans intelligo Hierosolymæ totiusque gentis excidium, quod jam imminere ait, posita ad radicem arborum securi, (d) verba autem φυγεῖν τὴν μέλλουσαν ὀργὴν *futuram iram*, per rationem effugiendi futuram iram, efferenda puto. Est enim Infinitivus loco Nominativi positus, & geratim indicat rationem, qua ipsi & alii scelerum flagitiorumque socii effugere possent instantem iram. Nullum enim aliud avertendi iram divinam suppetebat remedium, quam si omnes a pristinis recederent moribus, & sacris Jordanis abluti undis, a peccatorum sordibus repurgarentur.

(a) in not. ad Vers. Gall. N. T. in h. l. (b) vid. præc. §. (c) vid. Gothofr. Wegneri Annott. in h. l. it. Erasmi Schmidii not. in h. l. (d) vid. v. 19.

§. XII.

Quocunque itaque accesserant animo, Johannes de quibusdam adhuc, antequam

eos

eos ad baptiſmum admitteret, admonendos putavit. Primum erat, ne ore tantum confiterentur peccata, ſed & verum vitam emendandi afferrent propoſitum, ipſoque opere vitam emendarent, *ποιήσατε ὖν*, inquiens, *καρπὺς ἀξίυς τῆς μετανοίας facite itaque fructus pœnitentia dignos.* Ut enim præclare GEMARICI DOCTORES: אדם שיש בידו עבירה ומתודה ואינו חוזר בה למה הוא דומה לאדם שתופס שרץ שאפילו טובל בכל מימות שבעולם לא עלתה לו טבילה זרקו מידו מיד עלתה לו טבילה שנא׳ ומודה ועזב ירוחם ואומר נשא לבבנו אל כפים אל אל בשמים׃ *Si quis peccatum admiſit, illudque confitetur, neque tamen ab eo deſiſtit, cuinam is ſimilis eſt?* (Similis eſt) *homini, qui reptile tenet manu ſua. Etiamſi is lavet ſe omnibus aquis totius mundi, nihil hoc ipſi prodeſt. Quod ſi autem illud abjiciat e manu ſua, ſtatim lotio ipſi proficua eſt, quemadmodum dicitur* (Prov. XXVIII. 13.): *qui fatetur* (peccata ſua) *eaque deſerit, miſericordiam conſequetur,* it. (Thren. III. 41.) *Tollamus cor noſtrum cum manibus ad Deum, qui eſt in cælis.* (a) His conſonat magnus ille non rituum modo, ſed & morum in vita doctor MAIMONIDES: כל המתודה בדברים ולא גמר בלבו לעזוב הרי זה דומה לטובל ושרץ בידו שאין הטבילה מועלת לו עד שישליך השרץ׃

Qui

Qui verbis tantum confitetur, nec firmum in pectore habet propositum pristinos mores corrigendi, similis est ei, qui sordes corporis abluens, reptile manu tenet, cui nihil prodest ablutio, donec reptile tandem abjecerit. (b) Et hæc demum est illa pœnitentia, quam תשובה גמורה· *plenam perfectamque pœnitentiam* Hebræorum magistri vocant, cujus pleniorem descriptionem nobis exhibet modo excitatus MAIMONIDES: אי זו היא תשובה גמורה זה שבא בירו דבר שיעבר בו ואפשר בירו לעשותו ופירש ולא עשה מפני התשובה לא מיראה ולא מכשלון כח כיצד הרי שבא על אשה בעבירה ולאחר זמן נתייחד עמה והוא עומד באהבתו בה ובכח גופו ובמדינה שעבר בה ופירש ולא עבר זהו בעל תשובה גמורה׃ *Quænam perfecta est pœnitentia? Si cui occasio fuerit oblata perpetrandi iterum, quod olim forte admisit, isque facultatem etiam habeat, idem exsequendi scelus, & nihilosecius abstineat, neque illud ob factam pœnitentiam perficiat, non ex timore, aut imbecillitate virium, ut, si quis e. g. cum muliere illicite rem habuerit, & post aliquod temporis spatium cum ea sit solus, & in amore suo constanter perseveret* (i. e. amore erga illam adhuc flagret) *viresque habeat integras, eodemque in loco, ubi antea deliquerat, commoretur, & nihilosecius abstineat, nec in peccata proruat, is demum per-*

 fectam

fectam egisse pœnitentiam dici potest. (c) Cæterum vocem ἄξιος *dignus*, respondere putem Hebrææ voci ראוי *dignus*, *conveniens*, ut ποιεῖν καρπὸς ἀξίυς τῆς μετανοίας *facere fructus pœnitentia dignos*, idem sit, quod, *facere fructus, qui pœnitentiæ conveniunt*, i. e. opera, qualia decet ab animo pœnitente proficisci, (d) quamvis RAPHELIUS (e) & HOMBERGIUS (f) existiment, hanc significationem ex media Græcia esse petitam, nec profanis autoribus quondam fuisse inusitatam. (g)

(a) vid. cod. Tannith. fol. 16. col. 1. ant. fin. (b) Hilchoth Teschuba cap. II. §. 3. (c) ibid. §. 3. (d) vid. Wolffius Cur. philol. ad h. l. (e) in not. Polybian. p. 27. (f) in parergis sacr. p. 9. seqq. (g) vid. iterum Wolffius in cur. philol. ad h. l.

§. XIII.

Alterum, de quo admonendos eos censebat, in eo erat positum, ut abjicerent nimiam, quam in autorem generis sui Abrahamum locaverant fiduciam. Quandoquidem enim τῆς μελλέσης ὀργῆς *futuræ* sive *instantis iræ* injecerat mentionem, quam sibi suisque ob promissionem Abrahamo factam pertimescendam non putabant, per πρόληψιν, sua constantem ὑποφορᾷ & ἀνθυποφορᾷ tacitæ huic objectioni occurrit. Ὑποφορὰ his continetur verbis; καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν

ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ *& nolite cogitare intra vos, patrem habemus Abrahamum.* Dici profecto non potest, quanta eorum de sua ex Abrahami origine fuerit gloriatio. Quid crebrius in ore illorum, quam ut dicerent, πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραὰμ *patrem habemus Abrahamum* (a) σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμέν *semen Abrahæ sumus*, (b) ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι *pater noster Abraham est?* (c) qua velut præcipua quadam gentis suæ gloria adeo nitebantur, ut divina sese excidere gratia, funditusque deleri haud posse, certissime essent persuasi. Apponam majoris illustrationis gratia, quæ huc faciunt, Hermanni Witsii verba: *Admodum superbiebant Judæi sua ex Abrahamo origine, Joh. VIII. 33. quam sibi non modo in hoc sæculo gloriosam, sed & in futuro, & ad æternam salutem profuturam arbitrabantur. Existimabant, Israelitas rejici non posse; jactabant, cuivis Israelitæ partem futuram esse in futuro sæculo. Idque tribuebant non solum promissioni Dei Abrahamo factæ, sed & ipsius Abrahami merito:* (d) Promissionem autem Abrahamo factam, totiusque fœderis, quod ipsi cum Deo intercesserat, formulam, conceptis verbis pandit nobis divinus scriptor Moses:

וַהֲקִמֹתִי אֶת־בְּרִיתִי בֵּינִי וּבֵינֶךָ וּבֵין זַרְעֲךָ אַחֲרֶיךָ לְדֹרֹתָם לִבְרִית עוֹלָם לִהְיוֹת לְךָ

לְךָ לֵאלֹהִים וּלְזַרְעֲךָ אַחֲרֶיךָ׃ וְנָתַתִּי לְךָ
וּלְזַרְעֲךָ אַחֲרֶיךָ אֵת אֶרֶץ מְגֻרֶיךָ אֵת כָּל־
אֶרֶץ כְּנַעַן לַאֲחֻזַּת עוֹלָם וְהָיִיתִי לָהֶם
לֵאלֹהִים׃ *& confirmabo fœdus meum inter me & inter te, interque ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim tibi Deus & ſemini tuo poſt te. Et dabo tibi & ſemini tuo poſt te terram, cujus tu peregrinus es, videlicet totam terram Canaan in poſſeſſionem ſempiternam, eroque illis Deus.* (e) Hujus promiſſionis memor pro ſua in hunc populum gratia benigniſſimus Deus, excitabat iis Moſen, qui eos ex captivitate educeret Ægyptiaca, (f) hujus promiſſionis ſpe freti, ſolabantur ſe invicem in omnibus ærumnis atque calamitatibus, (g) hac ſeſe lactabant in captivitatem abrepti babylonicam, (h) hac denique in hunc usque nituntur diem, quotidie ingementes: אבל אנחנו עמך בני בריתך בני אברהם אוהביך שנשבעת לו בהר המוריה זרע יצחק יחידו שנעקד על גבי המזבח ערת יעקב בנך בכורך שמאהבתך שאהבת אותו ומשמחתך ששמחת בו קראת את שמו ישראל וישורון׃ *Verumtamen nos populus tuus ſumus, filii fœderis tui, filii Abrahami, dilecti tui, cui juramento te obſtrinxiſti in monte Morijah, ſemen Iſaaci, unigeniti illius filii, qui ligatus fuit ſuper altari, cœtus Jacobi, filii tui primogeniti*

geniti, quem ob amorem, quo prosecutus es eum & propter gaudium quo oblectatus in eo fuisti, Israelem vocasti & Jeschurun. (i)

(a) Luc. III. 8. (b) Joh. VIII. 33. (c) ibid. vers. 39. (d) in Miscell. sacr. tom. II. exercit. XV. §. 57. (e) Genes. XVII. 7. (f) Exod. II. 24. III. 15. (g) vid. Ps. CV. 8. CVI. 45. CXI. 5. (h) Nehem. IX. 8. (i) vid. libri precum & Anton. Margarithæ gantzer Jüdischer Glaube, p. m. 153. edit. Christ. Reineccii. Lips. 1705. 8vo.

§. XIV.

Neque tamen irritam fore promissionem Dei, Abrahamo posterisque ejus factam, sed firmam mansuram atque integram, ipse Johannes innuere videtur, per Ἀνθυποφορὰν statim subjiciens: λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ. *dico enim vobis, quod possit etiam Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahamo.* In hac vero orationis parte cum nostra potissimum occupetur industria, nec, quæ ad eam explicandam Interpretes afferunt, ita sint comparata, ut tuto in iis acquiescere liceat, videbimus, an non ex historia aliquam ei lucem affundere queamus. Communis sententia eo tandem redit, hanc esse divini præconis mentem: *Si vel isti, qui tum aderant, vel quotquot ex universa gente erant superstites, omnes perirent, posse tamen Deum pro sua & nullis circumscripta limitibus,*

potentia, ex duris etiam lapidibus novos formare homines, qui propter fidem Abrahami filii ejus dici queant, vel, ut plenius hæc effert Joh. Clericus: *Il est vrai, que Dieu a fait de grandes promesses à la posterité d'Abraham, mais si vous vous en rendez toûjours indignes, il tireroit plûtot des rochers, que vous voyez, de nouveaux hommes, qu'il nommeroit les descendans d'Abraham, pour faire du bien à ceux, qui porteroient ce nom, que de continuer de repandre ses bienfaits sur un peuple, aussi mechant que vous.* (a) Sed, quomodo hæc responsio Johannis sufficere potuisset Judæis, qui se veros & genuinos Abrahami filios, ex corpore ejus & sanguine prognatos gloriabantur, si, quod res est, fateri mihi liceat, nondum perspicio. Quod si enim vel infiniti ex lapidibus procrearentur liberi, quid facere illud poterat ad tollendam vel minuendam Judæorum, quam de patre suo Abrahamo habebant, fiduciam. Illud mihi quilibet facile dabit, si literalis servari sensus queat, & commoda inveniri interpretatio, quæ suscitandos ex lapidibus liberos etiam veros esse & genuinos Abrahami liberos, ex corpore ejus & sanguine prognatos, haud difficulter ostendat, istam reliquis omnibus esse præferendam.

(a) in not. ad Versionem Gallicam N. T. in h. l.

§. XV.

§. XV.

Quod cum animo volveret Joh. Marckius, omnem, quod ajunt, lapidem movit, ut servato literali sensu, ex memoratis a Johanne lapidibus liberos exsculperet, qui ex corpore Abrahami & sanguine sint prognati. Rejectis itaque aliorum opinionibus, quas longo ordine recenset, *dudum est*, inquit, *quod cogitavi, omnibus his subtilitatibus neutiquam opus esse, quæ ex mero oriuntur præjudicio de immediata lapidum in Abrahamidas conversione, quæ tamen in verbis Johanneis neutiquam deprehenditur, nec ad ejus scopum necessaria est. Itaque sicut omnis homo ex terra dicitur oriri, nasci & nutriri, quæ tamen non immediate in hominem mutatur, sed varias alias mutationes prius subit, & sicut posteri ex majoribus suis excitantur, sed per multas occultas & inpervestigabiles substantiæ illorum corporeæ conversiones, ita etiam ex lapidibus ego puto dici tum excitari filios Abrahami, quando lapidum vilis, dura, & ad nutrimentum naturaliter prorsus inepta substantia cedit loco mollium & aptiorum terræ partium & frugum in nutrimentum etiam semineum Abrahamidarum, qui hinc alios etiam gignant filios ex illa jam in se mutata lapidum substantia. Quod uti nequit negari, omnipotentiæ Dei absolutæ prorsus esse decens objectum, dum ab ipsius cooperatione pendet omnis vis creaturarum nutriens*

& fertilitatem addens: ita deprimere debet ortos ex Abrahamo filios, tanquam quorum sic manet origo ex terra non tantum, sed ex lapidibus ipsis contemtissimis & ineptissimis Deo volente derivari posset. (a) Atque in hac sententia mirum in modum sibi placet vir eruditissimus, statim subjiciens: *atque hanc solvendi dubii omnis viam gaudeo me deinde reperisse ab aliis quoque notatam tum Pontificiis, tum Protestantibus,* (b) tandemque totam tractationem suam his claudit verbis: *Ad quæ verbum nunc amplius nullum addam, adstructo sic, ut puto, satis literali dicti Johannis sensu, eoque a difficultatibus omnibus simul vindicato.* (c) Sed, ut ingenue dicam, quod sentio, ex omnibus, quæ prostant, opinionum varietatibus nullam adhuc invenio, quæ minori se probabilitatis specie mihi commendet. Ut enim antea monui, ea verborum Johannis erat sententia: *Si vel omnes, qui tum erant superstites, perirent, posse nihilosecius Deum ex duris, qui in conspectu erant, lapidibus, novam suscitare sobolem Abrahamo, ut salva maneat Dei promissio, nec Abrahamo unquam liberi sint defuturi.* (d) Prius ergo omnes perirent necessum foret, quam nova Abrahamo soboles ex lapidibus suscitaretur. At si periissent omnes, quomodo, quæso, lapides in mortuorum hominum cedere nutrimentum possent, ut ex iis novi procreari possent liberi, veri Abrahami liberi futuri? aut,

aut, ſi hæc mens eſt clariſſimi viri, quod, antequam funditus delerentur, lapides iis in nutrimentum ſint ceſſuri, ex quibus in ſuccum ſanguinemque verſis novi oriundi eſſent liberi, quænam lapidibus in alimentum aſſumtis peculiaris ineſſet virtus, ut, qui ex iis naſcerentur liberi, meliorem induerent naturam, quam qui ex cibis quibusvis aliis forent procreandi? Quocunque ſe vertet vir eruditiſſimus, nihil habebit, quo iſtam tam operoſe excogitatam ſententiam tueatur.

(a) In exercitt. textual. N. T. p 588. (b) ibid. (c) ibid. p. 589. (d) vid. §. XIII.

§. XVI.

Verum quid opus eſt, recenſendis aut refellendis aliorum ſententiis, longius plerumque petitis, & a mente Johannis quam maxime alienis, diutius immorari? Tentabimus vires noſtras, an non alia forte via rem expedire, commodumque verbis Johanneis ſenſum conciliare valeamus. Vocabimus in ſubſidium fortiſſimi inter Iſraelitas herois Jephtæ hiſtoriam, quam ad illuſtrationem commatis noſtri plurimum, facere putamus. (a) Vicerat is ingenti prælio Ammonitas, Gileaditis i. e. tribui Gad, Ruben, & dimidiæ tribui Manaſ-

ſis, bellum inferentes, ut eas ſedibus ſuis expellerent, recuperarentque terram, quam ad ſe ſuosque olim pertinuiſſe arbitrabantur. (c) Id factum indigne ferentes Ephraimitæ, quod non ad bellum ſimul a Jeptha evocati, in ſocietatem reportatæ ab Ammonitis victoriæ veniſſent, domo profecti, tranſierunt Jordanem, ut cum Jephta, in Mitzpa habitante, expoſtularent, eumque cum univerſa familia a ſtirpe delerent. (d) Is vero convocatis omnibus Gileaditis, inque prælium exire juſſis, occurrit iis obviam, magnaque & ipſos clade affecit. (e) Cum itaque, qui ex acie effugerant, ſeſe reciperent ad

מַעְבְּרוֹת הַיַּרְדֵּן *tranſitus Jordanis*, a Gileaditis jam occupatos, quos inter etiam erat Bethabara, ubi Johannes baptiſmum adminiſtrabat, ut transmiſſo Jordane ad ſuos reverterentur, pronuntiare jubebantur vocem Schibboleth, quam qui blæſa efferebant lingua, Sibboleth dicentes pro Schibboleth, ad ripam Jordanis omnes trucidabantur. (f) Multa ergo Ephraimitarum millia a tot inde ſæculis ſub lapidibus iſtis jacuiſſe ſepulta neceſſum eſt. Cecidiſſe enim tum temporis tam eorum, qui in prælio occubuerant, quam qui ad ripam fuerant cæſi, quadraginta & duo millia feruntur. (g) Hi omnes veri erant

&

& genuini Abrahami filii, per Josephum, Jacobum & Isaacum, eorumque posteros ex sanguine ejus prognati. Hos facile ex lapidibus istis, sub quibus reconditi jacebant, revocare in vitam poterat Deus, qui omnes aliquando homines, quotquot vixerunt, vivunt, & victuri sunt, in vitam revocabit. Atque id sibi voluit Johannes, quando Deum posse ait etiam ex lapidibus istis suscitare liberos Abrahamo. Hæc genuina vis est vocis ἐγείρειν *suscitare*, quæ licet in sacris nonnunquam etiam alio accipiatur sensu, quem plerique Interpretes sunt secuti, (h) maximam tamen partem *resuscitationem ex mortuis*, vel *mortuorum in vitam revocationem involvit.* (i) Quod si enim Johannes id dicere voluisset, quod lapides in liberos essent transformandi, adhibuisset potius vocem ποιεῖν *facere*, κτίζειν *condere*, πλάσσειν *formare*, quam vocem ἐγείρειν *suscitare*, quæ non *creationem* quandam, aut *formationem*, sed *mortuorum resuscitationem* plerumque, ut diximus, infert. Quid? quod Johanni hac vice cum Pharisæis potissimum & Sadducæis res esset, quorum illi vitam post hanc vitam dari, præmiaque & pœnas piis & impiis servatas esse, facile admittebant, (k) hi vero nihil eorum credentes, de gravissimis his fidei capitibus ante baptismum rectius erant instruendi?

(a) vid. Jud. cap. XI. & XII. (b) Jud. XI. 26. (c) Jud. XI. 13. (d) Jud. XII. conf. Poli Synopſ. ad h. l. (e) Jud. XII. 4. (f) Jud. XII. 5. (g) Jud. XII. 6 (h) vid. Wolffii Curæ philol. ad Joh. II. 19. (i) vid. Matth. X. 8. XI. 5. XIV. 2. XVI. 21. XVII. 23. XXVI. 32. XXVII. 52. 63. 64. &c. (k) vid. Actor. XXIII. 8.

§. XVII.

Unicum tamen noſtræ adhuc ſententiæ obverti poſſe dubium videmus, quomodo Johannes inter tot hominum occiſorum millia cavere ſibi potuerit, quo minus *immunditie mortuorum*, quam טומאת המת vocant, vel *immunditie ſepulchrorum* טומאת הקבר dicta, pollueretur. Sed facilis erit reſponſio, modo CANONES Judæorum, qui de mortuorum & ſepulchrorum immunditie agunt, nobis in animum revocemus. Primum enim cadaver aut putredo hominis mortui non immundabat, niſi homo jaceret nudus & integer in arca marmorea aut vitrea: אין רקב המת מטמא עד שיקבר ערום בארון של שיש או של זכוכית וכיוצא בהן ויהיה כולו שלם. חסר ממנו אבר או

או שנקבר בכסותו או בארון של עץ או של מתכת אין רקבו טמא מפני שרקב הכסות או רקב העץ או חלודת המתכת תתערב ברקב גוייתו: *Putredo hominis mortui non polluit, nisi sepultus fuerit nudus in arca marmorea aut vitrea, aut simili aliqua, & homo totus adhuc sit integer. Quod si deficiat ipsi aut membrum aliquod, aut, si sepultus fuerit in vestibus suis, aut in arca lignea aut metallica, putredo ejus non polluit, quoniam putredo vestium aut lignorum, aut metalli ærugo comixta est cum putredine corporis ejus.* (a) Deinde nec caro mortui, quæ a corpore erat avulsa, si jam facta esset sicut farina, quemquam immundabat: בשר המת שנפרך ונעשה כקמח וכן אפר השרופין טהור וכן תתולעים הנהפין מבשר המת בין חיים בין מתים שהורין: *Caro mortui, quæ a corpore avulsa est, & facta jam est sicut farina, & cinis hominum combustorum munda sunt. Nec minus vermes, quæ natæ sunt ex carne mortui, sive vivæ sint, sive mortuæ, mundæ habentur.* (b) Tum, si effoderetur ager, & plures invenirentur mortui in una fovea, nulla erat suspicio, ibi latere sepulchretum, sed colligebantur ossa, quot-

quotquot reperiebantur, foveaque & ager manebant munda: מי שהיה חופר בשדה ומצא מתים רבים בגומא אחת זה על גב זה או זה בצד זה וגו׳ אינן חוושש שמא מקום זה בית הקברות היה׳ אלא נוטל המת שמצא ונוטל כל העפר התיחוח שתחתיו וחופר בבתולת קרקע שלש אצבעות ומוציא הכל׳ ושאר השדה בחזקת טהורה כשהיתה קודם שימצא: *Si quis foderit in agro, & invenerit plures mortuos in una fovea, alterum alteri impositum, aut alterum ad latus alterius jacentem &c. nulla est suspicio, hunc locum forte esse sepulchretum, sed aufert tum mortuum, quem invenit, simulque aufert omnem pulverem mollem, qui subjacet, infoditque illum terræ virgini* (quæ nunquam arata est) *effertque inde omnia. Quo facto reliquus ager firmiter manet in sua munditie, sicut fuit ante, priusquam* (mortuus) *est inventus.* (c) Hos & ejusmodi Canones alios larga manu suppeditabit Maimonides, (d) qui, si conferantur cum Ephraimitis, ad Jordanis ripam sepul-


ſepultis vel ſubfoſſis, Johannem facile ab omni immunditiei ſuſpicione liberabunt.

(a) vid. Maimonides Hilchoth Tumath hammeth cap. III. §. 4. (b) ibid. §. 10. (c) vid. id. cap. IX. §. 1. (d) in Hilchoth tümath hammeth. tot.

§. XVIII.

Ut itaque finem operi tandem imponamus, veram & genuinam Johannis ſententiam eam eſſe arbitror, quod ſi vel omnes, qui tum viverent, perirent, poſſe tamen Deum pro ſumma ſua & infinita potentia ex lapidibus iſtis ad ripam Jordanis obviis, ſub quibus a tot inde ſæculis tot millia Ephraimitarum jacerent recondita, in vitam revocare veros & genuinos Abrahami filios, qui & propter carnalem nativitatem ſuam, & veram, quam olim habuerunt, Abrahami fidem veri ejus & genuini filii dici queant. Hanc expoſitionem confirmat ſimplex atque nativa vocum *λίθων lapidum*, *τέκνα filii*, *ἐγείρειν ſuſcitare*, ſive *in vitam revocare*,

care, indoles, hanc requirit tota ſermonis ſeries, &, quæ fieri debebat, apta Johannis ad objectionem Phariſæorum & Sadducæorum reſponſio, huic favet locus, ubi Johannes baptiſmum ſuum adminiſtrabat, & tot millia Ephraimitarum erant cæſa, Bethabara ſcilicet, trans Jordanem ſita, hanc hominum poſtulat conditio, ad quos ſermonem ſuum Johannes dirigebat. Ita omnia ſponte fluunt, clara erunt atque perſpicua omnia, nec ulla occurret difficultas, quæ non facili negotio ſtatim tolli queat. Nihil ergo reliquum eſt, quam ut Deo O. M. pro conceſſis huc usque viribus debitas perſolvamus gratias, & Lectoris æqui judicio omnia relinquamus.



II.

II.

D. IOH. PETRI GRVENENBERGII
S. Theol. D. eiusque in Academia Rostochiensi quondam Professoris, nec non districtus Mecklenburgici Superintendentis

SENTENTIA (*)
DE

DIFFERENTIA NONI
ET

DECIMI PRAECEPTI.

Fateor,

(*) Propositam deprehendimus illam in epistola quadam a Viro beato ad amicum d. 21. Dec. ann. 1710. data, quam cum multis aliis praestantissimorum Theologorum autographis adseruauit vir celeberrimus b. GOTTFR. KOHLREIFFIVS. Argumenta auctoris priora eadem fere sunt ac illa, quibus CALVINIANI pro distinctione decalogi Origeniana pugnant. Vocarunt ea sub examen IOH. WINCKELMANNVS & BALTHAS. MENTZERVS in *Disputt. Giessens. Tom. I. Disp* 2. *Tom. II. Disp.* I. Idem factum ab aliis, qui diuisionis Augustinianae causam egerunt, citatis a QVENSTEDIO, Syst. theol. P. IV. pag 29. LILIENTHALIO in *Archiv. bibl. ad Exod.* XX 1-27. & DACHSELIO in *Bibliis accentuatis*, P. I. p. 261. Quibus addi ex recentioribus possunt S. I. BAVMGARTEN in *Illustrat. Catech minoris* p. 151. sq. & b. ROM. TELLER in Observ. ad Annotatio-

* * *

Fateor, non lubenter me olim acceſſiſſe ad ſententiam illam de concupiſcentia actuali in praecepto 9. & de originali in praecepto 10. ita praeciſe diuinitus intenta, eiusque rei ſatis graues ſunt cauſae, e. g.

1.) Quia Exod. XX. 14. vtrobique legitur לֹא־תַחְמֹד, quae phraſis cur diſtingui debeat in concupiſcentiam originalem & actualem, & cur prius de actuali, poſterius de originali explicandum ſit, nulla afferri poteſt iuſta cauſa per ipſam phraſeologiam Scripturae.

2.) Quia Deut. V. 18. in priori commate legitur ולא תחמד, in poſteriori autem commate ולא תתאוה, vbi differentia quidem eſt vocum, ſed ea tamen vox, quae Exod. XX. vtrobique ſtabat, & originalem in parte altera denotaſſe dicitur, hoc loco in parte ſola priore eſt retenta, quod Dei tamen ipſius verbum eſt de monte Sinai immediate loquentis: nec tuto dici poteſt, cur non radix potius in תחמד Exod. XX, vt volunt repoſita, hoc loco ſit retenta in praecepto 10, quam dimiſſa, praeſertim vbi quaeſtio grauiſſima eſt de concupiſcentia originali, & praeterea vox תתאוה in forma

nes Anglorum in Scripturam S. quæ ipſius auſpiciis Lipſiæ in germanicam transferri linguam coeperunt. P. I. p. 697. P. II. p. 716. S.

ma reciproca multo magis inclinet in actualem, quam in originalem concupiſcentiam.

3.) Cum Paulus Rom. VII. 7. hanc legem de concupiſcentia citat, citat eam absque vllo obiecto: quid cauſæ ſit, quare iſta citatio decimum plus reſpiciat, quam nonum, ex Paulo nunquam pateſcet.

4.) Marcus cap. X. v. 19. tabulam ſecundam inducens ex ore Chriſti, poſt octauum nihil de vllo diſcrimine originalis ab actuali concupiſcentiæ memorat, ſed vna voce dicit: μὴ ἀποστερήσῃς, quaſi coniungens vtrumque praeceptum.

5.) Exod. XX. 14. vbi Deus ipſe de coelo loquitur, aperte diſtinguit Deus domum a coeteris rebus animatis in decimo praecepto: Moſes autem repetens iuxta libertatem inſpirantis Dei, coniugem diſtinguit a coetera domo & coeteris animatis. Quid cauſae dici vel afferri poſſit, quare concupiſcentia actualis magis applicetur vel ad coniugem vel ad domum, originalis autem ad coetera, adiuncta interdum domo, interdum coniuge?

6.) Cum leges differant ex obiectis quoque, optima ſic erit obiectorum non violandorum diſpoſitio, vt praecepto quarto hominis honor ac reverentia; quinto vita; ſexto torus; ſeptimo mobilia; octavo fama; nono immobilia; ac decimo bona viuentia cuſtodiantur.

7.) Theologorum noſtrorum ſententia non eſt b. Lutheri ſententia, quod probat noni & decimi praecepti clara expoſitio, in qua iuxta obiecta vir ſummus ante nos proceſſit, itaque per omnia mihi convenit. Neque enim is peccatum originale vllibi excludit, ſicut nec ego, ſed aeque in nono ac decimo illud velut fontem concupiſcentiæ actualis comprehendit. Recedere ergo videntur non parum a Luthero, qui praecepta ex originali & actuali concupiſcentia diſtinguunt.

8.) Idem receſſus eſt a canticis eccleſiae priſcis, in quibus nulla talis differentia occurrit, ut mos vel hodie decantandi probat.

9.) Receſſus etiam fit a libris ſymbolicis, qui nuſpiam hanc differentiam noni & decimi oſtendunt, in catechiſmo minore obiecta potius diſtinguunt; in catechiſmo autem maiore vtrumque etiam praeceptum connectunt; aequaliterque de vtraque concupiſcentia exponunt.

10.) Nulla quoque eſt neceſſitas ita diſtinguendi, cum peccatum originale ceu radix vagetur per omnia praecepta, ac tandem in 9. & 10. coniunctim cum actuali conſignificari poſſit. Addantur his

11.) formae precationum & confeſſionum veteranae pleraeque, &

12) non tantum forte Strasburgenſes, ſed & veterani Theologi ferme omnes, itaque facile patebunt rationes meae.

His

His ita poſitis, tuto abſtinere poteramus ab illa diſtinctione legum per vtramque concupiſcentiam, propiusque ſic libris noſtris ſymbolicis & priſcis eccleſiae doctoribus catecheſibusque adhærere; ſed detur hoc paci eccleſiae, & retentae b. Lutheri expoſitioni ſuperaddatur haec quoque expoſitio. Quamvis enim ſufficiens eius fundamentum in ſcripturis haud deprehendatur, bonum tamen eſt, etiam in probabilibus concordiam tenere, ne maior ſit ruina e divortiis ſententiarum, quam utilitas ex diſputationibus pro veritate ad promovendam ſalutem noſtram aeternam haud proſpectante. Id vero ſimul hinc patebit:

1.) me non deſerere reliquorum thelogorum ſententiam, ſed potius & veterum theologorum ſententiam me retinere, & ſimul pacis, amoris & concordiae cauſa novam hanc ſententiam veteranae ſuperadditam pati ac tolerare, quin &, cum teneri poſſit utiliter, tenere quoque & ſimul docere, etiamſi neceſſarium id non exiſtimem: ac

2.) incommoda conſuetae, non a primordio, ſed in recentioribus theologis ſententiae adhaerentia talia a me iudicari, quae emolliri poſſint & excuſari, vbi omnia pacate fiunt, imo & ita explicari, vt a titulo incommodi plane liberentur. Quamob rem in catechismo quoque meo hanc ſententiam unanimitatis cauſa adopto.

III.
DE
GENUINA VOCIS
ΕΠΙΣΥΝΑΓΩΓΗ
ad Ebræos X. 25. notione
DISQVISITIO

M. HENR. Scholtz, Past. Prim.
Heiligenhav. & Consist. Seg. Adsess.

---

§. I.

Quanquam linguæ, quibus ad oracula diuina nobis edenda vsus est Spiritus sanctus, a vulgo interpretum referuntur in mortuarum numerum, quo tamen iure illæ, quæ & hominum hactenus exercitio & spiritus viui virtute in cœtu Christiano animatæ sonuerunt, vel citra auctoris tanti iniuriam dici possint mortuæ, prorsus ignoro. Ipsam autem haud exiguam interpretum partem linguas illas sacras literasque diuinas vita sua priuare, & ignorantia & nequitia a sensu vero detorquentes, minime me latet. Et, cum, teste *Augustino*, verbum Dei non recte intellectum, verbum Dei non sit, detorsum ne humanum quidem existere queat, necesse est. Hujus rei

rei testes, si quos desideres, lector studiose, infinita fere linguarum sacrarum commentatorum cohors tibi adhibebit, quorum tantum loco vocabulum ἐπισυναγωγὴ & II. Thess. II. 1. & Ebr. X. 25. obuium esse potest, & si ejus sensum verum existimes vitam, sua hactenus certa vita, vt reor, destitutum.

§. II.

Profanorum quidem auctorum vsu, quoad ego scio, vox ἐπισυναγωγὴ prorsus exulat, eius autem memoria quodammodo e græcis, qui dicuntur, veteris fœderis septuaginta interpretibus repetenda. Hi enim Ebræorum voces קהל (a), קבץ (b) & אסף (c) τῷ ἐπισυνάγεσθαι respondere putarunt, & Matthæus (d), Marcus (e), Lucasque novi fœderis testes, calculos suos addidisse videntur. Sed quemadmodum Alexandrini illi eandem Ebræorum vocem eadem græca non semper interpretantur, nec vbique locorum sibi constant, ita viri fœ-

(a) II. Paralip. XX. 26. vbi ἐπισυνάγεσθαι εἰς τὸ dicitur.

(b) Psalm. CII. 23. vbi συνάγεσθαι ἐπί τὸ αὐτὸ vulgo extat.

(c) Zach. XII. 3. ἐπισυνάγεσθαι ἐπί τι.

(d) XXIII. 37. XXIV. 31.

(e) I. 33. XIII. 27. Luc. XII. 1. XIII. 34.

deris noui vocem potius agentem referunt, quam patientem, nec, vnde ἐπισυναγωγὴ modo trahit originem, reciprocantem; & vti συνάγεσθαι non tam conducere aut congregare, quam *coire* aut seipsum colligere & συναγωγὴ ejusmodi significat *coitionem*, qua quid cum alio in vnum coiit, sic particula ἐπὶ præfixa, quæ notionem coitionis illius auget, τὸ ἐπισυνάγεσθαι reciprocum ad scopum quendam reducit, ac ἡ ἐπισυναγωγὴ pro obiecti ratione vel coitionem seu congregationem ad se, vel ad aliud intendit. Equidem, quod *Thucydides*, *Pollux* & alii Græcorum scriptores συναγωγὴν τȣ̃ πολέμȣ vel τῶν ναυτῶν locum, quo se milites, nautæ aut mercatores contulerunt, appellant, id Iudæos cultui suo diuino destinasse noui: sed, si ἐπαγωγὴν quoque intueamur, Petrus (f) *inductionem super se* rei cuiusdam esse ait, Philosophi autem *Aristoteteles* (g) & *Cicero* (h) docent eam esse *orationem*, *quæ rebus non dubiis propter similitudinem captat assensionem ejus quicum instituta est*, atque notionem illam ob particulam ἐπὶ ad animum hominis confirmandum transtulere. Quæ si omnia, quæ τὴν ἐπισυναγωγὴν grammaticorum consensu con-

---

(f) 2 Petr. II. 1. 5.

(g) Lib. analyt. prior. II. c. 23. & Topic. lib. I. c. 10.

(h) Lib. IV. de inuent. §. 36. ad Treb. Topic. §. 31.

constituunt, rite expensa animo complectamur, illa viæ notionem includit, *ad quam quis ingrediendam, & animi sui inductione & aliorum exemplis se excitauit.* Hac ab notione vocem קֹהֶלֶת (i), quam interpretum turba ne acu quidem tetigisse videtur, haud longe abire semper putaui. Illi enim nescio quid eius de significatione philosophati, tandem non nisi einen Prediger ἐκκλησιαστήν τινα siue eiusmodi quid exsculpserunt. Rectius si scriptoris sacri mentem attendissent, εἰσαγωγὴν dixissent, qua rerum humanarum rationes veras subducere docuit Salomon.

§. III.

Sed hæc περὶ τῆς ἐπισυναγωγῆς eminus, eam quoque ex mente Pauli Apostoli cominus consideremus! Græcis plerisque pariter ac nostris tantum non omnibus idea & τῆς συναγωγῆς & τῆς ἐπισυναγωγῆς eadem est, quæ conuentum Christianorum publicum præsertim die dominica frequentandum instituat (k), parum sollicitis de argumentis, quibus sit scriptor diuinus motus, vt licet nullibi litera-

 rum

(i) Eccl. I. 1. 2. præsertim cap. VII. 27.
(k) Confer b. Wolfii Curas philolog. ad hunc locum.

rum ſacrarum, exceptis duobus locis ſupra memoratis, vocis ἐπισυναγωγῆς mentio fiat, nec vllibi locorum eo vocabulo conuentus ſacer audiat, nec eius noſtra epiſtola ad Ebraeos data alio vocabulo meminerit, præter ſcopum etiam rerum ſacrum hic inſeruerit conuentum. Quam ob rem *Athanaſius*, Vulgatus interpres, *Nicolaus Lyra* aliique coetum potius ὀρθόδοξον per orbem vniuerſum Chriſto collectum, ne nonnullorum more perfidiam experiatur, admoneri confitentur. Horum quidem vtramque partem ſibi haud contrariari profitetur b. *Ioann. Gerhardus*, ſed ſe prioribus cum b. *Ignatio* adſtipulari contendit (l). Verum enim vero etiamſi Syrus, & alii priſci pariter ac recentiores interpretes ad Judæorum Synagogam tam prope acceſſiſſe videantur, vt non b. *Brochmandus* ſolum (m) hinc contra *Bellarmini* vitam eremiticam arma ſumſerit, ſed celeb. quoque *Io. Henr. Callenberg* (n) b. *Lutheri* vocem Verſammlung germanica Judæorum lingua curarit interpolandam, כנסית צבור לשם שמים׳ למשל הפילה zu thun mit dem Zibbur

(l) In Comment. ad Epiſt. ad Ebr. Ignatius vero in Epiſtola ad Smyrnæos §. 7. contra eos diſputat, qui συναξιν ſacram negligunt. Conf. Epiſt. ad Epheſ. §. 13.

(m) Tom. II. ſyſtem. p. m. 956.

(n) Vid. Epiſtol. ad Ebr. in Germ. Iud. idioma tranſlata & edita Halæ 1734. 12.

bur und andere עבודות שמים. Nihilo tamen secius, cum Iacobus tribubus scribens duodecim c. II. 2. συναγωγῆς quidem fecerit mentionem, quidni Paulus æque ad Ebræos, qui, vt ita dicam, Ex-Iudæi erant, epistolam suam mittens Synagogæ fecit mentionem? sed his pariter atque Thessalonicensibus vocem ἐπισυναγωγὴν legendam obtulit, vtpote quibus & vox Christianorum ἐκκλησία nota & nihil amplius rei esset cum Iudæis (o)? Atqui, si *Tertulliani*, vulgatique interpretis *congregationem* aut *collectionem*, licet neque τὸ ἐπὶ neque τὸ ἑαυτῶν ob oculos habuerint, cum recentiorum conuentu dominico conferendam curem, me iudice, veteres illos propius metam attigisse intelliges, quam recentiores.

§. IV.

Horum neutra sententia cum clariss. *Io. Frid. Hombergk* in Parergis suis sacris acquiescere vellet, in aliam prolapsus viam no-

(o) Ebr. XII. 23. Iudæis Synagoga, Christianis Ecclesia, nisi vtriusque discrimen hoc sit, vt illa locum, hæc personas designet. Conf. illustr. Pertsch in seinem Versuch einer Kirchen Hist. I. sec. p. 406. seq. præterea Codex quidam Romanus extat, qui συναγωγὴν legit, sed una hirundo ver non facit, nec ille caret corruptionis suspicione.

notionem τῆς ἐπισυναγωγῆς expediendi Paulo docet *conuersionem & adductionem Ebræorum ad fidem* intelligi (p). Quæ coniectura, si, quod sequitur, ἡ ἡμέρα ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας notaret maiorem, robur verisimilitudinis acquireret haud imbecille. At enim plura obstant, quominus reliqua Apostoli verba alterum alterumve admittant. Quos quidem vocat Apostolus Corinthios *ablutos, sanctificatos, iustificatos* (q), eosdem quoque Ebræos esse, nimirum *aspersos corda a conscientia mala, & ablutos corpus aqua munda, illuminatos, iustos & conuersos* (r) asserit. Quin imo discrimen, quod Theologi transitiuam inter conuersionem & intransitiuam, illuminationem inter perfectam siue totalem, & imperfectam sive partialem agnoscunt, Ebræos quoque attinuisse non nego. Sed, quemadmodum scriptura vbique locorum, vbi res Christiana dies dicitur, eam diem negat intra hominem oriri, extra hominum animos potius docens lucere (s), sic etiam nullo potest curato effici argumento, vt ἡ ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας vllibi

(p) Conf. Wolfii Cur. & Pertschii l. c. pag. 409. not. a.
(q) 1. Cor. VI. 11.
(r) Ebr. X. 22-39.
(s) Ephes. V. 14. vide ἐπιφώσκειν & ἐπιφαύειν.

libi ſcripturarum dies dicatur. Contra, vt typorum vmbra antiqui foederis Rom. XIII. 12. nox audit, ſic Chriſtus typorum complementum dies eſt: &, vti Petro (t) mentes humanæ natura ſunt loca obſcura, ſic verbum propheticum eſt lucerna, Chriſtus dies & Euangelium phoſphorus. Nec nos quicquam τὸ ἐγγίζειν, quod ab ἠγγικέναι (u), tanquam a præterito præſens differt, morari poſſe tam facile ſapiens perſpiciet, quam τὸ καθὼς ἔθος τισίν, & τὸ ἑαυτῶν difficilia intellectu non erunt. Nam τὸ καθὼς ἔθος τισὶν haud præſentes reſpicit Ebræos, ſed quos Apoſtolus 1 Cor. X. 7-11. & Ebr. III. 16. excitauerat, priſcorum Iudæorum oſcitantium exempla, qui de die quietis appropinquante parum ſolliciti, neglecta fide, fideique documentis omiſſis, perierant. Τὸ ἑαυτῶν autem, quod codices habent omnes, hoc non modo confirmat, ſed etiam, cum quaſi *in* viam *ſui conductio* ſit illa ἐπισυναγωγὴ ἑαυτῶν, conuerſionis potius veræ fructum, quam conuerſionem ſignificabit (w).

§. V.

His itaque præmiſſis, ſi, quid τὸ ἐγκαταλείπειν, quod internum quoddam indicat deliquium

(t) 2 Petr. I. 19. adde Wolfii Curas.
(u) Rom. XIII. 12.
(w) 2 Theſſ. II. 1 addditur ἐπ' αὐτόν 1 Cor. X. 6. 7.

liquium (x). si, quid τὸ τοσούτῳ μᾶλλον, quod τὸ παρακαλεῖν potius respicit, determinet, animadvertamus, quid & de ἐπισυναγωγῇ illa & ἐγγιζούσῃ τῇ ἡμέρᾳ faciundum, haud obscure patebit. Sane diei illa notio, quam recentiores quidam iique partem maximam peregrini de πανολεθρίᾳ Iudaica Paulo affingunt, non tam augusta de die est, quæ neruum verborum, nedum argumentorum Paulinorum heic loci capiat pondera (y). Dies mortis vel potius hora non appropinquat, sed semper instat (z). Nec dies dominica, nec illuminatio mentis vberior futura operum bonorum apparatum (aa), studium, solamen, coetum ante congregatum, quam vtraque illa illuxerit, postulare possunt. Ergo, quum Paulus totus in eo sit, ut ex Iudæos siue Ebræos suos, perfecto summo & vnico Dei sacerdote Jesu (bb), plena fidei certitudine affectos ad viam patriæ æternæ Iesu sanguine renouatam, strenue ingrediendam, constanter confitendam & contuendam, ab omnibus mundi vacuam illecebris, quæ Christianorum

(x) 2 Cor IV. 9. Ebr. XIII. 5.
(y) Vide Hammondum, Calixtum, Harduinum & alios. (z) 1 Cor XV. 31.
(aa) Form. Concord. Apolog. art. IV. p 212. edit. Reinec. Conf. Iohan. Georg. Neumanni Theol. aphorist. cap. I loc. III. aphor. 89. & 107.
(bb) Ebr. II. 10. XII. 2. &c.

rum animos frangant, auocent, deiiciant, conſcientiam contaminent, diem appropinquantem faciant terribilem, ſolicitet ſtudioſiſſime, diem hanc appropinquantem aliam non eſſe conſtat, quam iudicii ſupremi diem, cui quaſi conclamatis fidei, ſpei & amoris vaſis & collectis, animorum contentione, in via continentia, rerumque mundanarum abſtinentia, ſumto coenæ ſacræ viatico, obviam eundum.

§. VI.

Tota enim ad Ebræos epiſtola veluti itineris ſacri quietisque typicæ tabula eſt, quæ, vt Deus creationis opere abſoluto quieuit, vt Ioſua facto per deſertum itinere, Iſraelem ad diem in Canaan καταπαύσεως introduxit, vt Melchiſedecus Abrahamo, vt Aharon Iſraeli magnæ pacis oſtenderunt diem, ſic Chriſtum Ioſuæ, Melchiſedeci, & Aharonis antitypum (cc) καὶ πάντων ἀρχηγαγὸν, redemtionis ſanguine nobis ad quietem æternam aperuiſſe viam, eiusque diem proxume futuram promiſiſſe, deficientibus autem in via diem minari damnationis æternæ, ob oculos ponit (dd). Quicquid igitur

(cc) Vide cap. II. vbi voces, quas Ebr. X. 17. ſqq. legimus, easdem adhibuit.

(dd) Ebr. IV. 7. 8. definit diem, quam excipiet Dei Sabbatismus.

tur Paulus ſupra prolixe docet, hoc noſtro in capite X. a verſu 17. ad finem vsque neruoſe contractum in ſuccum ſanguinemque conuertit. Atque, quum literæ potius inhærendum iudicem, quam tropum, qui Spiritus ſancti gladium non ſemper vagina ſed ſæpe ærugine obducat, eminus quærendum, hic τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν quidem animaduerto, vnde τὸ εισέρχεσθαι καὶ προσέρχεσθαι, ἡ ὁμολογία τῆς ἐλπίδος ἀκλινὴς, ἡ ἐπισυναγωγὴ & ipſum τὸ ἐγγίζειν lucem ſuam foenerent (ee). Aperta enim nobis per ſacerdotem ſummum Ieſum ad Sabbatum magnum via, adeunda eſt quies, non a confeſſione ſpei declinandum, ſanctorum exempla inſpicienda, imitanda, ſequenda ſunt, ita vt nullus in itinere defatigatus ad ſe recolligendum & in via continendum animum deſpondeat, ſed ſe potius inuicem tanquam comites alacres intuentes eo magis exſtimulent, quo quietem ſibi obuiam habeant propiorem.

§. VII.

Vt vero illa τῆς ἐπισυναγωγῆς ſiue *collectionis ſuæ in viam ſolicitæ & in eadem continentiæ*

con-

(ee) Metaphora eleganter continuata eſt, ſiue ἀλληγορία ῥητορικὴ. Confer Ebr. IV. & hæc omnia.

continuae notio hoc clarius conſtet, Paulus eam nonmodo eorum contumaciæ, qui a Moſis via deſciuerant per Amalecitas disiiciendi, opponit, ſed etiam verbis aliis v. 35. μὴ ἀποβάλητε τὴν παῤῥησίαν ὑμῶν & Ebr. XII. 3. 12. 13. μὴ κάμητε ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν ἐκλυόμενοι κ. τ. λ. illuſtrat. Quid? quod is 2 Theſſ. II. 1. τὴν παρȣσίαν κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριϛȣ̃ & ἡμῶν ἐπισυναγωγὴν ἐπ᾽ αὐτὸν, quam *Tertullianus* noſtram ad eum vocat congregationem, expreſſe coniungat (ff). Nec minus ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus Pauli verbis, μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, hisce ſuis verbis: ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν, lumen prætulit omnium clariſſimum (gg). Ac, cum viatoribus nobis Paulus τὴν γρηγορίαν, τὴν νήφειαν καὶ τὴν παῤῥησίαν vbique literarum ſuarum vehementer commendet, ὁ τῆς πίϛεως ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς Ieſus ſemper clamavit: γρηγορεῖτε (hh). Quæ ſi omnia cum ὁδῷ, εἰσόδῳ & in viam collectione recte contuleris, facile cognoſces, ἐπισυναγωγὴν illam nonnullorum dubitationi hucusque obnoxiam aliud haud eſſe, quam *ſtudium ſe in viam diuinam colligendi, viribus diuinis conducendi & ab omni ſeductione continendi.*

(ff) Lib. de reſurrect. Carnis. (gg) Luc. XXI. 28. (hh) Marc. XIII. 37.

§. VIII.

Huic meæ ſententiæ, quamuis multa ſint alia, quæ lumen afferunt, tamen ſi virorum doctiſſimorum pace liceat, Ebræorum antiquorum, quin & impoſtoris illius Mochammedis modi loquendi accedunt. Priſci enim Ebræi id, quod Paulus ἐπισυναγωγὴν nuncupat, קבוץ גליות *collectionem captiuitatis*, appellarunt. Diebus enim Meſſiæ, quum quærunt, quid futurum ſit? reſpondet *Nehelam in Midraſch* תנן מ׳ שנה קידמון קבוץ גליות לתחית המתים: *legimus, quod quadraginta annos congregatio captiuorum reſurrectionem mortuorum præuentura ſit* (ii). Plura de hac mortuorum congregatione præter alios *Eduard. Pocockius* in append. notarum ad Portam Moſis c. VI. p. 110. ſqq. dabit. Iudæis autem magiſtris vſus *Mochammedes* hunc mortuorum ad vitam reditum ſaepiſſime & fere ſemper *congregationem & collectionem ad Deum* appellitare ſolet (kk). Meccanis enim obiicientibus: נחן חָמיע מנתצר׳ *nos collectio, ſeu congregatio præualens* ſumus; reſpondet: שיהזם אלחָמע *certe diſſipabitur hæc congregatio.*

(ii) Paraſch. Tholedoth. conf. *Menaſſeh b. Iſrael* lib. II. c. 3. de reſurrect. mortuorum

(kk) Alcorani ſur. II. 28. III. 28. 159. IV. 86. 170. V. 56. 105. 114. &c. edit. *Lud. Marraccii*.

tio (ll). Afferunt quoque eius affeclæ, tefte *Zamchafcerio*, commentatore celebri, Iefum Dominum noftrum tempore nouiffimo coelo defcenfurum, eiusque aufpicio homines omnes vnam ad religionem congregandos fore.


§. IX.

Sed miffis impiorum nugis, Ebræi, ad quos Paulus fcripfit, faniora inftituti, Duce Iefu fummo Sacerdote, viam renouatam intrepide ingredientes, conftanter confitentes, feque intuentes in uicem, coitionem in vnum collectam, nonnullorum more haud deferendo, fed prouocando diem apparitionis Iefu Chrifti prope imminentem præftolari iubentur. Hæc ergo mea de ἐπισυναγωγῇ notio, fi fas fit dicere, reliquis origine propior, nexu fimplicior, vfu & feracior tanto maiorem vtilitatis pariet fructum, quanto propius ad fcriptoris diuini fcopum accedere intelligetur. Eft enim illa Chriftianis omnibus, omni tempore, & vbique locorum vfui, quem fententiæ cæteræ vix pollicentur. Vti autem b. *Lutherus*, qui alicubi ob ignorantiam literarum fua ætate Doctores latentium errores fartorum futorumque excufat, nos in luce literarum linguarumque verfantes errorum accufat, dixit: **Es find in der Schrift ja**

(ll) Sur. LIV. 43.44 Conf. *Relandi* lib. I. de relig. Mohamm. p. m. 11. not. 5.

ja nicht Lesewortе, wie sie meinen, sondern eitel Lebeworte (mm): sic, qui, Christo interrogante, πῶς ἀναγινώσκεις (nn); non recte legunt, nec, quoniam eius verba literæ non sunt mortuæ, sed spiritus & vita, recte viuere poterunt. Sed hæc tuo iudicio, lector beneuole, commendo, sperans fore, vt, quo nostra sententia menti Paulinæ propior & piis omnibus vtilior, eam etiam existimes omnibus veriorem.

(mm) Tom. V. Ien. fol. m. 44.
(nn) Luc. X. 26.



IV.

IO. HENR. a SEELEN

Ecloga

de Libro longe rarissimo, ad ipsa Typographiae incunabula pertinente:

SPECVLO HVMANAE SALVATIONIS.

---

§. I.

Iucundum est saeculi nostri studium, quo a viris eruditis (1) libri rariores, imo rarissimi, annotantur, describuntur, diiudicantur, excerpuntur. Neque iucun-

---

(1) Recensuit eos copia haud exigua doctissimus civis meus, vrbis Bremensis hodie decus, IO. VOGTIVS, qui praestantissimo *Catalogo Historico - Critico Librorum rariorum* (Hamb. 1747. 8.) indicem *Scriptorum*, *qui vel ex instituto de libris rarioribus exposuerunt*, *vel aliud agentes raritatem librorum indicarunt*, *vel saltem vnius alteriusve libri notitiam dederunt*, praefixit. Omnium industriam superare annititur vir celeberrimus, DAV. CLEMENT, cuius amplissimi elegantissimique de Libris rarioribus operis initio gaudet orbis literatus, progressum & finem avide exspectat. Egregia quoque in hoc literarum genere Bibliophili possunt sibi promittere a clarissimo hodie meritissimoque in Academia Cimbrica

dum modo eſt, ſed ſua etiam non caret vtilitate, ſiquidem hoc labore deteguntur multa, e quibus de vera eruditionis, quae priſtinis fuit temporibus, & iis praeſertim, quibus barbarorum nomen fuit inditum, conditione optimum ferri poteſt iudicium, & incrementa, quae recentiori aevo nactae ſunt literae, cognoſci queunt ac declarari. Vnde praeſertim Anglos, huiusmodi libros ſtudioſiſſime conquirentes, laudat, & Germanos ad imitationem excitare ſtudet deſideratiſſimus VAL. ERN. LOESCHERVS(2), Theologus vere polyhiſtor, qui vt innumeras res alias, ſic hiſtoriam quoque typographicam ſcientiſſime ſcrutatus eſt, his verbis: *Quod illi prima, praeſertim claſſicorum auctorum, exemplaria, cum ſumma fide ac candore excuſa ſint, deament, & codicibus manu exaratis iuxta habeant, quod in ipſa renaſcentium literarum infantia dignoſcere meliores ingeniorum foetus adſueſcant, & nihil non eorum intermittant, vnde augeri poſſit & confirmari ſolida eruditio, hoc ego laude ac imitatione noſtra Germanorum, apud quos typographia*

---

brica, quae Kilonii eſt, Profeſſore, IO. CHRISTOPHORO HENNINGS, cuius olim in noſtra officina literaria Lubecenſi auditoris optimi diligentiſſimique non ſine iucunditate recordor, a quo magna exaratus induſtria liber de Libris rarioribus ſub prelo in hac vrbe ſudat.

(2) loc. citand. p. 238.

phia nata est, perdignum existimo. Inde meum animum subiit ardor conquirendi & evolvendi primitias typographicas, praesertim Germanicas.

§. II.

Eiusmodi librum cum mihi, Bibliothecam tractanti Breitenavianam, perlustrare olim licuerit atque ideo ex αὐτοψία dare possim istius notitiam, supplementum quoddam huius eruditionis, quae viget hodie, partis suppeditare, eo minus volui intermittere, quo pauciores forte sunt, qui cimelium hoc literarium oculis vsurparunt. Indicavi quidem hunc librum in Bibliothec. Breitenav. Tom. III. p. 124, in titulo, qui optime per *SPECVLVM HVMANAE SALVATIONIS* exprimitur, dando alios secutus; nunc vero copiosiora de eodem proferam, & in his ea, quæ αὐτόπτης de hoc rarissimo libro observavi.

§. III.

Equidem inficiari nequeo, quod de eodem iam plus vice simplici actum sit, etsi ille non reperiatur annotatus & descriptus in *Incunabulis Artis Typographicae, sive Catalogo Librorum primis ab artis inventione annis typis exscriptorum*, qui Catalogus Tom. II. Bibl. Vffenbach. Vniverf. adhaeret, cumque hic paginas 126 impleat, facile hinc apparet, quam

ſtupendam eiusmodi librorum copiam illuſtris quondam Reipublicae Francofurtanae Conſul, ZACHARIAS CONRADVS ab VFFENBACH, Maecenas olim literatiſſimus excellentiſſimusque, poſſederit, qui tamen theſaurus Speculo noſtro caruit, vnde ad ſummam eius raritatem licebit concludere. Aliis ea obtigit fortuna, vt de libro hoc aliquid obſervare potuerint. In his ſunt, PETRVS SCRIVERIVS in *Laurea Laurentii Coſteri* (3): GABRIEL NAVDEVS in *Additamentis ad Hiſtoriam Ludovici XI* (4): BERNARDVS a MALLINKROT in *Diſſertatione de Ortu & Progreſſu Artis Typographicae* (5): MARC. ZVER. BOXHORNIVS in *Diſſertatione de Typographicae Artis Inventione & Inventoribus* (6): ADAM. SCHRAGIVS in *Hiſtoria Typographiae Argentorati inventae* (7): CASIMIR. OVDINVS in *Diſſertatione de primis Artis Typographicae Inventoribus* (8): IO. BAGFORDVS in *Exercitatione de Inventione Typographiae* (9), & plures, quorum aliqui Harlemo gloriam inventae per *LAVRENTIVM COSTERVM* typo-

(3) Ap. virum celeberrimum, IO. CHRISTIAN. WOLFIVM, in Monument. Typograph. P. I. p. 220. 235. 275. 323 ſq. 413 ſeq. 418 ſqq.

(4) l. c. p. 500. 508. (5) Ib. p. 656. 675. ſq. 732.

(6) Ibid p. 353 ſq. (7) ibid. P. II. p. 24 ſq.

(8) ibid. p. 874. (9) ibid. p. 1004 ſq.

typographiae vindicare ſtudent, & *Speculum humanae Salvationis* pro omnium primo libro typis excuſo (10) habent, aliqui vero iſtud inficiantur, & Germaniae hoc memorabile aſſerunt, omnes breviter modo hunc librum attingunt, neque pleniorem eius contentorum notitiam in medium afferunt. Eruditiſſimus ICtus Batavus, GERH. MEERMANNVS, in *Deſcriptione libri rariſſimi, circa ipſa Typographiae incunabula impreſſi, & a*

(10) Extat apud WOLFIVM in Monum. Typogr. P. II. p. 1230 ſq deſcriptio Nummi in memoriam ſaecularem tertiam inventae Typographiae cuſi, his conſignata verbis: *Op de voorzyde vertoond zig* Laurens Koſters *beeldtenis in profil met de linker wang naar buyten, en dit omſcrift:* LAVRentius COSTERVS, JANI Filius, SENator HARlemenſis, TYPographiae INVentor; *en onder het zelve:* Gerardus MAARSHOORN, HARLemenſis, FECit. *Op de tegenzyde ziet men een Drukpers, boven aan verzierd met het Wapen der Stad Haerlem, mitsgaders dat van den voorſz.* Laurens Ianſz Koſter (*zynde een Duyſje*); *aan den voet van dezelve legt een geopend boek, met dezen tytel;* SPECVlum HVMAnae SALVATIONIS, *zynde het eerſte boek, dat, zo wel in't latyn als nederduitſch under de tytel van* Spiegel onzer Behoudenis *to Haerlem is gedrukt, alwaar van beide drukken een Exemplaar op het Stadhuys word bewaard. Onder en om den rand leeſt men* TYPOGRAPHIA HARLEMI INVenta 1428. PERVULGata 1440. III. JUB. 1740.

ſe nuper inventi (11), id egit potiſſimum, vt, quae minus recte a IO. CHRIST. SEIZIO (12) de hoc libro ſcripta ſunt, emendaret, etſi ſingularia etiam in exemplari, quod nactus eſt, occurrentia diligenter & accurate annotarit, ac in primis modum imprimendi Coſterianum ſcrutatus ſit. MICHAEL MAITTAIRE (13) varia congeſſit loca hiſtoricorum, qui hunc commemorant librum, ita tamen, vt non omnes eandem de illo ferant ſententiam, dum alii ex αὐτοψία, alii ſine eadem ſcripſerunt, nonnulli eum pro omnium primo typis excuſo libro habent, aliqui iſtud negant, incertum ſaltem eſſe, arbitrantur (14). Honoris cauſa nominatus immortalis famae Conſul Francofurtanus, VFFENBACHIVS, licet

(11) Inſerta eſt haec Deſcriptio Biblioth. Miſcell. Hamburg. Vol. II. p 81 ſqq.

(12) Edidit ille librum ſub titulo: *Het derde Jubeliaar der uytgevondenen Drukkonſt*, Harlem. 1740, in cuius libri cap. 4 etiam Speculum Humanae Salvationis deſcribere voluit, haud leviter interdum hallucinatus, & iure idcirco a MEERMANNO correctus.

(13) Annal. Typogr. Tom. I. p 13 ſqq.

(14) Sic ANDR. CHEVILLIER Origin. de l'Imprimerie de Paris p. 281, varia etiam de Speculo obſervans, ſcribit: *Tout eſt incertain de ce Livre. On ne peut point aſſûrer, qu'il ſoit imprimé en* Hollande *plûtôt qu'en* Allemagne, *à* Harlem *plûtôt qu'à* Mayence, *par LAVRENS COSTER plûtôt que par JEAN FAVST*,

licet non possederit hunc librum, probe is tamen ei fuit, in itinere praesertim Belgico, cognitus redditus, quod perelegantia demonstrant monita, quibus ea, quae vir magnis in rem literariam meritis conspicuus, IO. GEORG. SCHELHORNIVS, de Speculo nostro consignaverat, scite illustravit (15). Laudatus quoque VOGTIVS (16) paucis tetigit hunc librum, quem vocat *opus typographiae infirmae adhuc & cunis vix dum exemptae, hinc rarissimum & eruditis neque aliter, quam de solo nomine cognitum, paucissimis visum*. Licebit istud inde etiam colligere, quod haud pauci viri eruditi in ipso eius titulo exprimendo parum accurati deprehendantur. Plerisque enim audit *Speculum Salutis:* nonnullis *Speculum humanae Salutis*; quibusdam *Speculum nostrae Salutis*; cum tamen verus titulus Latinus esse debeat *SPECVLVM HVMANAE SALVATIONIS.* Hoc enim est Praefationis initium (17):

Proemium cuiusdam incipit nove Compilationis,
Cuius nomen & titulus est, Speculum humanae salvationis.

Ap-

(15) Vid. Amoenit. Liter. Tom. I. p. 3 sq. Tom. IX. p. 970 sqq.
(16) loc. cit. p. m. 638.
(17) Conf. MAITTAIRE loc. cit. p. 16.

Apparet inde, quod non omnes ex αὐτοψίας de hoc libro commentati ſint (18), ſed alter alterum bona fide ſit ſecutus, quamvis aliqui modo e Latina, modo e Belgica editione titulum formaſſe videantur. Raritas vero libri huius evinci quoque poteſt ex eo, quod, annotante viro doctiſſimo, DAN. MAICHELIO (19), Pariſiis in duabus tantum Bibliothecis, Sorbonica nimirum & Fratrum Coeleſtinorum, extare perhibeatur.

IV.

Cum itaque tot virorum literatiſſimorum attentione dignus fuerit iudicatus hic liber, magna in annalibus & civilibus & literariis fama dudum inclytus, operae etiam puto pretium annotare nonnulla ab aliis de eodem commentatis, vel obiter ſaltem & breviſſime eius mentionem facientibus, nondum allata, ſicque renovare & retinere memoriam iſtius exemplaris (liceat hac voce vti ea ſignificatione, quam introduxit mos tyrannus, veram non ſemper curans proprie-

(18) E. g. MALLINKROTIVS loc. cit. p. 675 ingenue profeſſus: *Speculum illud Salutis quale ſit, divinare, qui non vidimus, nequaquam poſſumus, ideoque eius rei fidem penes auctores manere patimur.*

(19) Introd. ad Hiſt. liter. de praecipuis Biblioth. Pariſ. p. 107.

prietatem), quod Lubecae olim illuſtrem ornavit Bibliothecam Breitenavianam, etſi eius integritati aliquid deeſſe, adeoque fragmenti potius, quam pleni libri vicem praeſtare, diffiteri nequeam: qui tamen defectus non impedivit, quo minus eo etiam laborans hic codex ſtudioſiſſime fuerit conſervatus.

§. V.

Priſtinus eius poſſeſſor fuit IVSTVS IOHANNES KELPIVS, Canonicus Ramelslohenſis, quem antiquitatis, praeſertim Germanicae, ſcrutatorem ſagaciſſimum diligentiſſimumque alio loco (20) me laudaſſe, memini. Hic KELPIVS libro, ſeu fragmento potius, manu ſua an. 1695 praeſcripſit: *Dieſes iſt eines der erſten zu Harlem von Lorentz Köſter ohngeſehr an. 1430 gedruckten Bücher, deſſen titulus: Speculum humanæ Sælvationis.* Vbi memoratus annus 1430 multis tam videbitur dubius, quam incerto hucusque conatu disquiſitum, quo anno primus liber prelo ſubiectus, & quis ille fuerit? Antiquum eſſe hunc librum, a BOXHORNIO (21) *venerandae librum antiquitatis*, a GEDEONE PONTIER (22) *livre fort ancien*

---

(20) Memor. Staden. p. 164 ſqq.

(21) loc. cit. p. 583.

(22) Cabinet, ou Bibliotheque des Grands, Tom. I. ap. WOLFIVM Monum. Typogr. P. II. p. 1134.

cien recte dictum, nemo iure dubitaverit. Num vero ad annum vsque 1430 initium eius queat referri, assertu aeque erit difficile, ac falso summa libri raritas ad negandam ipsius existentiam nonullos adegit. Alii, coniectura vtentes, annum 1439, vel 1440, malunt ponere. At ne vltimum quidem annum 1440 OVDINVS (23) vult admittere, imo vero audet scribere, quod *gratis & imperite Harlemenses hoc opus finxerint, ad imprudentium deceptionem.* Quo in iudicio, quod nimium est & incongruum, haud difficulter deprehenditur. Prudentius multo aptiusque laudatus & nunquam satis laudandus LOESCHERVS (24) iudicat hoc modo: *Speculum Salutis, quod Harlemi a Laur. Costero tabulis englyphis expressum circa A.* 1430. *creditur, non equidem pro primo libro excuso debet haberi, sed tamen embryo typographiae dici potest.* Vnde deinceps (25) *annum* 1440 *circiter* Speculo adscripsit. Quod ipse istud possederit, neque in citatis *Incunabulis*, neque in copioso valde *Supplemento* (26) *Catalogi Maettaeriani primorum, qui typis editi sunt, Librorum*, e quo simul apparet, quod multos eius-

(23) l. c. pag. 874.
(24) Incunabul. Typograph. revis. in Stromat. pag. 143. (25) p. 145.
(26) Extat illud in Stromat. p. 238-287.

eiusmodi libros conquisiverit, iisdemque instructissimam suam Bibliothecam adauxerit, invenio. Addidit KELPIVS *Extract der alten Chroniken und Historien van Seeland p. m.* 159: *Laurens Köster gebahren ut een treffelyk geschlechte, selfs siende een ansienlick Mann ende Rahtspersohn der stadt Haerlem, hem altemet verlustigende int bosk, welk naer by de Vorstadt gelegen is, heefft altemet eenige lettern geschneden in een Schoors, so vom den eenen bom dan ind' ander ende, vorder gaende heefft begonnen eenige Worden, darna regulen, ja ook heele tafelen in hout to schnieden met aer figuren, darby practiserende hee hy deselve soude konnen affdrücken, welck ehm ok gelücklick gelückt is. Hy hem duss met dees houte geschneden tafeln ende figuren behelpende van den Jaren* 1428 *tot* 1440. *Dees lettern nu hebbende heefft daer een book mede gedrückt, als eerst in Latin genoemet:* Speculum humanæ Salvationis, *worvon ick een exemplar hebbe, als ook in duydts genoemt:* De Spiegel onser Behoudenisse, *waer ener van bewust onder den hochgeleerden ende sehr vermaerden historieschriever,* Peter Schriever. *Deese boken als ock de in hout geschnedene figuren ende tafelen syn de bladeren maer an eene syde gedrückt.* Provocavit denique KELPIVS ad WILH. ERN. TENTZELII Dialog. Menstr. 1698. m. Iul. p. 608, vbi recensetur CHRISTOPH. WEIGELII *Abbildung der Gemein-Nützlichen*

Haupt-

Haupt-Stände, cuius Sectionis decimae Numerus tertius Typographum sistens, huic occasionem dedit relationi: *Es wird abermahl viel disputiret, was es vor ein Buch gewesen, so zu erst gedruckt worden? Woraus ich aber nur dieses, als etwas sehr notables, wiederhohle, dass der Auctor in der grossen Kirchen zu Horn in Holland, und der daselbst verwahrten Bibliothec (die aus sehr wenigen gar alten und mit Ketten angeschlossenen Büchern bestehet) ein gewisses Buch gesehen, wovon der Kirchner sehr viel Wesens gemacht, wie es nehmlich das allererste, An. 1440 zu Harlem gedruckte, und aus obermeldten Costeri Erfindung in Niederländischer Sprache hervor gebrachte Buch sey. Die Buchstaben waren auf sehr alte Art gemacht, und ein ieder Bogen nur halb gedruckt, der andere aber leer, und darzwischen mit unterschiedlichen Figuren und Holtz-Schnitten gezieret. Der Titul hiess:* der Spiegel unserer Behaltenüsse, *und solte dieses Buch Anno 1653 im Febr. an die Bürgermeister besagter Stadt Horn verehret worden seyn. Allein die Art dieses Buchs war von der heutigen Buchdrucker-Kunst gantz unterschieden; indem der gantze Text in Holtz geschnitten, und man eine solche Form mehr nicht, denn zu einem Buch, gebrauchen kunte.*

§. VI.

§. VI.

Recte vero annotatur, quod vna modo folii pagina literis ſit inſtructa, altera autem vacua relicta; vnde conſtat etiam, quam tenuis fuerit & exilis ſub ipſum initium typographia, cuius cognitio magis ſemper magisque deinceps crevit, ad ſummum tandem, quod conſecuta eſt hodie, evecta faſtigium. Vnumquodque folium duabus tantum conſtans paginis, cum in libris primae magnitudinis, qui ſequenti tempore ſunt impreſſi, hodieque imprimuntur, quatuor habeat, duas oſtendit imagines ligno inciſas, non omnino quidem pulchras & teneras, neque tamen etiam plane rudes atque deformes, e temporis, quo factae, conditione diiudicandas, quae dimidium fere ſpatium paginae implent, vna cum ſubiecto Imaginis argumento, quod ligno itidem fuit inciſum. In manco, quo vti tantum mihi licuit, exemplari haec erant Lemmata ſubſcripta Imagini in eodem primae; *Natiuitas domini noſtri Ieſu Chriſti*; *Pincerna Pharaonis vidit in ſompnis vineam.* Secunda Imago erat evulſa, ſpatium autem, quod occupaverat, charta munda expletum. Liquet vero ex addita interpretatione, quod in eadem *Vitis*, aut *Vinea Engeddi*, nec non *Virga Aaronis florida* fuerit repraeſentata. Subſcriptum porro erat Imagini tertiae: *Tres*

Tres magi adorant puerum cum muneribus; Tres magi viderunt nouam stellam in oriente; quartae: *Tres fortes attulerunt dauid regi aquam de cisterna; Thronus salomonis;* quintae: *Chana obtulit filium suum in templo; Archa testamenti significat Mariam;* sextae: *Candelabrum templi salomonis; Puer Samuel oblatus est domino;* septimae: *Omnia ydola corruerunt intrante jhu in egiptum; Egiptii fecerunt ymaginem virginis cum puero;* octavae: *Moyses proiecit coronam Pharaonis & fregit; Nabugodonosor vidit statuam grandem in sompno;* nonae: *Jhesus baptisatus est a johanne in iordano: Mare eneum, in quo ingressuri in templum lauabantur;* decimae: *Naam leprosus septies & nudatus est; Jordanis siccatus est in transitu filiorum dei:* vndecimae: *Cristus tripliciter fuit temptatus a dyabolo; Daniel destruxit bel & interfecit draconem;* duodecimae: *Dauid subiugauit goliam philisteum; Dauid interfecit vrsum & leonem;* decimae tertiae: *Magdalena penituit in domo Symonis; Manasse egit penitentiam in captiuitate;* decimae quartae: *Pater familias filium prodigum suscepit; Dauid de adulterio redargutus penituit.* Plura non inveni in codice, possesso olim a laudato KELPIO, deinceps a perillustri BREITENAVIO, quem in possessione huius cimelii possessor hodieque illustrissimus excepit. Auctorem, titulum & conclusionem, editionis quoque locum & annum

frustra

ſtra quaeſivi; quibus repertis finiri ſtatim potuiſſet lis huius Speculi ergo orta literaria, qua alii magnum, alii nullum, Harlemenſes, pro origine typographiae vrbi ſuae aſſerenda, praeſidium inde acquirere poſſe, cenſent, etſi omnes fere conſentiant in eo, quod hic liber ad incunabula typographiae pertineat. Sed hanc litem, amplam ſatis ac intricatam, & nunquam forte ad liquidum ſic perducendam, vt nihil plane dubitationis remaneat, meam non facio.

§. VII.

Breviter potius Auctorem, quisquis ille etiam fuerit: nomen enim ipſius plane eſt ignotum, nec vllum eius indicium vsquam inveſtigare potui; eiusque indolem, reſpiciam. Quaeſivit ille typicas & myſticas praefigurationes, in quibus ſi, deſcripturus potiſſimum Salvatorem, ne de aliis dicam, acu rem non ſemper tetigit, condonandum ei facile eſt propter aetatem, in quam incidit, quippe quae accuratum & ſolidum ſtudium exegeticum atque typicum ignorabat adeo, vt ne accenſa quidem Diogenis lucerna potuiſſet inveniri ſacrarum literarum interpres cunctis genuinis ſubſidiis hermeneuticis inſtructus. Quod nimio Mariae cultui fuerit deditus, e tertia & quin-

ta Imagine potissimum ad oculum patet. Ne afferam plura, quae ad eandem temere & inepte pertrahere, non est veritus. Quod sic dictorum Apocatastarum errorem foverit, docet primi dimidii secundae Imaginis descriptio, in qua inter alia: *Et per ipsam* (nativitatem Christi) *est angelorum lapsus restauratus.* Vt vero cernere liceat, quomodo eiusmodi descriptio sit comparata, exhibeo primam in exemplari, quod vsurpavi, quae ad lemma: *Natiuitas dni nri Jhu Xristi*, spectat, sicque habet:

In precedenti capitulo audiuimus de Christi conceptione
Consequitur ut audiamus de ipsius humana generatione.
Hanc generationem non solum angeli videre desiderabant
Sed & patres sancti desiderantes expectabant & clamabant
Emitte agnum tuum domine dominatorem terre
Et emitte lucem tuam & veritatem tuam deus eterne
Ostende nobis faciem tuam & salui erimus
Ostende filium tuum quem expectabamus & querimus
Vtinam disrumperet celos & descenderet
Vt nos de captiuitate dyaboli liberaret
Domine inclina celos tuos & descende
Ad liberandum nos dexteram tue maiestatis extende

Re-

Reminiſcere miſerationum tuarum antiquarum
Veni & recipe nos de poteſtate tenebrarum
Veni domine ut fideles prophete tui veraces inueniantur
Et promiſſiones tue & figure tue compleantur
Veni domine cito feſtina & noli tardare
Relaxa facinora plebis tue & incarnare
Nullus angelus nullus homo ſufficit nos liberare
Libera nos tu pie domine dignatus es nos creare
Miſertus igitur pius deus aſſumpſit humanitatem
Vt deſtrueret diutinam captiuitatem
Qui olim dixit penitet me feciſſe hominem
Factus eſt homo ut captiuum liberaret hominem
Et hunc figuratum quondam in pincerna pharaonis

Luce caplo II

Qui in carcere potitus vidit ſompnum ſue liberationis
Videbat autem ſibi quod coram ſe vitis de terra excreſcebat
Qui in ſe tres propagines ſiue tres ramos habebat
Vitis exorta vuas non protulit in momento ſtatim
Sed incipit florere & vuas producere paulatim
Captiuus cyphum pharaonis in manu tenebat
Et vuas in eum exprimens poculum pharaoni offerebat
Poſt hec audiuit huius ſompni interpretationem
Vt poſt tres dies obtineret liberationem
Illa fuit huius ſompni interpretatio

Sed ista est ipsius mistica prefiguratio
Ante saluatoris nostri humanam natiuitatem
Sustinuit humanum genus miserabilem captiuitatem
Tandem vitis .i. Christus de terra .i. maria excrescebat
Qui in se propagines .i. tres res mirabiles gerebat
Habuit namque in se Christus carnem animam & diuinitatem
Vel tres propagines sunt tres persone sancte trinitatis
Que liberauerunt nos de carcere dybbolice captiuitatis
Non tamen statim post Christi ortum humanum genus est liberatum
Sed quando vinum sanguinis in cruce regi celesti est oblatum
Tertia die postquam hoc vinum in passione est expressum
Genus humanum de captiuitate diabolica est egressum
Hoc vinum celestem regem ita inebriauit
Quod omnem offensam humano generi liberaliter relaxavit
Hoc etiam vinum deus misericorditer reliquit.
Genesis quarto capitulo.

Cur Gen. IV. citaverit, non video. Forsan Gen. IX. 20 & plantatam a Noah vineam in animo habuit.

§. VIII.

§. VIII.

Iudicet hinc Lector indolem Auctoris ad Mysticismum valde proclivis, in quo tamen adhibendo, quod nimium est, modum excedens, coactum, incongruas, imo falsas suggerens meditationes, evitare non potuit. Laudandum nihilo secius in eo, quod, pro modulo suo, Biblia tractarit, adeoque suo etiam docuerit exemplo, quod sacer codex ipsius quoque aevo non fuerit plane neglectus. A fabulis autem eum sibi non omnino cavisse, citata ab ipso Imag. II. p. 2 *Historia Lombardica de natiuitate domini*, vnde fabulam de Sibylla, quae nativitatem Christi praedixisse fingitur, adducere non dubitavit, testatur. Idem comprobant verba Imag. III. p. 1. occurrentia: *Jaspar balthasar melchior nomina sunt magorum.* Et huius generis alia, quae nemo rerum peritus facile in barbari aevi scriptore mirabitur, aeque ac orthographiam, seu cacographiam potius, qua etiam *potitus* pro *positus*, *dybbolice* pro *diabolice* (si hic non errores subsint typographici), &c. legitur. Homoeoteleuticum, quod recentiores rhythmicum, at non satis accurate ex mente veterum, appellare consueverunt, scripturae genus barbaram quoque redolere aetatem, manifestum est. Versus, quos scribere voluisse videtur auctor, sunt ita comparati, vt ad

iuſtam veterum poetarum normam exigi nequeant, quamvis non omni plane temporis ac morae magnitudinisque menſura ſemper deſtituantur. Sed hanc rem in praeſenti non curo,

§. IX.

Modus, quo excuſus hic liber, talis eſt, qualis a citatis ſupra viris doctis, & praeſertim ab VFFENBACHIO atque MEERMANNO, deſcribitur, rudis ſcilicet, impolitus, obtuſus, initia tantum & rudimenta artis, non eius elaborationem commonſtrans, lectionem tamen promtiorem, etiamſi interpunctionis notae penitus ſint omiſſae, non ſemper impediens, ſi excipiantur crebro vſurpata ſcribendi compendia, quae *abbreviaturas* vocant, quibus lectori remora nonnunquam iniicitur.

§. X.

Iſthaec vero omnia non impediverunt, quo minus hic molis exiguae liber, longe rariſſimis merito annumerandus, quem illuſtris VFFENBACHIVS loc. cit. *Harlemenſium palladium* (27) vocat, incredibili fere pretio

(27) P. LANGENDYK in Carmine gratulatorio ad Artificem, qui COSTERI imaginem elegantiſſime

pretio fuerit emtus &, cimelii instar, splendide exornatus. Audiamus vel solum MEERMANNVM l. c. diserte scribentem: *Mense Novembri anni praeteriti casus obtigit mihi sane fortunatissimus. Fortuna enim favente nactus in hac urbe* (Hagensi) *fui librum vetustissimis typis excusum, qui dicitur: Dat Speghel unser behoudenisse (i.e. Speculum nostrae salutis) eundemque mihi comparavi sexaginta florenis nostratibus.* — — *Speculum illud nostrae salutis separatim corio turcico rubro vndecunque deaurato splendidissime & sumtuosissime compingi curavi, sicque ei in instructissima mea & rarissimis libris referta Bibliotheca principem locum dedi.* Exemplar, quod Lubecae vidi, perlustravi, recensui, mutilum licet, *viginti quinque Imperialium*, quos Thaleros

---

tissime in Nummo, supra adducto, sculpsit, apud WOLFIVM Monum. Typogr. P. II. pag. 1232:


Drie Eeuwen zyn verloopen
Het Spiegelboek *legt open*
Dat Haerlem *nog bewaard.*

HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS Holländ. Kirch- und Schulen-Staat P. I. p. 69: *Man soll allhie* (zu Harlem) *aufm Rathhause in einem Kästgen mit grosser Sorgfalt verwahren ein Buch in Seide gewunden, welches, der Harlemmer Vorgeben nach, das Erste gewesen, so gedrucket. Der Titul ist: Speculum humanae Salvationis, wobey viel Figuren.*

leros vocant, pretio fuit comparatum. Sic diverſus eſt hominum genius. Vnde quod nonnulli vix ac ne vix quidem, ob tenuem plerumque formam externam, notitiae interdum etiam defectum, aſpectu dignantur, id alii aeſtimant permagni, ingentique pretio ſibi acquirunt (28). Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

---

(28) LOESCHERVS loc. cit. p. 238: *Saepe aliquo pudore ſuffundor, dum audio, Anglorum proceres noſtra aetate libros a primis typographis editos, & quaſi ex incunabulis typographicae artis eductos, magno aere redimere, ut inde iam aliqua lucroſi commercii ſpecies prodierit, quam & noſtri mercatores cupide arripiunt, ipſaque antiquitatis haec pignora certatim in Britanniam convehunt; cum apud nos nec centeſimus quisque vel intelligat rem, vel ſtatuat his libris aliquod pretium, ſed inter retrimenta bibliothecarum, vel veteres nugas plerique illos referendos putent.*



V.

V.

EPISTOLA GRATVLATORIA
DE
DIGNITATE SENIORIS
die X. Febr. A. cIↄ Iↄ CC LII.

ACCEPTA

ad

Virum admodum reuerendum, amplissimum praeclarissimumque

DOMINVM

M. HENRICVM SCHARBAV

Pastorem Aegidianum meritissimum.

QVA SIMVL

Libri cuiusdam rarissimi notitia redditur

A

M. CAROLO HENRICO LANGIO,

Gymnasii Lubecensis Conrectore, societatum teutonicarum Lipsiensis, Ienensis & regiae Göttingensis, latinaeque Ienensis Collega Honorario.

Quod

Q. D. B. V.

QVOD fero ad TE, VIR ADMODVM REVERENDE! mea ſe inſinuat gratulatio, id, quum ſeria ſit, in malam partem haud interpretaberis. Diu enim eſt, quod hanc, qualiſcumque eſt, ſcriptionem celeberrimi cuiusdam uiri, qui uarias eruditorum epiſtolas in uulgus dare cepit, conlectioni deſtinaueram inſerendam; ſed quum, ſufflaminatum eſſe optimum hoc inſtitutum, ſero intelligerem: nunc, quando commoda ſe offert occaſio, eam nec elabi e manibus, nec meo deeſſe officio, publice uolui. Nouit & agnoſcit merita TVA, quae maxima eſſe, uniuerſus, qua patet, eruditorum orbis uno fatetur ore, LVBECA noſtra; & quo propius ea & curatius perſpicit, quoue certius iis diu perfruitur: eo arctius quoque TE complectitur, iisque honoribus, quibus poteſt, ornare TE ſummo ſtudio adnititur. VENERANDVS ORDO MINISTRORVM SACRORVM, qui TE ſincere colunt, admirantur, amant, non potuit mentem ſuam, qua TE ſuſpicit, explicare clarius, quam ubi, collectis omnium membrorum ſuffragiis, TE collegii ſui SENIOREM publice declarauit, & omni, quae hanc dignitatem comitatur, auctoritate uoluit exornatum. Superuacaneum heic eſſet in laudes TVAS excurrere, cuius eruditio, doctri-

doctrinae sanctioris copia, & uirtus, mascula in astutissimos diuinioris coetus hostes uis, solida & penetrans in suggestu sacro perorandi facultas, summa tandem cum grauitate coniuncta humanitas, multos habuit iam habetque praecones, eosque disertissimos, ita, ut mihi, si accederem, uerendum esset, ne detererem potius uirtutes TVAS, quam eas eueherem. In uotis ergo, purissimo animo susceptis, occupor, precorque DEVM IMMORTALEM, ut hac dignitate, ad quam iure quodam TVO euectus es, quam diutissime laetus uiuusque perfruaris. Sustentet ille insignes animi dotes, quas in Te, uel inuidia praedicat! largiatur idem uegetam senectutem, eamque, quoad eius fieri potest, incommodis liberam esse iubeat! sufficiat porro TIBI robur, exantlandis tot laboribus, qui cum muneribus TVIS & noua etiam dignitate coniuncti sunt, pernecessarium! ut, quod adhuc cum laude fecisti, in posterum quoque coetus *Lutherani* columna fidelis, LVBECAE TVAE litteratae decus ac ornamentum, familiae TVAE & amicorum, quos plurimos habes, subsidium & gloria serissimam ad aetatem, & post mortem quoque, celebreris.

NE autem in nudis uerborum ambagibus haeream: facile, quae TVA est humanitas, patieris VIR ADMODVM REVEREN-DE! ut, qui ipse librorum rariorum quasi

pro-

promus condus es, eorum, quae de nonnullis scriptis rarioribus uberius percensendis collegi, aliquam partem TEcum communicem; non, ut TE docere audeam, quod sane stolidissimum uideretur; sed ut aliis, quibus non eadem data est rariora inspiciendi, nedum possidendi, facultas, uoluptas quaedam aut commodum inde oriatur. Quod institutum, ubi TIBI adrisisse intellexero, magnum me fecisse operae pretium, aperte profitebor.

LIBER hic, quem, ante reliquos, cura dignum aliqua existimaui, hac insignitus est inscriptione: (*) *Mediolanenses Antiquitates ex Vrbis paroeciis collectæ, ichnographicis ipsarum tabulis, recentibus rerum memoriis, variis Ecclesiasticis ritibus auctæ & illustratæ, opera & studio IO. ANT. CASTELLIONAEI I. C. Sacræ Theol. Doct. & Vicarii perpetui Abbatiæ S. Vincentii in Prato. ad illustriss. & reverendiss. DD. CAROLVM CARAFFAM Episcopum Auersanum, Commendatarium Abbatiæ S. Vincentii in Prato Mediolanen. & Prioratus D. Albini Vigileuen. Apostolicumque Nuncium apud Cæsaream Maiestatem. MEDIOLANI, Apud Ioan. Bapt. Bidell. superiorum permissu & Privile-*

(*) retenta est orthographia ipsius auctoris, quod etiam in reliquis locis ex auctore producendis, obseruabitur. Rationem instituti lector facile suspicabitur.

vilegio. M. DC. XXV. 4. praefatio & poemata plagulas continent 6½ opus ipsum paginas 287. *index 3 plag.*

POSSE hoc opus rarissimis adnumerari, uel inde satis patet, quod in numerosissimis librorum catalogis rarissime legitur. Rarissimis illud adscribit eruditissimus & in hoc studiorum genere uersatissimus IOANN. VOGTIVS in *catalogo historico-critico librorum rariorum* p. 178 edit. nou. IOANNES GEORG. GRAEVIVS integrum *tomo III. thesauri antiquitatum & historiarum Italiæ a p. 325 - 576.* inseruit. Quo in thesauro, quum IACOBVS PERIZONIVS, qui post mortem GRAEVII praefationem praemisit, commemoret, nullos nisi rarissimos & praestantissimos libros fuisse admissos: facile inde dignitatem aeque ac raritatem Antiquitatum nostrarum Mediolanensium iusteque concluseris. Sed quando paucis eruditorum datum est, pretiosum hunc, nec satis obuium thesaurum euoluere, ipsa PERIZONII uerba huc transferre haud uerebor. ita uero fol. (4) *praefat. Nec enim*, inquit, *opus judicabat, neque laudi sibi putabat, fore Vir sapientissimus, cogere eruditos, aut litterarum amantes, ut eadem saepius sibi compararent; quod fecisset utique, si in hoc tam copioso utilissimarum rerum thesauro, etiam vulgaria, & quae separatim quilibet iam habebat, miscuisset tot aliis, quae non tantum dignissima erant,*

erant hoc loco, ſed & quorum vix ulla amplius, ſiue librariis in tabernis, ſiue in auctionibus publicis occurrebant deſiderantibus exemplaria. Sic enim demum iuſtum ſe operae facturum cenſebat pretium, ſi tibi hic exhiberet lector, non tantum optimos quosque ſingularum ciuitatium ſcriptores, ſed ſimul etiam tales, quorum magna iam dudum erat penuria. Haec qui conſiderat, num de raritate noſtrarum antiquitatum uel dubitare potuerit?

EA igitur quum fortuna fruar, ut primam, cuius pauca tantum edita ſunt exemplaria(*), editionem ex publica quadam auctione, uili prorſus pretio redemerim, eamque cum Graeuiana ἐκδόσει conferre poſſim: ſpero fore, ut, ſi plenam harum antiquitatum publicem recenſionem aliquam, non ingratam librorum iuſtis aeſtimatoribus operam exhibeam.

AD uitam CASTELLIONAEI quod adtinet, apud omnes, qui in eruditorum fatis deſcribendis occupati ſunt, nihil fere occurrit, niſi quod hunc librum euulgarit, quem GRAEVIVS theſauro ſuo inſeruerit, & in celeberrimi IOCHERI allgemeinem Gelehrten *Lexico Tom. I. p.* 1753 error etiam patriae irrepſit, & *Mediolanum* pro *Venetiis* legendum eſt. Quum uero CASTELLIONAEVS ipſe in hisce ſuis antiquitatibus Mediolanen-

(*) uid. VOGTIVS l. c.

nensibus quaedam ad uitam suam pertinentia commemorauerit, ea quin huic recensioni insererem, intermittere non potui.

ANNVS, quo natus est, itemque mortuus, adhuc latet: illud autem, quod Mediolanum ipsi patria fuerit, *ex fasciculo VI. harum antiquitatum* p. 173 didici. De maioribus eius, quos ueneratus est, sequens carmen a IOA. BAPT. GVALA Art. & Med. D. huic operi praemissum, testatur.

COELESTINVS oues ut coeli ad pascua duxit,
Purpurea cinctus chlamide BRANDA fuit.
Vt posuit toti leges GVARNERIVS orbi,
Insubrum sedes sic BONATVRA (*) dedit.
Tu CASTELLIONAEVS eorum germine natus,
Tot simul, & patriam lucida imago refers.

Fuit non tantum Theologiae Doctor & perpetuus Vicarius Abbatiae S. VINCENTII in Prato Mediolanensi, sed etiam Doctoris Iuris honoribus condecoratus est: quod cum titulus operis, tum carmina quaedam in eius honorem elaborata satis confirmant. Fuisse eius

(*) Pro BONAVENTVRA.

eius eruditionem & merita magni aeſtimata, docent litterati fere omnes, qui eius aetate uixerunt, & SEBASTIANVS MARTIGNONI eum non modo magnum hiſtoricum, ſed poetam quoque pereximium dixit in eo, quod iam adſcribo, epigrammate:

Hiſtoricis foecunda domus, foecunda Poetis
Iam redit in priſcum, TE duce læta, decus.
Hiſtoricum Tu quemque præis, Tu quemque poetam
Queis Tua ſe quondam vexit ad aſtra domus.
Sic veterum monumenta legis, ſic carmina condis,
Quisque Tibi ut Vates cedat & Hiſtoricus.

Nimis heic ingenio indulſiſſe poetam, nemo non fatebitur, qui CASTELLIONAEVM ipſe legerit. Quamquam enim hiſtorici gloriam nominis ipſi non inuideamus: poetam tamen eum latinum eſſe, qui *Antiq. faſc. III. p.* 83. 89. & alia legerint, uix poterunt concedere. Quum Cardinalis, quem dicunt pontificii, FEDERICVS BORROMAEVS, qui ſimul Archiepiſcopus Mediolanenſis erat, anno cIↃIↃ C IX. oſſa trium martyrum, QVIRINI, NICOMEDIS, & ABVNDII uiſenda & recognoſcenda traderet, noſter ſolemni huic cerimoniae cum multis aliis inter-

terfuit (*), quo anno iam dignitate quadam ecclesiastica insignitus fuit (**). Anno subsequenti cIɔ Iɔ CX. parochus erat intra portam fabiam in triuio, *ubi*, ita habent ipsa eius uerba (***), *lapidea columna Thusci ordinis, cuius in epistylio aurata crux, quæ fere quatuordecim abhinc annis, statis de more precibus*, a me parocho benedicta, *debita veneratione coli coepta, adhuc concursu colitur non vulgari.* Anno cIɔ Iɔ CXV. Vicarius perpetuus iam fuerit, necesse est, quoniam *primarium lapidem* in oratorio ad D. *Caloceri* (****), quod fanum Abbatiae suae adiunctum fuit, posuerat. Quomodo ad Vicarii dignitatem peruenerit, ipse commemorat (*****). *Vicaria*, inquiens, *eadem mihi dignitas est delata ex electione & designatione nominatim facta ab illustrissimo CAROLO CARAFFA, in supra laudati Cardinalis locum subrogato. Is enim unum me non solum præter spem & competitorum omnium opinionem: verum etiam, cum nulla mea in eum exstarent merita, curatum secundum esse voluit. pro quo beneficio cum parem gratiam referre me numquam posse certissime sciam, grata saltim illud mentis significatione, sempiternaque memo-*

(*) uide *Fasc. III. p.* 75.
(**) uid. *Fasc. IV. p.* 108. 119.
(***) *Fasc. VIII p.* 247.
(****) *Fascic. X. p.* 276.
(*****) *Fascic. VI. p.* 231.

ria colam, ſemperque plus me externo principi & nobiliſſimæ BALBORVM familiæ debere fatebor, quam noſtratibus viris quibusdam primariis, ac potentibus, eorumque miniſtris, qui, cum ſe mea cauſa velle omnia profiterentur, nihil denique voluerunt. Fuiſſe noſtrum quoque aliquando Rectorem Collegii Tægiorum ad D. Simonis Mediolani uideo itidem ex *his antiquitatibus* (*), quamquam annum non expreſſerit. Refertur alias iure merito inter eos eruditos, qui in edendis ſcriptis ſuis nimis ſunt timidi, licet quod timeant, non admodum habeant. Hinc erat, quod HIERONYMVS BOSSI, Patricius Romanus & tum temporis Profeſſor regius eloquentiae Mediolani conſtitutus, eum multis precibus ad edendas antiquitates inuitaret, immo minas addere cogeretur. Audi eius carmen huic libro praemiſſum:

Flectere ſi nequeo precibus Te, carmina mentem
Immotam, ac nequeunt flectere noſtra tuam:
Voce quiritabo, feriet quæ ſidera coeli,
Atria quæque ſono Cæſaris alta petat.
Audiet inde meas voces CARAFFIVS, Heros
Herculeum ducens ab IOVIS arce genus,
GREGORII qui ſancta patris dum iuſſa capeſſit,

FER-

(*) *Faſc. VII, p. 214.*

FERNANDO(*) *retinet vocibus ora suis.*
Is Vincentiani coget decora inclyta templi
Te vulgare sui, Te dare & illa typis.

Fortasse non diu post antiquitatum harum primam partem diem suum obiit, propter ea quod continuatio syntagmatis in ipso libro plus semel promissi edita in lucem non est.

ACCEDO iam ad opus ipsum, quod figuris quibusdam aeneis, quamquam non affabre satis sculptis, exornatum fuit. Ipse iam libri titulus circumscriptus est figuris quatuor martyrum, QVIRINI, NICOMEDIS, ABVNDII & VINCENTII. Sequitur dedicatio *ad illustrissimum ac reuerendissimum D. D. CAROLVM CARAFFAM, Episcopum Auersanum, Abbatem D. Vincent. Mediol. praepositum S. Albini Vigleuenens. sedis Apostolicae Nuncium apud Caesaream maiestatem*, qua eius illustrem ortum, animi dotes praeclarissimas, & in ecclesiam eiusque caput merita plurimis extollit laudibus. Commemorat praeterea beneficia in se collata, quae praecipuam suae dedicationis caussam dicit, bonisque uotis, ardentissimisque precibus, colophonem epistolae imponit. Subscriptum est dedicationi: *Mediolani kalendis Augusti* 1625. excipiunt hanc AVGVSTINI TERZAGI S. T. D. Protonotarii Apostolici

(*) pro FERDINANDO metri causa.

& Canonici Mediolanensis poemata duo, quorum alterum ad CAROLVM CARAFFAM, alterum ad CASTELLIONAEVM ipsum respicit. Prius uitae partem Cardinalis poetice edisserit, posterius epigrammatis formam habet. Sequuntur elegiae quaedam breuiores in CARAFFAM & CASTELLIONAEVM, auctore FELICE OSIO, qui tum temporis S. Th. D. & Professor eloquentiae Patauii fuerat. Subsequens pagina epigramma LAVRENTII PIGNORIAE, Historici Patauini ad CASTELLIONAEVM continet: quod excipit nouus libri titulus: *Antiquitatum Paroeciae D. Vincentii in Prato florilegium, duas in partes distributum. Pars prima.* Omissa quidem est haec noua libri inscriptio in editione Graeuiana, sed ideo notari meretur, quod inde clarissime adparet, duas in animo habuisse CASTELLIONAEVM huius libri partes euulgare. In auersa huius inscriptionis pagina legitur supra memorati BOSSI συμβȣλευτικὸν ad IO. ANT. CASTELLIONAEVM, ut suum edat florilegium antiquitatum Mediolanensium, quod excipit epigramma eiusdem BOSSI. Leguntur porro BENEDICTI SOSSACI, IACOBI PHILIPPI OPICELLI, PETRI IACOBI, ARRIGONII, D. AVGVSTINI LAMPVGNANI, VINCENTII CASTELLIONAEI, IO. BAPT. GVALAE, SEB. MARTIGNONI, HIERON. PVESTERLAE,

LAE, IO. BAPT. SITONI, IO. VILLAE poemata, quae cuncta in honorem auctoris nostri adposita sunt. Admonitio typographi, quae iam subsequitur, digna est, quae & huc referatur: *In his carminibus digerendis*, ita uerba habent (*), *ne locus ullus reliquus esset querimoniis eorum, qui sibi primas non deferri aegre ferunt, ex litterarum serie ac sorte ea digerenda censuimus. Quod si quædam postremo, quæ priore loco erant collocanda, excusa vides, ea non ut deteriora, sed ut minus opportune exhibita posthabita fuisse noveris.* Iam demum sequitur praefatio ad lectorem, quae a GRAEVIO statim dedicationi subnexa est. Proponit ea primum occasionem, qua ductus auctor hoc opus sibi suscipiendum arbitratus sit, quae mandato CARAFFAE, Abbatis sui fundata est, quod ex comparatione multorum, quae in his fasciculis occurrunt, locorum luculenter apparet. Primum quidem nihil sibi constituerat aliud, quam ut de trium martyrum, QVIRINI, NICOMEDIS & ABVNDII morte ageret, locum & tempus martyrii ipsosque tyrannos, sub quibus coronam illam uictricem abstulerant, aperiret, tandem modum rationemque, qua Mediolanum translati fuerint, expiscaretur. Quum uero sub ipso labore uaria se obferrent notatu

 dignis-

(*) *In praef, litt. e.*

dignissima, quae ad inlustrandas reliquarum paroeciarum antiquitates facere quidquam uidebantur, placuit auctori haec omnia, flores uelut hinc inde collectos, ex confusis illis priscae memoriae monumentis digerere in peculiares locos, quo naribus admoti piorum, si non eas recreare, saltem excitare possent ad alios, iis suauiores, in posterum decerpendos in iisdem hortis. Placuit etiam opellam suam eam ob caussam florilegium nominare, collectosque flores per fasciculos potius, quam per capita dispertiri, quod etiam pratum illud S. Vincentii postulare uidebatur. Commemorat hinc, quae ueritatis cupido & sinceritas ipsi insit. *Ac ne in furto deprehenderer*, ipsa sunt auctoris uerba, *quorum etiam lectione profecerim, verecundia ingenua profiteri studui. Ideo quæcunque animaduersa nobis in hoc excursu sunt, ex fide non tam bona, quam optima, referemus.* Indicat porro noster, quae in his excursibus memoratu digna produxerit. *Reperiet passim*: inquiens, *in his lector, non contemnendas venerandæ antiquitatis inscriptiones, lapides non vulgares, elogia clarissimorum hominum, tumulos maiorum cineribus excitatos, & alia eiusmodi priscæ memoriæ monumenta, quæ neminem umquam poeniteat reperisse.* Postquam hinc suam in dicendo inopiam excusarat, addit: *nullam porro afferimus excusationem styli crassioris, quum historiæ præcipua virtus sit ve-*

ritas

ritas, cuius sermonem breuem esse decere, nudum simplicem & apertum EVRIPIDES docet. Quibus in uerbis humani quid passus esse CASTELLIONAEVS uidetur, quales memoriae defectus plures commemorat in præfatione supra commemorata PERIZONIVS. sine dubio uel CICERONEM, uel LVCIANVM, uoluit dicere, quum a tragico poeta haud facile quisquam historiae leges expectauerit descriptas. Excursus, quos hinc inde facit, ita excusat, ut rerum uarietate gratiam aliquam libro conciliaturum se speret, taediumque, quod facile lectori, uni rei attento, subreperet, sic sublatum iri magna ex parte, confidat. Addit & hanc caussam: *Fuit mihi quoque non uno in loco a proposito tramite deflectendum, ut controversias aliquot cum amicis amice subortas de medio tollerem, quas sub iudice relinquendas esse diutius non putabam. Habebunt mihi quidem certe pro huiuscemodi prolixitate gratiam non vulgarem ii, qui res a memoria nostra longe dissitas ac remotas obuiis ulnis excipere consueuerunt. Multa enim antiqua, vetusta, semisepulta, in hisce digressionibus luci dedimus, quæ circum se fusis e tenebris tempore nullo fortassis in posterum emersissent, nisi ex illis nostra nunc industria emersissent.* Intermittere non possum, quin & ipsam praefationis conclusionem huc transscribam. *His igitur*, ita inquit, *veluti præsidiis communitum* FLORILEGIVM

noſtrum lucem in apertam prodit hilari & ſerena fronte, qua ſi BENEVOLE LECTOR *idipſum exceperis, prope diem fortaſſe accipies alia, in argumento non diſſimili, diſſimili ſtylo, collecta ex eadem manu. Sin aliter evenerit, ipſa nos conſcientia iuuandi quam plurimos recreabit. Legas tu tantum velim, quæ præſenti damus* EA LEGE, QVA INTER BONOS BENE AGIER OPORTET. EX AEQVO *ſcilicet* ET BONO *antequam florum noſtrorum ex numero quemquam cenſeas, iudices, vel expungas maiorum more. Interim bene vale! & æternum viue, ut maiores ipſos in ſtudio pietatis. cuius attingendæ ſtudio labor iſte noſter totus inſervit, longo interuallo vincas.*

ADPARET poſt hanc praefationem nouus hic libri titulus: FLORILEGII MEMORABILIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO PARTIS PRIMAE SECTIO PRIMA. DE BASILICA VINCENTIANA. Qui in theſauro Graeuiano non legitur, fortaſſe ideo, quod in eo uerba *Partis primae* leguntur, cuius tamen ſecunda pars numquam lucem adſpexit. Excipit hunc titulum *cenſus auctorum, qui hic citantur, illuſtrantur, emendantur;* quorum numerus 181 auctores complectitur, ſecundum litterarum ordinem deſcriptos. Sequitur *ſynopſis primae decadis faſciculorum florilegia Prati Vincentiani.*

JAM

IAM ipſum opus incipit, cuius *ſectio prima octo faſciculos*, altera *unum* nimirum *nonum* in ordine, tertia itidem *unum*, ſcilicet *decimum* continet.

PRIMVS faſciculus a p. 1 usque ad 37 ea, quae ſequuntur, legenda exhibet. „TEMPLI VINCENTII *antiquitas & origo. Dicatum initio* IOVI. *Mentio* S. Johannis" Quatuor Facierum, Bifrontis & Quadrifrontis Iani: Probi Cominii. *Formulæ dedicationis* ex voto. Conditores *eiusdem*, & habitatores primi. Deiparæ *poſt* dicatum. *Primam Euangelii ſementem inibi a S. Barnaba videri factam.* A *Quibus & quando* inter Vrbis Paroecias numeratum. Inſcriptiones *eiusdem*, & tumuli, *qui ſuperſunt a tenebris vindicati, ſublato Cottæ diſſidio cum Alciato. Vnum* e XII præcipuis Mediolani Baſilicis eſſe." Occurrunt heic elegantes quaedam inſcriptiones optime declaratae.

SECVNDVS faſciculus a p. 38 - 61 haec continet: „Variae Templi FORMAE. ROTVNDANE fuerit an QVADRATA. De aliis quæſitum ordine, præcipue de poſtrema, in qua ARA MAXIMA, CONFESSIO, SACELLA MINORA DVO, BAPTISTERIVM, ſacra Turris & Campanae, ſacrarium, PICTVRAE NOVAE, AC VETERES, Nouenarii minorumque eius ergo Numerorum aliquot myſteria recenſita, appictaque ad finem totius tem-

„pli

„pli & Paroecialis domus Ichnographica „Tabella, quam conſtruxit IO. ANGELVS „CRIBELLVS (*).“

TERTIVM faſciculum orditur pag. 63 & claudit pag. 90. contenta eius haec ſunt. „De Sanctis Martyrum trium, QVI„RINI, NICOMEDIS & ABVNDII corpo„ribus. Arcæ eorundem primus & po„ſtremus locus. De Confeſſionibus & coe„meteriis obiter. Deſcriptio Arcæ & figu„ra. *Latentes in ea* Martyres *iuſſu* FEDERI„CI BORROMAEI, *Card. & Archiepiſcopi* „*Mediolanenſis viſi. Martyrium eorundem ac* „*palma, multiplici carmine celebrata.*“ Ex p. 75 patet, iuſſu huius Cardinalis, adiuuante Ticinenſis Portae praefecto, ipſum CASTELLIONAEVM ad acta horum martyrum colligenda & publicanda fuiſſe commotum.

QVARTVS faſciculus a p. 91 usque ad p. 121 haec momenta pertractat. „Ratio„num momenta X de translationibus SS. „QVIRINI, NICOMEDIS & ABVNDII „Mart. Primus ex Pannonia delatus initio „Romam, deinde Mediolanum ad D. Vin„centii Templum. Angilberti tres. Quor„ſum Crux in Tumulo Giſelberti. Io. Molani

(*) uid. *Faſc. II. p.* 61. elogium huius uiri copioſius deſcripſit *Faſc. VII. p.* 230. it. *p.* 246.

lani ſententia ea de translatione & alterius "
de tribus regibus ad D. D. tumulum re- "
pudiata. NICOMEDES ad Romana moe- "
nia tumulatus in Vrbe mox ad catacombas "
ad D. tandem Vincentii Mediolani. Phi- "
lippi Ferrarii lapſus in eo Cathedrali Par- "
menſi temere tribuendo. D. ABVNDII "
& ſociorum translatio Mediolanum. Ve- "
riſimilitudinum vis & locus. Fama, Tra- "
ditione, ſcriptis Puplicis, M. S. Codici- "
bus, Diplomatibus, Apoſtolicis, Pictu- "
ris, Viſitationum actis, Reliquiarum ipſa- "
rum inſpectione res omnis euidentiſſime "
comprobata. Admirabiles Putei ad ſepul- "
cra ſanctorum. Munificentia Longobar- "
dorum Regum in S. ædibus extruendis. "
Epilogus verecunda ſcriptoris excuſatione "
concluſus.

QVINTVS faſciculus a p. 122 usque ad p. 144 ſequentibus rebus impletus eſt, quas itidem auctoris uerbis adducemus, „ Sacra alia corpora Baſilicæ *Vincentianæ*. In- "
ſubrum antiquæ ſedes, ubi primo con- "
ditæ. Vrbes olim ad amnes. Ticinenſis "
Portae commendatio ab acceſſu D. Barna- "
bæ, Citadella, publicis locis. Sanctorum "
ſepulcra in hortis. A DEO DATI plu- "
res. Horum quis in D. VINCENTII "
templo, quisue Gallianum translatus. "
Feſtus eiusdem dies Tumulus & ſacellum. "
S. VINCENTII reliquiæ & earum virtus. "
„ Inde

„ Inde templo nomen. Templum eiusdem „ aliud ad Garumnam. Venantii versus ex- „ pensi. Illustriora quædam alia D. VIN- „ CENTII templa apud Gallos, Hispanos & „ Mediolanenses. Vera de corpore D. VIN- „ CENTII historia. Sanctorum aliorum re- „ liquiæ in D. VINCENTII templo. Laus „ earundem & Vincentiani Prati. De cultu „ & veneratione sanctorum, nec non, & „ RELIQVIIS & Præsidiis eorundem.

SEXTVS fasciculus pergit a p. 145 ad 195 & sequentia commemorat: „ Ex occa- „ sione Monachorum Coenobii D. *Vincentii* „ Monachalis instituti antiquitas, etymon, „ Principes. Regulæ. Lupercorum gens FA- „ BIA apud D. *Vincentii* Coenobium habi- „ tare solita. Sepulturæ genera duo, ritus „ sepeliendi plures. LVPERCOS post Euan- „ gelii lucem solitarios, Heremitas, Mona- „ chos tandem dictos. Vincentianum tem- „ plum *Beatissimæ Virgini* quis dicarit? Coe- „ nobium a quo conditum. *Benedictinorum* „ apud Mediolanenses initia & incrementa. „ Qui lapsi in assignando Monasterii Monia- „ lium S. Vincentii conditore. *Vincentiano-* „ *rum Monachorum* laus, regulae, mores & „ instituta. Historia de dente & aureo al- „ tari S. Ambrosii deque sanctis eiusdem „ Protasiii, & Geruasii Martyrum corpori- „ bus, & Heriberto Archiepiscopo quædam. „ Mediolani exscidium a Rubro barbo."

IN

IN fasciculo SEPTIMO leguntur a pag. 196 - 251 momenta haec: „Coenobii D. Vincentii opes. Paroeciæ fines. VITRIAE" origo, cursus, nomina cloacæ. NERO." CANOSA. CLVSIA. CANTARANA." Coriariorum & Capucinorum nouæ & an-" tiquæ sedes. BVRGATIORVM ius, ars," riuus. Vipera Vicecomitum. Vetræ an-" tiquitas. VECCHIABIA. Tributarii D." Vincentii. FABIORVM Vicus & Porta," eorumque aduentus Mediolanum. SAR-" COPHAGI nomen vetus. Sepulcra rosis" spargi & ornari solita. MOLLITER OSSA" QVIESCANT. Formula sepulcralis. HY-" MENEI ad Pontem Fabium statua decla-" rata. Nuptiarum ritus. Vera de eadem" statua auctoris sententia. Alia Coenobii" Vincentiani iura. De Præpositura D. Al-" bini, S. Vincentii VICARIATV perpe-" tuo, Sacerdotiis SS. Viti & Xisti, Delu-" bris D. D. Christophori, Catharinæ, Ca-" loceri & amentium Xenodochio scitu ple-" raque non indigna."

COMPENDIVM octavi fasciculi a pag. 234 - 251 hoc est: „Paroecialis muneris" dignitas & Origo. Paroeciæ cur diuisæ" suisque singulæ terminis definitæ. Vr-" bium & prouinciarum cura Præsulibus." Minorum locorum minoribus sacerdotibus" MEDIOLANENSIVM paroeciarum NV-" MERVS maior & minor. Late patens Iu-"

„ris

„ris Paroecialis campus , ſed a Religioſis „Mendicantibus vſurpatus. Parochorum „nomen multiplex dignitatis plenum. Onus „eorundem, conditio calamitoſa. VINCEN-„TIANAE Paroeciae fines vndequaque di-„menſi & deſcripti ichnographica in tabella. „Catholici olim ſolis in paroeciis humari ſo-„liti. Paroeciæ Vincentianæ laus variis ab „adiunctis, ac præcipue ab artibus auri cu-„dendi, filis ſuperinducendi ſericis, eius-„demque ab argento ſeiungendi.

FASCICVLVS NONVS, qui totam ſectionem ſecundam efficit, & a pag. 252 ad 268 pertingit, huius eſt tenoris, ſi contenta ſpectes: „Delubrum S. CHRISTOPHO-„RI ubi, quando & a quibus conditum or-„dine quæſitum. In auguſtiorem formam „EX VOTO a Ciuibus Mediolanenſibus „redactum. Qua cauſſa ſint DIES DVO „FESTI apud Mediolanenſes in honorem „S. CHRISTOPHORI, & in eis Ciuium „curſus ad Templum, vbi Sancti reliquiæ „& imagines plures. Quædam de eiusdem „ſancti die feſto, & Templo apud Laudenſes, „in quo ſerpentis ſpina poſita. Imago S. CHRI-„STOPHORI qua de cauſſa in ſuburbiis, „viis publicis & extra Templa frequenter „picta. Sub titulo D. CHRISTOPHORI „HOSPITALIS DOMVS primum, deinde „ſocietas ex nobilibus præcipue viris inſti-„tuta. Quantitas redituum eius ſocietatis

exami-

examinata. Ius Abbatiæ & Parochi D. "VINCENTII decreto Archiepiſcopalis Vi- "carii confirmatum in æde S. CHRISTO- "PHORI, & eiusdem Aedis forma expli- "cata."

DECIMVS & ultimus Faſciculus, qui a pag. 269 ad 288 pertinet, huiusque primae partis *ſectionem tertiam* complectitur, ediſſerit uberius, quae compendium ſubſequens paucis indicat. „PHANI D. CALOCERI antiquitas & fama. Primum ex mira fontis "inibi ſcatentis origine declarata; tum Re- "gii diplomatis teſtimonio confirmata; il- "luſtrata deinde ex baptiſmo D. SECVNDI "peracto in eo ab SS. Martyribus, FAV- "STINO, & IOVITA. FONTIS eiusdem "ſitus. Ciuium frequentia ad illum. Sa- "crum olim ibi Religioſarum ſeptum. Ima- "ginis antiquæ BEATISSIMAE VIRGI- "NIS MARIAE, ad Seruatoris crucem ſtan- "tis, prodigii anno 1519 *ſucceſſi*, munerum- "que eius occaſione datorum deſcriptio. Pro- "cedente æuo ſocietates variæ ſub diuerſis "nominibus ibidem erectæ. Poſtrema "SANCTISSIMI CRVCIFIXI nomine nun- "cupata adhuc durat & floret."

SVB finem adiuncta eſt Tabula ichnographica totius abbatiae, per CRIBELLVM delineata, quam excipit *ſyllabus rerum memorabilium, quae in prima florilegii parte continentur*, complexus plagulas 3. In editione Grae-

Graeuiana neque ſyllabus hic, neque notae, ad marginem poſitae, magnique uſus aeſtimandae, occurrunt. Dolendum praeterea, erroribus, a typographo commiſſis, non ſatis eſſe cautum. Quamquam enim integra pagina commiſſorum plena errorum eſt, nondum tamen grauiſſima peccata omnia ſuſtulit auctoris diligentia.

SVPRA iam quidem adnotatum a me fuit, ſuſcepiſſe auctorem hoc conſilium, ut, *duabus partibus* laborem omnem complecteretur: pleniorem tamen huius rei notitiam in concluſione faſciculi X (*) inuenio, quae digna eſt, ut heic tota legatur. *Hæc habui, quæ de antiquitatibus Phani, D. Calocero ſacri, litteris conſignarem. Nam, quod attinet ad dona coeleſtia, quibus affici conſueuere fideles, ad D. Caloceri, undique confluentes, iam tum, quum ageretur annus* MDC XVII. *& etiam num hodie afficiuntur in dies magis, ac magis, ea me commodius perſequuturum arbitror,* IN ALTERA FLORILEGII PARTE, *in qua præterea, ſuperioribus Eccleſiaſticis bene volentibus, complectar celebritatem aſſiduam populi frequentiſſimi, qua ædes illa quotidie colitur, nec non & ingentem ſtipem Deiparæ oblatam, cuius inibi effigies gratiis innumeris nitet, ſiquidem Votis Deus annuerit, & otium conceſſerit, quod optamus. Styli porro, quo duos poſtremos faſciculos*

(*) *p.* 287.

los exarare libuit, ut operis forma iusta esset, veniam rogamus a lectore nostro. Cum enim typographi properarent ad metam, mihi quoque festinandum fuit, ne desisterent ab incoepto. Ea re factum illud est etiam, ut minus esse debuerimus eruditi, quam in primis octo fasciculis extiterimus, ac ob id etiam scriptorum testimonia, sine verbis eorundem, in medium attulerimus, quod alias non egeramus, ut rem ageremus, ubicunque deceret, tabulis, quod asserunt, obsignatis. Hæc igitur æqui, boni, consulet noster lector, ut voluntatem erga se propensam, & bonam, si minus res ac stilum, probare poterit. Finem hic scribendi faciam, & PRIMAE PARTI FLORILEGII PRATI PAROECIAE VINCENTIANAE *coronidem imponam, occupationum nouarum turbinibus abreptus alio, ne* ALTERAM *eiusdem* FLORILEGII PARTEM *in lucem edam. Ac licet queri mecum grauiter videatur* PARAPHODOCHION *nobis proximum, & annexum, historico plane calamo dignum,* quod se tacitum præterire silentio velim: *de me tamen nullus ei erit expostulandi locus, si operæ nouæ nunc parcens, ea, quæ de eo hactenus obseruaui, posterorum memoriæ transmittam,* & IN SECVNDA FLORILEGII PARTE *peculiari fasciculo includam. Aliarum Vrbis paroeciarum* ANTIQVITATES SINGILLATIM SCRIBERE EST IN ANIMO, *si hasce D. Vincentii Paroeciæ beneuolis patriæ saltim ciuibus placere cogno-*

H 2 *uero,*

uero, ſtylo tamen alio, ad vernaculum propius accedente, ut omnibus etiam Latinæ linguæ ignaris facere ſatis, vel certe aliquo modo inſeruire me velle apertum ſit atque perſpicuum. Quam ob rem cum ad decimum faſciculum peruenerit hæc PRIMA PARS FLORILEGII NOSTRI *veluti pari numero æquata* DVABVS IAM EXCVSIS DECVRIIS DE HONORIBVS ECCLESIASTICIS:

Conticeo tandem, factoque hic fine, quieſco.

Præpotenti Deo in ſempiterna ſeculorum æternitate ſit laus & gloria, ſanctiſſimæ Virgini, Matri puriſſimæ, beatitudo perennis & magnificentia: atque Beatiſſimo Leuitæ & Martyri Vincentio, huiusce paroeciæ tutelari Diuo, honor decusque immortale.

EX his aliisue antiquitatum harum Mediolanenſium locis haec adhuc obſeruanda propono:

I. AVCTOREM noſtrum antea iam *duas decurias de honoribus eccleſiaſticis*, forte Mediolani publicaſſe (*): quarum mentionem a nemine huc dum factam recordor.

II. Ipſummet praeterea commemoraſſe(**) *Antiquitates D. DIONYSII Caſſanenſis luci publicae a ſe datas eſſe Mediolani* An. MDCXVII. qua forma prodierint hae antiquitates prorſus ignoro, & raritas libri uel inde probatur, quod in nullo, quos legi, auctore eius mentionem factam inuenerim.

III.

(*) *Faſcic. X. p.* 288. (**) *Faſc. VII. p.* 225.

III. Plerasque ad alteram florilegii partem quae spectarent res & historias se iam collegisse; opus autem tum, quum ederet primam partem, nondum plane fuisse elaboratum (*).


IV. Tandem ipsi fuisse in animo, *aliarum quoque paroeciarum Vrbis Mediolani antiquitates sigillatim ut scriberet.* Quod utrum, & quam ob caussam non susceperit institutum? cognitum mihi ac perspectum non est.

AD finem tandem huic recensioni imponendum propero. Non possum tamen intermittere, quin elogium huc adscribam, quod CASTELLIONAEVS celeberrimo, qua orbis patet eruditus, uiro IO. KIRCHMANNO nostri olim Gymnasii RECTORI dignissimo, adscripsit. *Vt multis*, ita loquitur CASTELLIONAEVS (**), *& omnium quidem disertissime probatum est a IOANNE KIRCHMANNO lib. II. de funeribus Romanorum cap. 20. & deinceps usque ad 25. cui profecto gratias immortales debent antiquitatis studiosi omnes pro argumento hoc adeo dilucide posteris explicato, vt ego certe debeo iure meritoque, ac ut alii mecum habeant, rogo.* Ignorauit, prout uidetur, uir doctus & sectae suae defensor acerrimus, fuisse KIRCHMANNVM LVTHERANA HAERAESI imbutum: alias enim

(*) leg. *Fasc. X. p. 287. Fasc. VIII. p. 246.*
(**) *Fascic. VI. p. 251.*

KIRCHMANNVM, idem quod MELANCHTHON fatum subiisset: quem pessimum haeresiarcham (*) nominat. Quum pauca sint & animum hominis praeclarissime detegant, eius uerba producam iisque labori finem imponam: *ad explicandas autem allegoricas picturas — — — non ineleganter se habet LAVRENTIVS XERISANVS in libris, quos restituit de ratione studii Theologici, quamvis eum nequaquam sequamur in eo, quod de Martyrio huius Diui dubitare videtur.* ut, quam possumus, longissime a Philippo Melanchthone, pessimo hæresiarcha discedere iudicemur, qui impudentissime adseruit *hoc vanum imperiti alicuius Monachi commentum esse, cum re uera nullus huius nominis sanctus martyr in ecclesia Dei unquam exstiterit.* Ita uale VIR SVMME REVERENDE! meque amare perge. Dabam LVBECAE a. d. 12 Augusti cIↃ IↃ CCLII.

(*) *Fasc. IX. p.* 259.



VI.

VI.

FRIDERICI IOACHIMI SCHNOBEL

OBSERVATIO GRAMMATICO-PHILOLOGICA

ad verba: Ps. VIII. 2.

אֲשֶׁר תְּנָה הוֹדְךָ עַל־הַשָּׁמָיִם׃

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Usus praeceptorum grammatices in explicando sacro codice. §. 1. *Dissensus interpretum in exponendo hemistichio posteriori Ps. VIII. 2. Sententia* ALBERTI SCHULTENS. §. 2. *Modus interpretandi, quem maxima Philologorum pars sequuta est.* §. 3. 4. SEBAST. SCHMIDII *coniectura.* §. 5. MARLORATI & GUSSETII *sententia.* §. 6. תנה *non potest esse Infinitiuus.* §. 7. *Rectius sentire videntur, qui vocem hanc pro Imperatiuo habent.* §. 8. אשר *hoc loco est pronomen relatiuum, aut in accusandi casu aut in ablatiuo transferendum.* §. 9. *Nexus horum verborum cum antecedentibus, & totius commatis secundi sensus.* §. 10.

§. I.

Quod in explicandis ſacri codicis oraculis nemo verſari felicirer poſſit, niſi artis grammaticae praeceptis bene imbutus, id quidem a Chriſtianorum aeque ac Hebraeorum philologis ea eſt ratione demonſtratum, vt ſupinam proditurus eſſet ignorantiam, ſi quis id negare auderet; actum vero agere cenſendus eſſet, quicunque idem ſibi probandum denuo ſumeret. Nouiſſime data opera atque rationibus exquiſitis illud euictum dedit ſumme reuerendus IOHANNES BENEDICTVS CARPZOVIVS, S. Theologiae in Academia Iulia Profeſſor ordinarius. (a)

(a) in comment. exeg. de Interprete Scripturae ſacrae grammatico. Helmſt. 1750.

§. II.

Hisce nos praeceptis adiuti verum verborum in Pſ. VIII. verſu 2. eiusque hemiſtichio poſteriori exſtantium ſenſum eruere bono cum Deo conabimur. Pertinent ea ſine dubio ad *δυσνόητα* dauidica, curatiori examine digna, variisque interpretum anſam dederunt querelis atque ſententiis. Maximam pariunt difficultatem verba אשר תנה, quorum ſi verum definire ſenſum datum nobis fuerit, reliqua facilia erunt in-

intellectu. Singularem hic ingreditur viam magnus Batauorum philologus, ALBERTVS SCHVLTENS (b), dum verbum תנה radicem vocabuli nostri constituit. Hoc enim ex verbo, quod interdum, ipso iudice, significat *laudare*, format nomen תְּנָה ad formam גְּלָל & שְׁאָר. (c) Cui quum significationem *laudis* tribuat, totum comma nostrum ita transfert: *quia laus gloriae tuae est supra coelos.* At enim vero licet vltro cum JOH. HENR. MICHAELIS (d) concedamus, hunc explicandi modum communiori illo & mox adducendo esse simpliciorem: sunt tamen varia, quae obstant, quo minus illi palma deferri prae reliquis queat. Ipsum verbum תנה apud Arabes quidem in significatu *laudandi* occurrit: sed an & in sacro codice id fiat, adhuc sub iudice lis est. Esto autem, in duobus istis, ad quae auctor prouocat, locis, Iud. V. 11. XI. 40. verbo תנה significationem *laudandi* competere; ipsum tamen nomen תְּנָה nequicquam alibi quaesiueris. Quid? quod nexus cum antecedentibus ita non satis erit expeditus. Num enim nomen DEI ideo in terrarum orbe magnificum fuit, quia gloriae ipsius laus supra coelos est? Valent hic etiam verba SEB. SCHMIDII: (e) *nonne ab initio mundi maiestas DEI eleuata fuit supra omnes coelos? non tamen magnificum fuit in vniuersa*

terra per euangelium & myſteria eius reuelata & impleta.

(b) in Animaduerſ. philol. & crit. ad varia loca V. T. p. 130. (c) vid. Danzii paradigmata nom. & verb. claſſ. 1. form. 19. (d) Annotat. in hagiogr. V. T. libros ad h. l. (e) in Reſolut. pſalm. proph. de Chriſto p. 36.

§. III.

Multo plures ſunt, qui vocem תְּנָה eſſe infinitiuum ה paragogico auctum, pronunciant. Magno illud aſſeri conſenſu a Christianorum & Hebraeorum grammaticis, lexicographis & commentatoribus videas. Huc pertinent, quae a SANCTE PAGNINO (f) obſeruata ſunt: תנה *Pſ. VIII. eſt makor* (infinitiuus), *ſecundum R.* ABRAHAM *in commentario, inſtar* רְדָה *a* ירד. *R. quoque* DAVID *ſcribit: eſſe makor loco praeteriti.* Sed ne hi quidem vna eademque ratione omnem rem conficiunt. Plerisque infinitiuus loco praeſentis vel praeteriti actiui videtur eſſe poſitus. Ita poſt PARAPHRASTEN CHALDAEUM & INTERPRETEM SYRVM ſenſerunt IO. TARNOVIVS, SAL. GLASSIVS, DAN. CRAMERVS, CHRIST. FRIED. WILISCH, MARTIN. GEIERVS, ANDR. RIVETVS, IOHAN. PISCATOR, FRANC. IVNIVS & plures alii. Neque iſta ſibi ſententia linguae indolem hebraeae

habet

habet aduerſam. Saepenumero enim fieri ſolet, vt, quod alias infinitiuum comitatur, tempus finitum (g), ſubintelligendum ſit. Magna illud exemplorum, e ſacro codice petitorum, ſegete probatum iuit, poſt GLASSIVM (h) CHRIST. SCHOETTGENIVS. (i) Qua quidem ratione poſt תנה erit ſupplendum נוֹתֵן vel נָתַתָּ atque vertendum: *qui ponis, ſeu poſuiſti gloriam ſupra coelos.*

(f) in Theſauro linguae ſ. ſub rad. נתן. (g) Danzii Interpres §. 77. (h) Philol. ſacr. lib. 3. tr. 3. can. 3. 44. (i) in diſſertatione, quam adiunxit Chriſtoph. Theodoſ. Waltheri libello de ellipſibus hebr. p. 100. ſqq.

§. IV.

Alii cum LXX. INTERPRETIBVS, translationibusque ARABICA, AETHIOPICA, VULGATA & CHRIST. RICHTERI germanica, τὸ תנה imperſonaliter, vel in paſſiuo exprimendum iudicarunt. His acceſſit LVTHERVS, transferens: *da man dir dancket im Himmel.* Sed quanquam inficias ire nolumus, infinitiuum pro quocunque alio tempore poni (k), atque verbum finitum paſſiuum omitti hoc loco potuiſſe, quod interdum aeque atque actiuum infinitiuo iungitur: (l) rarius tamen id fieri certum eſt. Praeterea τῷ אשר ſignificatus minus vſitatus erit tribuendus, eademque

que circa connexionem hic erit difficultas, quae interpretationi priori (§. 2.) opposita fuit.

(k) Danzii Interpr. §. 163. (l) e. g. Gen. 37, 33. טָרֹף טֹרַף discerpendo discerptus est.

§. V.

Ad alterutram interpretum classem referri possunt alii a MATTH. POLO (m) excitati. Quibus addere placet IOH. VLMANNVM, (n) qui, *simplicissimus*, inquit, *sensus hic est; IEHOVA, domine noster,. quam magnificum est nomen tuum in vniuersa terra! quae (idcirco) ponat gloriam seu maiestatem tuam super coelos.* Diuersam ab his elegit viam SEB. SCHMIDIVS. (o). Ipso enim iudice, infinitivus תנה naturam nominis induit, atque verbum substantiuum subaudiendum est. Hinc ita transfert: *Cuius gloriam dare, vel cui gloriam dare est, siue sit etiam super vel in coelis.* Addam ipsius paraphrasin, vt mens eius perspiciatur facilius: *o* IEHOVA, *domine noster, quam magnificum reddidisti nomen tuum per opera tua, quae in euangelio praedicantur & celebrantur; non vt olim, in Iudaea modo, sed in vniuerso terrarum orbe! Tanta enim sunt haec opera tua, vt gloriam tibi dare & canere propterea etiam coelis incumbat, inque his a sanctis etiam angelis*

gelis celebrentur, & supra coelos ab iis evehantur, tanquam qui ipsi etiam laetantur in ea introspicere. SCHMIDIVM sequuntur HENR. BEN. STARKIVS (p) & IOH. FRIED. SCHROENERVS. (q) Sed haec paulo durius esse dicta, non immerito IOH. HENR. MICHAELIS pronunciat.

(m) in Synopsi Criticor. ad h. l. (n) in Delitiis rural. p. 56. (o) Resolut. psalm. proph. de Christo p. 36. 29. (p) Not. select. in loca dub. psalm. (q) in Starkiana Synopsi biblioth. exeg. in V. T. P. IV.

§. VI.

Nonnulli infinitiuum in translatione retinendum esse statuunt, licet diuerso modo. AVGVST. MARLORATVS (r) nullam vocis אשר, quae tamen frustra esse posita dici nequit, rationem habet, & sequente ratione exponit: *ad ponendum decus tuum supra coelos.* IAC. GOVSSETIVS (s) versum 2. cum 3. connectit, &, *Infinitiuum* תנה, inquit, *parum hebraice sumunt pro praeterito: nam linguae ingenium est, vt sumatur pro gerundio, dando: & ideo hic versus & sequens cohaerent; quia ponendo gloriam tuam supra coelos, ex ore infantium &c. nempe ascensione sua.* Qui transferendi modus ipsi ALBERTO SCHVLTENS non plane improbatus, licet plerisque citatis simplicior sit: (t) accentuum

tuum tamen ſeriem non habet ſibi fauentem. Quum enim hac ratione verba: הנה׳ הורך על השמים parentheſi cuidam includenda ſint: maxima huius hemiſtichii ſubdiſtinctio, quae per ‑ in voce הורך facta eſt, in vocabulo אשר fieri debuiſſet, quod tamen per ſeruum *Merca* cum proxime ſequenti copulatum eſt arctiſſime.

(r) in expoſit. Pſalm. eccleſ. (s) in commentar. lingu. hebr. rad. נתן. (t) in Animaduerſ. philol. loc. cit.

§. VII.

Hae fere praecipuae ſunt ſententiae, ab ea, in quam nos diſcedemus, diuerſae. Ante vero, quam illam in medium proferam, prolatam argumentis firmem, iuuabit obſeruaſſe, vocem תנה nec eſſe infinitiuum, nec eſſe poſſe. Vt enim taceam, ה paragogicum rarius adponi infinitiuo, (u) notum eſt e grammaticis, duplicem modo eſſe formam infinitiui a verbo נתן deſcendentis, ſcilicet נָתוֹן (x) ſiue נְתוֹן (y), & תֵּת pro תֶּנֶת, e quo cum ן paragogico, vti plerisque placuit, formatum eſt תִּתֵּן, quod nonniſi ſemel, ni fallor, in ſ. codice legitur. (z) Teſtem, quod ad caput rei attinet, e multis proferam RABBI MOSEN KIMCHI, cuius haec ſunt verba: המקור

המקור, נתון ובחסרון שתי הקצוות תת:
infinitiuus (*verbi* נתן) *est* nathon, *aut deficientibus duabus extremis litteris:* theth. (a) Quod si igitur τῷ נתון adponendum est ה paragogicum, dicendum ex lege permutationis punctorum erit aut נְתֻנָה ad analogiam τοῦ מַשְׁחָה aut נִתְנָה ad formam τοῦ רִבְעָה. Sin autem infinitiuus תת ה paragogico augendus est, dicendum תִּתָּה, quemadmodum accedente suffixo י. est תִּתִּי. (b) Quae quidem adeo clara sunt, vt vocabulum תנה contra omnem analogiam grammaticam pro infinitiuo haberi, E. L. VRIMOET iudicet rectissime. (c) Ipse I. H. MICHAELIS (d) infinitiuum esse prorsus anomalum concedit, neque, obseruante ALB. SCHVLTENS, (e) alia talis infinitiui forma extat. Atque sic quidem sententiam istam esse precario sumtam, nec vllo niti fundamento solido, facile patet.

(u) Danz. Grammat. §. 54. l. a. (x) Num. 21, 2. (y) cap. 20, 21. (z) 1 Reg. 6. 19. (a) in Institut. gramm. p. 200. edit. Const. l'Empereur. (b) Gen. 29, 19. (c) in Miscell. Groning. a Dan. Gerdes editis Vol. I. p. 348. (d) in Annot. ad libr. hagiogr. (e) l. c.

§. VIII.

Propius ad veritatem accedere videntur, qui תנה hic etiam *imperatiuum* esse existimant.

mant. Quae ſententia quemadmodum omnium maxime naturalis eſt, ita fieri non potuit, quin ſuos inueniret adſeclas. Auctores VERSIONIS TIGVRINAE, de qua fuſius diſſeruit ſumme venerabilis praeſul noſter I. G. CARPZOVIVS, (f) ita teſte MATTH. POLO transtulerunt: *qui vel quia pone.* Eodem modo de hoc vocabulo ſenſiſſe CAIETANVM, IOH. LORINVS obſeruauit. (g) Neque inter recentiores deſunt, qui hanc interpretandi rationem aliis eſſe aptiorem pronunciarunt, licet de voce אשר non eadem omnium ſit ſententia. IOH. CONR. SCHRAMMIVS (h) transfert: *vbi cedo gloriam tuam ſuper coelos*, eamque ſtabiliturus translationem addit: *nam particula* תנה *eſt ab imperatiuo* תן *a verbo* נתן *dedit, cum* ה *paragogico, affectum maiorem indicante, & ſignificat cedo, ecce, vt Pſ.* 86, 16. תנה עזך לעבדך *Cedo robur tuum ſeruo.* Clariſſimus VRIEMOET (i), *alii recte*, inquit, *& ex conſtanti in aliis dictis vſu* תנה *pro imperatiuo habent, ſed de cuius ipſi hic deſperant commodo ſenſu. Syntaxis arabica docet, poſito poſt particulam cauſalem imperatiuo, loco ſubiunctiui, optime, nec incongruo hic, vt putem, ſenſu, verba:* אשר תנה וגו' *ſic reddi poſſe: vt ponas gloriam tuam ſupra coelos.* Horum nos veſtigia prementes perſuaſiſſimum habemus, תנה eſſe imperatiuum ה paragogico

au-

auctum. Quemadmodum enim imperatiuus nudus est חֲנֵן: ita accedente ה paragogico, quod iudice TYMPIO (k) *nil nisi pronunciantis nisus est, qui vel impetum & tendentiam ad locum obiectumue aliud, vel admirationem magnitudinis, aut in negatiuis, exiguitatis rei significat, vel ob soni saltem suauitatem vocibus adiicitur*, vocabulum תנה oritur, quod, vti Philologi annotarunt, plus vicies in sacris paginis imperandi potestatem habet.

(f) Critic. sacr. P. II. cap. 6. §. 6. (g) Comment. in libr. Psalm. (h) in disp. de maiestate Christi redemtoris. § 9 (i) in Miscell. Groning. l. c. (k) in not. ad Noldii concordant. partic. ebraeo chald. p. 217. not. b.

§. IX.

Adeo clara sunt haec omnia, vt mirandum sit, qui fieri potuerit, vt תנה in hoc vnico loco pro infinitiuo reputaretur. Ratio quaerenda sine dubio est in praecedente voce אשר, quam quum connectere cum imperatiuo non possent interpretes, ad ἀνομαλίαν sibi confugiendum esse crediderunt. Nostrum itaque erit, in significatum τῦ אשר inquirere, & quo pacto cum sequentibus connecti optime possit, dispicere. Varios huic vocabulo significatus Philologi tribuunt, quos apud DANZIVM (l) & NOL-

NOLDIVM (m) quaerat quicunque voluerit. Nonnunquam coniunctionis copulatiuae vicem explet, diuersis aequipollens latinorum particulis. Plerumque tamen pronomen relatiuum est, neque nostro in loco pro alia orationis parte, si quid ego iudico, haberi debet. Quanquam enim perinde ac in aliis locis a NOLDIO citatis exprimi heic forte potest per *quin etiam*, vel *ideo*: satius tamen erit, magis vsitatum retinere vocabuli significatum, quum nulla eum deserere nos iubeat necessitas. Qua quidem ratione & in accusatiuo casu a latinis efferri poterit & in ablatiuo. Quod si prius placuerit, subintelligenda erit ante הודך particula ל, atque tunc transferendum: *quod pone in gloriam tuam supra coelos.* Notum enim est, τὸ ל saepe denotare obiectum, finem ac rationem mouentem, tumque per *ad*, *in* vel *propter* reddi solere. (n) Diserte illud legitur post verbum נתן in loco EZECHIELIS: ואתנך לחרבה ולחרפה בגוים *disponam te in vastitatem, & in opprobrium apud gentes.* (o) Quid vero huius particulae in isto casu omissione frequentius est? Exempla ne desint, duo e Psalmis loca adscribam: תשימנו מדון pro למדון *ponis nos in rixam*, h. e. facis nos rixae obiectum. (p) עדות שמו pro לעדות *in testimonium*

monium posuit illud, h. e. testimonii caussa, siue eum in finem, vt testimonium esset, instituit. (q) Alio, sed, quod ad sensum attinet, non diuerso modo τὸ אשר necti cum imperatiuo תנה potest, si in auferendi casu illud posueris. Tum enim ita formanda erit translatio: *quo pone gloriam tuam supra coelos*. Certe ablatiuum hic habere locum posse, nemo facile erit, qui neget. Casus enim obliqui quum non indicentur per terminationes, saepe ex sola constructione per verbum casus vocis erit determinandus. (r) Nisi forte malis ante אשר subintelligere particulam ב quae saepe ablatiui nota est, atque *medium*, vt voce metaphysica vtar, significat. Oppido enim frequens est huius particulae ellipsis, quod plurimis demonstrauit exemplis NOLDIVS. (s) Caeterum pronomen relatiuum hic loci qua sensum est demonstratiuum, quod cum in latina lingua, maxime ab initio periodi frequentissimum, tum nec apud Hebraeos plane insolitum, sicut vice versa pronomen demonstratiuum זו vel זה subinde relatiui loco ponitur. Exempli loco sint verba IOBI: אשר אני אחזה־לי *quem ego mihi videbo.* (t) Hinc sicut LVTHERVS ibi transtulit: Denselben werde ich mir sehen: ita nostrum etiam comma forsitan non male sic redderetur lingua vernacula: setze, erhebe

doch denselben, (deinen Nahmen) zu deinem Ruhm, vel: erhebe durch denselben deinen Ruhm über den Himmel.

(l) Interpr. §. 45. (m) Concordant. partic. p. 98. (n) e.g. Ios. 22, 29. Ies. 53, 7. Nehem. 8, 4. Ies. 10, 3. Gen. 45, 5. (o) Ezech. 5, 14. (p) Ps. 80, 7. (q) Ps. 81, 6. (r) Danzii Interpr. §. 19. (s) l. c. p. 167. (t) Iob. 19, 27.

§. X.

Hisce obseruationibus grammaticis praemissis, nunc de ipso loci nostri sensu, eiusque cum praecedentibus nexu breuiter strictimque dicetur. Quod in noui foederis tempora regii vatis in hac oda intenta mens sit, de eo inter omnes conuenit, qui in exponendis sacris literis ipsum Spiritum sanctum ducem sequuntur. Mirabundus igitur dum in priori hemistichio exclamat: יהוה אדנינו מה־אדיר שמך בכל־הארץ *o DEVS, domine noster, quam illustre est nomen tuum in omni terra*, שם יהוה *nomen DEI* significat omnia ea, quae cum per optimum Saluatorem, tum per ipsius legatos de DEO praedicabantur, siue famam de summo numine eiusque attributis & operibus, tempore noui testamenti in vniuersum terrarum orbem ope praeconum euangelii emanantem. Magnificum profecto & illustre erat illud nomen, quoniam ea, quae tunc


tunc temporis reuelabantur, non vulgaria erant, ſed magnifica atque ita comparata, vt omnes rapere in admirationem poſſent, DEOque ad ſummam valerent gloriam. Quae dum vbique terrarum concelebrari gaudet DAVIDES, futuras rerum viciſſitudines veluti praeſentes animo ſecum volutans, ab exclamatione progreditur ad preces: אשר תנה הודך על השמים. (u) Per הוד יהוה cui paſſim reſpondent voces כבוד, הדר & תהלה, denotatur gloria DEI relatiue ſpectata, hoc eſt iudicium creaturarum intelligentium de perfectionibus diuinis, & inde oriens laus, cultus, amor & obſequium. Dicitur illa ſupra coelos eſſe eleuata, quoniam non homines modo, terrarum orbis incolae, ſed etiam coelites honore & obſequio DEVM proſequuntur. הודו על ארץ ושמים *decor eius ſupra terram & coelos eſt* (u) רם על השמים כבודו *elata eſt ſupra coelos gloria ipſius*. (v) Quum vero honor, quem ſpiritus creati DEO perhibent, ſequatur rationem cognitionis, quam de ipſo & eius perfectionibus habent, ita vt, quo plura & magis inſignia earum documenta vident, eo maiora ille incrementa capiat: DAVIDES optat, vt, quam omnes terras impleturam eſſe prouidebat, nominis ſui fama DEVS etiam ſuper aethera notus euadat. His fere gemina & *παράλληλα* ſunt illa: רומה על השמים אלהים

 על

על כל הארץ כבודך *exaltare ſupra coelos o Deus, ſupra omnem terram gloria tua.* (w) Videlicet haec eius votorum ſumma eſt: *Licet nominis tui, o DEVS, famam toto orbe percrebeſcere, tuaeque gloriae plenas eſſe omnes regiones videam, nimium tamen anguſtis eam terminis circumſcriptam eſſe arbitror, niſi ad coelites quoque peruenerit. Pone ergo nomen tuum, quod in omni terra magnificum eſt, gloriae tuae cauſa ſupra coelos. Fac, vt ſpiritibus illis beatis, qui faciem tuam intuentur, ea, quae inter mortales de te perhibentur, nota fiant. Fac, vt* Φιλανθρωπίας, *ſapientiae, iuſtitiae, potentiae & veritatis tuae illa documenta, quae noui foederis tempore legatorum tuorum ſermone celebratum iri praeuideo, cognoſcant, ac de filii tui aduentu, operibus, ſatisfactione & beneficiis certiores fiant, quo ad illuſtrandam gloriam tuam nouis incitentur ſtimulis.* Sic itaque diuini vatis oratio in petitionem conuertitur, quod affectui deſiderii ipſius IO. COCCEIVS recte tribuit. (x) Neque preces iſtae fuerunt vanae. Patefacta enim ſunt animabus ante Saluatorem natum a corpore ſeparatis & in beatorum ſedes translatis, quae illo in carne manifeſtato ipſa-

ipſarum cauſa in terris peragebantur. Reuelata ſunt angelis, in myſteria redemtionis παρακύψαι deſiderantibus, quae reparandae ſalutis humanae gratia DEVS fieri voluit. Manifeſtata eſt ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξȣσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ. (y) Nomen itaque diuinum & in coelis illuſtre redditum eſt, atque hinc noua eorum incolis materia enata ad efferendum ſummum Numen ſempiternis laudibus.

(u) Pſ. 148, 12. (v) Pſ. 113, 4. (w) Pſ. 57, 6. 12. (x) Commentar. in Pſalmos. (y) Eph. 3, 10.



VII.
TESTIMONIUM OMNIPRÆSENTIÆ CHRISTI
Eph. IV. 10. exſtans
a
recentiori quodam interprete temere fuiſſe ſolicitatum,
paucis oſtendit
JOHANNES HAKE.

Laudandus ſemper eſt, ut in unoquoque, ita & in ſacrarum literarum interprete veritatis amor. Sit nova veritas, ſit antiqua, nil intereſt; dummodo ſit veritas, digna eſt, quam amplexemur. Pari ratione de ſcripturæ divinioris interpretationibus judicandum erit. Novitas aut antiquitas interpretationis cujusdam nec reprobam illam reddit nec plauſu dignam. Inquirendum, an fundamento nitatur ſuo; ſi hoc: tum recipienda erit, ſive pridem nota fuerit, ſive memoria noſtra in lucem primum prodierit. Verum, ut ſunt hominum ingenia ad id prona, quod nimium eſt, ſic vides in interpretibus ſacri codicis haud raro, qui veterum dictis adeo inhærent, ut faſtidiant penitus, quæ nova audiunt: vides

des alios, qui nova tam avide venantur interpretamenta, ut quæ priſcis aut majoribus noſtris placuerunt, pretii fere nullius æſtiment. Horum noſtris temporibus numerus magis qūam illorum augeri videtur. Non difficile, puto, erit judicatu, utrum in emolumentum rei exegeticæ an detrimentum ejusdem hoc cedat. Id certe perſpicuum cuique ſit neceſſe eſt, non ſolum maxime dedecere Chriſtianum interpretem, in explanandis ſacris paginis ingenio indulgere, & indagando iſtarum ſenſui ſine exorato divino lumine manum admovere, ſed rem quoque eſſe periculi pleniſſimam, eorum ſanctioris ſcripturæ locorum novas aucupari explicationes, ac repudiare veteres receptas, quæ claſſica ſunt & doctrinarum fidei graviſſimarum, communi hucusque interpretum antiquiorum juxta & recentiorum conſenſu teſtimonia atque fundamenta certiſſima habita ſunt & primaria.

Fatum eiusmodi cum aliis expertus haud ita pridem eſt locus Paulinus, Eph. IV. 10. exſtans, qui in præcipuis ſemper numeratus eſt locis, quæ Chriſti, qua hominis, omnipræſentiam demonſtrent. Beatos Confeſſores noſtros in *libris ſymbolicis* hunc in primis ad adſtruendam hancce omnipræſentiam adhibere, Patribus ὁμοψήφοις citatis: noſtratesque Theologos, primæ, mediæ, recentioris ætatis, quorum ſaltem aliquod no-

men eſt, una fere voce his accedere, ignotum eſſe nequit. *Scholaſticos* interim varios & *Bellarminum*, item *Reformatos* in inferendis huic loco aliis ſenſibus operam ponere, non mirabitur, qui communicata cum carne Servatoris idiomata divina, adeoque & omnipræſentiam carnis ipſius ab iis negari, recordatur. Aſt inopinato valde accidit, ut vir doctiſſimus, JOH. DAVID MICHAELIS, Profeſſor Göttingenſis ſatis celebris in *Paraphraſi & notis in epiſtolas Pauli minores*, vernaculo idiomate Gottingæ 1750. editis, in paraphraſ. epiſtolæ ad Epheſios datæ pag. 31. ſq. teſtimonium omnipræſentiæ Chriſti laudato loco luculenter exſtans diſerte impugnaret, quid! quod & receptam interpretationem rideret, & exſibilaret. Mirum ſane, eo devenire potuiſſe virum, cujus eruditio haud vulgaris & in eruendo divini codicis ſenſu ſagacitas & peritia ex ipſo laudato libro ubique elucet. Licebit nobis, clariſſimi viri merita agnoſcentibus, veritatis tamen amore ductis, tentare, poſſemusne declarare, teſtimonium omnipræſentiæ Chriſti dicto loco allatum temere & fruſtra ab illo fuiſſe ſollicitatum, quo ſimul appareat, non adeo bardos & ſtipites aut male ſani ſincipitis fuiſſe interpretes citati loci ipſum antegreſſos, quales ipſi videntur. Ita rem inſtituemus, ut expoſito breviter loci ſenſu cuivis obvio, argumenta Domini Profeſſoris,

quæ

quæ ipſum impediviſſe fatetur, quo minus receptæ interpretationi calculum adderet, diſpiciamus, dein conſideremus, quid per id, quod *omnia impleviſſe* Chriſtus dicitur, velit intellectum.

Scilicet cum gentium doctor Chriſtum aſſerit, poſtquam deſcenderit prius, poſtea aſcendiſſe ſuper omnes coelos, ut omnia impleret, non eo tantum, quod eum dicit ſuper omnes coelos evectum, certum locum, qui ipſum in coelo concluſum teneret, negat, adeoque omnipræſentiam infert, ſed & iſta phraſi: *implere omnia*, quam de Salvatore hic uſurpat, omnipræſentiam ejus clariſſime cuique ob oculos ponit. Quæ enim ſunt iſta *omnia*, quæ Chriſtus omnes coelos tranſcendens implevit? Quænam ſunt, niſi *coelum & terra* (uti ipſe explicat cl. MICHAELIS in paraphraſi), &, quæ in coelo & terra ſunt, omnia? Ita vero hic deprehendimus omnipræſentiam divinam, quippe quæ Jerem. XXIII. 24. per id deſcribitur, quod Deus coelum & terram repleat, & Sapient. I. 7. per id, quod orbis Spiritu Domini ſit plenus. Et quis poſſet hic aliud quid mente concipere, niſi omnipræſentiam, cum Apoſtolus in eadem hac epiſtola cap. I. 23. eadem phraſi hancce expreſſerit, dum de Chriſto loquitur omnia in omnibus replente, quod ipſe Noſter de omnipræſentia exponit, vertens: der alles an allen Orten erfüllet?

Vidimus

Vidimus, verba commatis, quod ſub manibus eſt, poſtulare, ut de omnipræſentia Θεανθρώπȣ ea accipiamus. Num vero forte ea, quæ inciſum noſtrum præcedunt & ſequuntur, aliud ſuadent? Tantum hoc abeſt, ut ſuaviter potius omnia conſonent, ſi noſtræ interpretationi ſubſcribas. Ad unitatem ſpiritus ſervandam Epheſios cohortatus erat Apoſtolus v. 3. & ne objicerent diſcrimen ac diverſitatem donorum gratiæ non unitatem ſed diverſitatem fidelium facere, docet, unicuique Chriſtum admenſum eſſe certa dona ex gratia, non ut diſcordiam & invidiam alerent, ſed quisque alteri inſerviret donis ſuis acceptis, eaque adeo in commune commodum conferret. Conf. v. 12. Jam probat Apoſtolus, Chriſtum re vera eſſe donorum omnium diſpenſatorem, dicto Prophetico ex Pſ. LXVIII. 19. deſumto. Poſtquam attulit hoc dictum, oſtendit, de Chriſto in illo ſermonem eſſe, ſi quidem ex aſcenſione, qualem quidem Propheta deſcribit, ſequatur, deſcenſum in infima terræ loca prius factum eſſe, quod Chriſto duntaxat tribui poſſit. Hunc itaque, qui deſcendit, etiam aſcendiſſe ſuper omnes coelos, eum in finem, ut impleret omnia, ſive ut præſentiſſimus cum Patre, ad cuius dextram collocatus eſt, ubique regnaret. En jam documentum clariſſimum ejus, quod aſſeveraverat Apoſtolus, Chriſtum donorum

omnium

omnium esse dispensatorem. Si enim præsens ubique regnat Dominus noster, regnat præsertim in ecclesia, cujus caput a Patre constitutus est, inque illa se monstrat præsentissimum. Facit hoc, cum dona & munera pro libera voluntate in eadem distribuit. Inde est, quod alios dedit Apostolos cet. v. 11. Nunc quid est, quod absonum pronuntiet vir clarissimus illum loci nostri sensum, quem & verborum significatum & contextum requirere perspeximus? Habes ipsius mentem: Man führet aus diesem Spruche gemeiniglich einen Erweiß von der Allgegenwart Christi, der aus eben der Logik hergenommen ist, als der vorige. Ich kan aber nicht glauben, daß dieses Pauli Meynung sey. Audis, adversarium doctissimum argumentum omnipræsentiæ Christi ex h. l. desumtum absurdum appellare, dum iis, qui isto utuntur, Logicam ἄλογον attribuit, velut in antecedentibus iis eam tribuerat, qui descensum Christi ad inferos ex v. præced. 9. stabilire satagunt. Verendum autem est, ne utrumque præcipitanter ab ipso factum sit.

Liceat, cum eo ipse nos deducat interpres noster, paulisper ad ea digredi, quæ ad v. 9. monuit: Da Paulus aus dem Wort **hinaufssteigen** folgert, daß die Person, welche in dem Psalm redet, herunter gestiegen seyn müsse, so kann ohnmöglich von der Höllenfarth Christi

Christi die Rede seyn, wie viele von unsern Gottesgelehrten vorgeben. Concedimus, Apostolum ex ascensu in altum inferre descensum in inferiora ante factum & denotare voluisse, eum, qui in Psalmo ascendisse dicitur, non alium esse, quam qui prius ex alto descendit in inferiores partes terræ. Ast non crediderimus repugnare, si statuamus, Apostolum ex ascensione generatim colligere descensum in inferas regiones, speciatim autem, cum varius fuerit Christi descensus seu diversæ eius partes fuerint, mente volvisse & significasse verbis eum descensum, qui in infimas terræ partes, vel in subterranea loca Phil. II. 10. i. e. ad damnatorum sedes factus sit, licet ex ascensione præcise isthunc descensum ad inferos nos concludere haud jubeat. Quid vero si dicamus, Apostolum non simpliciter ex ascensione argumentari, sed ex ea, quam Propheta modo descripserat, ascensione, nimirum, qua captivam duxit captivitatem? Ex ea enim colligit Paulus, prius descendisse non Filium Dei ἄσαρκον in terras, sed Christum, quando in cruce, ut Col. II. 14. habetur, e medio sustulit chirographum, quod adversus nos erat, triumphum acturus de captivitate eandemque captivam ducturus in ascensione, prius debuisse in infimas terræ partes descendere, ut captivaret captivitatem & coram principatus & potesta-

tes

tes traduceret. Attulit hæc posteriora ex b. CALOVII *Bibl. illustr.* ad h. l. b. J. BENED. CARPZOVIUS jun. in *Disp. de Descensu Christi ad inferos ex Eph.* IV. 9. 10. §. 15. Ex his in proclivi erit dijudicare, num opus fuerit istis dicteriis: Es würde gewiß eine ganz ausserordentliche Logik dazu gehören, aus dem Ausdruck, **du bist in die Höhe gestiegen**, den Schluß zu machen, daß die angeredete Person vorher entweder an den Ort der Verdammten, oder auch nur in das Grab herab gestiegen sey: Zum wenigsten wolte ich wol diese so genannten Ausleger der Bibel ersucht haben, daß sie eben diesen ungemein künstlichen Handgriff aus ihrer Logik auch anwendeten, die Höllenfarth des Elias zu erweisen, von dem es auch 2. Kön. II. 11. heißt: und Elias fuhr im Wetter auf gen Himmel. De concludendi ratione ab Apostolo adhibita egimus, unde patet, neque Apostolum, neque Theologos nostrates simpliciter ex ascensione Christi colligere præcise descensum ejus ad inferos. Judicent itaque lectores, num causæ satis fuerit, Logicam in illis Theologis sanam desiderare, qui ex c. l. aliis argumentis descensum Christi ad inferos probatum iverunt. Ab iis igitur, si forte noti sint doctissimo viro, qui ex sola ascensione Christi, descensum ejus ad inferos evincere sibi sumant, exigat, per nos licet,

ut

ut demonſtrent, etiam Eliam deſcendiſſe ad inferorum ſedes.

Sed redeundum e diverticulo in viam ad locum, quem vindicandum in præſenti ſumſimus, videndumque, utrum hic felicius probatum dederit, quem Theologis noſtris exprobravit, Logices defectum. Incredibile ipſi videtur, Apoſtolum hic omnipræſentiam Chriſti docere voluiſſe. Duo affert, quæ efficiant, ut id perſuadere ſibi non poſſit. Primum eſt, quod ita inepta concludendi ratio Apoſtolo tribuatur, ſecundum quam ex eo Chriſti omnipræſentiam colligat, quod ex infimis terræ locis in coelum aſcenderit. Alterum eſt, quod connexa ſermonis Paulini receptæ ſententiæ contrarientur.

De primo ipſum audiamus: Darf man einem vernünftigen Manne, darf man dem Apoſtel einen ſolchen abgeſchmackten Schluß beylegen: **Wer aus den unterſten Oertern der Erde in den Himmel geſtiegen iſt, der iſt allgegenwärtig. Nun iſt Chriſtus aus den unterſten Oertern der Erden in den Himmel geſtiegen. Alſo iſt Chriſtus allgegenwärtig?** Non videtur cl. Dn. Michaelis ſatis aſſecutus eſſe mentem Theologorum noſtratium. Nempe exiſtimat, illos ex ſyllogiſmo quodam, quem Paulum mente formaſſe credant, omnipræſentiamChriſti aſſerere. Niſi vero

insigniter fallimur, hæcce mens illis non sedet, sed potius sentiunt, Apostolum simpliciter sine adhibito ratiocinio asseverasse omnipræsentiam Christi, eo quod illum dicit omnia implevisse, quam phrasin nihil nisi omnipræsentiam innuere, supra vidimus. Agnoscunt interim, impletionem omnium, ceu finem, fructum atque consequens ascensionis super omnes coelos a Paulo indicari, adeoque & per argumentationem ex ascensione Christi (non ex descensu ad inferos & ascensione simul) omnipræsentiam ejus facili deduci posse negotio. Nam *notabis hic*, ait b. FEURBORNIUS, *quod hic Apostolus loquatur non de ascensione, quatenus notat solam illam sursum versus Christi πορείαν & μετάστασιν τοπικὴν, sed vel maxime, quatenus connotat ipsam Christi exaltationem ad dextram Dei Patris ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς Eph. I. 21. ita ut ei sub pedes omnia sint subjecta, nec quicquam hinc excipiatur præter eum, qui subiecit ei omnia* I Cor. XV. 27. Vid. ejus *Fasc.* I. *dissertt. Theol. disp.* 3. *de Christi, qua hominis omnipræsentia p.* 223. Hæc ad dextram Dei exaltatio & super omnem principatum evectio omnipotentiam & dominationem Christi universalem infert, quæ vero locum non haberet, absque omnipræsentia si esset. Haud quidem ibimus inficias, aliquos Theologorum nostrorum hunc loci

nostri sensum sistere: *Christus descendit & ascendit, ut adeo ascendendo & descendendo impleret omnia, partim coelestia, partim terrestria, partim inferna.* Sed hisce innuere volunt, Christum ubique locorum majestatem suam demonstrasse, ejusque reliquisse vestigia, ut jam omnes, coeli cives, terræ incolæ, inferi ipsum adorare vel Dominum agnoscere cogantur. Non autem docuerunt, τὸ *implere omnia* nil nisi hoc involvere, quod Christus alio tempore in terris, alio apud inferos, alio in coelo visibiliter seu naturaliter se præsentem præbuerit, sed inculcant, locutionem hanc omnipræsentiam divinam denotare, quæ nec localis est nec successiva. Adeoque nec ex successiva locorum coeli & terræ pervagatione omnipræsentiam concludere, nec Paulo istiusmodi concludendi rationem tribuisse censendi sunt. Veruntamen doctissimus vir per τὸ aus den untersten Oertern der Erden in den Himmel steigen nil nisi successivam ejusmodi terræ atque coeli permeationem intellexit, prout instantia, quam de itinere Magnæ Britanniæ Regis per varia loca facto dedit, nos condocet. Sicque in ea versatur sententia, nostrates Theologos ex locali ejusmodi & successivo descensu & ascensu Christi omnipræsentiam ejus arguere. Verum ita omnipræsentia Christi crederetur localis & successiva. Ista est BELLARMINI interpretatio,

tatio, qui repletionem omnium de repletione locorum succeſſiva intellexit. Vid. b. FEURBORN. l. c. p. 229. Aſt numquid credas, cum BELLARMINUS ex locali & ſucceſſivo deſcenſu & aſcenſu Chriſti localem & ſucceſſivam ejus omnipræſentiam adſtruere laboret, Evangelicos interpretes eidem ſucceſſivæ coeli terræque pervagationi veram & divinam, h. e. illocalem Chriſti ſuperſtruere omnipræſentiam? Quemnam præterit, cogitationes de locali & partibili omnipræſentia Chriſti a Theologis noſtris pro ineptis, crudis & craſſis haberi, conſtanterque ab iisdem repudiari, illocalem contra & impartibilem defendi? Neſcio igitur, qui vir eruditiſſimus impetrare a ſe potuerit, ut adeo inſulſam ſententiam noſtratibus adſcriberet Theologis, vel ſaltem perſuadere aliis conaretur, bonam illos cauſam male defendiſſe, neve didiciſſe tueri, quam cognoverint, veritatem. Non poterit dicere, rem ſibi non eſſe niſi cum iis, qui omnipræſentiam Chriſti ex h. l. eo inepto modo, quem indicaverit, comprobare aggreſſi ſint; alios, qui melius eam ex h. l. commonſtraverint, ſe linquere illæſos. Etenim ſimpliciter omnibus, qui ex h. l. argumentum omnipræſentiæ Chriſti ducunt, monſtroſam eam, quam attulit, probandi rationem imputat,

Elegans quidem & laudanda maxime, si per se & separatim spectetur, gnome, quam his verbis protulit: Es ist betrübt, wenn die Auslegungen des vernünftigsten und heiligsten Buchs in der Welt mit dergleichen Schlüssen angefüllet und gar unser Glaube von unverständigen Vertheidigern desselben auf solche Schlüsse gebauet wird, die uns für den Kopf und Gehirn eines jeden besorgt machen müsten, der sie in dem gemeinen Leben vorbrächte. Sed dici vix potest, quam incommodo posita loco fuerit. Cavebit vir celeb. ne omnes illos, qui ex h. l. omnipræsentiam Jesu nostri firmarunt, pios confessores nostros, Theologos alios immortales, veteranos in bellis Domini milites, Exegetas, quibus nos, qui nunc vivimus, artem interpretandi Scripturam S. referre in acceptis debemus, pro inscitis fidei propugnatoribus venditet. Si hos velit intactos: videbit, ne cum umbris pugnet.

Verum & alterum, quod clar. vir receptæ nostri loci interpretationi opponit, ut contemplemur, res poscit. Est id *contextus*, quem isti adversari opinatur. En verba: Was kan die Allgegenwart Christi mit der Sache, von der Paulus handelt, für eine Verwandschaft haben? Paulus sagt und erweiset: Christus habe in seiner Kirche verschiedene Gaben und Aemter ausgetheilet. Was für ein zufälliger Gedanke, wenn er mitten in dieser Abhandlung die Allgegenwart Christi erweiset?

Nexum

Nexum ſermonis Paulini receptæ interpretationi bene reſpondere, in ſuperioribus, ni fallimur, palam fecimus. Mirum profecto eſt, aliud videri cl. viro, illumque plane fortuitum vel incongruum exiſtimare, de omnipræſentia Chriſti cogitare, ubi de donis & muneribus in eccleſia ab ipſo diſtributis agitur. Num fugere ipſum poteſt, omnipræſentem Chriſti gubernationem, quam ad dextram Dei exaltatus & ſuper omnes coelos evectus aggreſſus eſt, ſine qua ſe caput eccleſiæ monſtrare non potuit, fundamentum eſſe largitionis donorum & officiorum in eccleſia? Num aliud eſt, quod regius vates docet a Paulo allegatus? Nonne & ille dona hominibus erogata ab aſcenſione Θεανθρώπȣ, ſcilicet ſuper omnes coelos facta, omnipræſentiam ſecum ferente, derivat? Conf. Joh. VII. 39. Act. II. 33. Nonne ipſe Noſter ad v. 11. p. 32. ex poſteriori loco agnoſcit, neceſſariam fuiſſe Chriſti aſcenſionem, ſi diſtribuenda ab ipſo eſſent Spiritus S. dona? Num vero aſcenſionem diſtributio donorum ſequi potuiſſet, niſi per aſcenſionem pleniſſime Chriſtus in gloriam intraſſet ſuam & omnipræſens in omnia imperium inchoaſſet?

Præterea, per quid aliud ſe magis exerit Salvator in Eccleſia omnipræſentem, quam per operationes gratiæ in mentibus

 ipſi

ipsi confisis, perque dona Spiritus S. ipsis credita, tum sanctificantia, tum administrantia? Igitur, ubi per Apostolos aliosque doctores primæ ecclesiæ ætatis singularia & extraordinaria effecit; ubi per Evangelii præcones, qui secuti illos sunt & ad orbis usque destructionem secuturi sunt, ordinarie operatur in ædificationem corporis sui v. 12. quid hoc est, nisi implere, quod promisit suis, præsentem se ipsis fore singulis diebus ad temporum usque finem. Matth. XXVIII. ult.

Denique homines donis implere est actus præsentiæ divinæ specialis, quæ præsupponit generalem. Qui itaque, quæso, aliena dici potest cogitatio de omnipræsentia Christi, ubi de donis ab ipso donatis disseritur? Interim non affirmant Theologi, Paulum h. l. omnipræsentiam Christi data opera & fuse demonstrare, uti ipsis tribuere videtur vir clar. wenn er, inquiens, mitten in dieser Abhandlung die Allgegenwart Christi erweiset, quod secus se habere, supra jam observavimus.

Ceterum jam olim Reformati obtenderunt, iis, qui per repletionem omnium omnipræsentiam intelligant, nexum verborum h. l. haud favere, causati, cum Paulus v. 11. 12. agat de ecclesiæ impletione, ef-

fusio-

fusionem seu largam dationem donorum ad salutem æternam necessariorum complexa, v. antegresso 10. πλήρωσιν τῶν πάντων non notare impletionem omnium (puta universalem per omnipræsens in omnia imperium), sed impletionem particularem, nempe repletionem solius ecclesiæ. Quibus regessit b. FEURBORNIUS l. c. ineptam hanc esse commatum dictorum oppositionem. Nam, ita pergit, Paulus v. 10. describit, (ut li- " tera evincit) τῶν πάντων πλήρωσιν: verum " in illa non subsistit, sed v. 11. & 12. " progreditur ad ecclesiam Christi, (quæ " est in isto toto Universo, de cujus impletione v. 10. agit), eamque testatur a Chri " sto variis multisque muneribus, ad salu " tem coelestem necessariis, condecorari. " Quæ igitur Apostolus nexu consentaneo " junxit, illa nos nequaquam disjungere " multo minus sibi invicem opponere de- " bemus. " Ita in aprico esse sentimus, mentionem omnipræsentiæ Christi factam rei, quam Paulus pertractat, adversam haud esse, maxime potius ipsi esse affinem, secus ac judicat interpres noster.

Restat nunc, ut in sensum inquiramus, quem ipse vir doctissimus pro vero hujus loci habet, & expendamus, quid per id, quod omnia implevisse Christus dicitur, velit intelligi. Mentem suam paucis ita

expressit: Ich muß demnach das Wort πληρῶσαι von dem **Erfüllen mit seinen Gaben verstehen.** Planum est, eundem hunc esse sensum, quem Reformati huic loco inferunt, in quo impugnando in verbis modo allatis occupatus est b. FEURBORNIUS. Ex quibus jam repetimus, quod monebatur, quæ Apostolus junxit, a nobis nequaquam esse disjungenda, multo minus sibi invicem opponenda. Dona a Christo dispertita in h. l. nemo interpretum facile exludet. Quocirca haud inviti cum b. WOLFIO in *curis philol.* in h. l. largimur, per impletionem illam etiam respici ad dona illa, quæ Christus in coelum evectus abundantissime ecclesiæ ejusque membris contulit. Conf. c. III. 19. At vero num conceditur interpreti, angustiorem exhibere loci alicuius sensum, quam verba requirunt? Num ergo licitum erit, cum Apostolus de repletione omnium loquitur, id restricte exponere de repletione solius ecclesiæ; cum Apostolus universalem Christi super omnia principatum & regimen, quod in ecclesiam sigillatim exercet, jungit, illa disjungere; cum Apostolus isto modo generale & speciale una comprehendit, speciale tantum intelligere, idque generali opponere?

Eo minus hoc permitti posse, remur, quod phrasis: *omnia implere* in scripturis


sacris

ſacris nuſpiam eo ſenſu uſurpatur. Quam ob rem ſi de donis in eccleſiam collatis tantum ſermo eſſet, ſine dubio donorum ſimul mentio fuiſſet adiecta. Num porro facile inducemur, ut credamus, Apoſtolum πάντα dicere, & non niſi minorem hominum partem intelligere?

Ad extremum cum Apoſtolus h. l. in maieſtatem Chriſti exaltati infinitam cum vate regio mentem infixit, vero non eſt ſimile, ipſum ad ſolam gloriam Chriſti, quam in eccleſia manifeſtat, attendiſſe, neque cum illo Propheta ſimul reſpexiſſe ad id, quod extra eccleſiam agitur, ad id, quod Chriſtus ad dextram Patris ſedens accepit etiam rebelles & illos, qui alieni erant a foedere Dei, imo ipſius hoſtes; unde factum, ut dominetur in medio inimicorum Pſ. CX. 2. Certe probabile non eſt, Paulum, cum aſcenſio Chriſti ſuper coelos omnes dominatum ejusdem in totum, quaqua patet, orbem, qui aſcenſionem ſecutus eſt, in memoriam ipſi revocavit, ſtatim per locutionem immediate ſubſequentem: implere omnia, ad ſolam coetus fidelium rectionem mente ſe recepiſſe.

Sufficiant hæc ad vindicandum teſtimonium omnipræſentiæ Chriſti Eph. IV. 10. exſtans a nobis allata. Quod eccleſiæ no-

ſtræ doctorum, quorum veneranda ſemper nomina, famæ immerito læſæ, ſuppetias qualescunque ferre ſtuduerimus, vitii nihil habere conjectamus. Neque arbitramur, virum celeb. vitio nobis juſte vertere poſſe, quod veritatis cum ipſo amantes vera apud veteres reperta defendere pro viribus ſuſcеperimus. Cavimus ſedulo, ne in tractationem noſtram aliquid irreperet, quod ipſum offendere jure queat, quæ meritis ipſius in dies majoribus debeamus, memores. Neque conquerendi cauſa ipſi erit, æquitatem illam nos neglexiſſe, quam a lectoribus expetit ſuis, ut ne congerant in illum crimen negatorum omnium eorum dogmatum, quæ ab interpretibus nonnullis perperam probata eſſe cenſeat. Hanc interim non putamus obſtare, quo minus ipſi relinquamus deliberandum, an ad ædificationem corporis Chriſti (v. 12.) faciat, documentum omnipræſentiæ Salvatoris O. M. quod inter præcipua omni tempore relatum fuit, publice laceſſere, omnique ſtudio contendere ut collabatur.



VIII.

VIII.

MARTINI RVARI (a)

Crempa - Holsati

AD

IOH. KIRCHMANNVM (b)

EPISTOLA. (c)

In-

(a) De vita & fatis huius viri, Socinianorum castra, repudiata, cui a teneris innutritus erat, puriori doctrina, sequuti, exposuit G. G. ZELTNERVS in *Historia Crypto-Socinismi.*

(b) In magni huius viri familiaritatem venit noster, quum Rostochii, ubi tunc temporis munere Professoris fungebatur KIRCHMANNVS, literis operam daret.

(c) Duas Epistolarum RVARI centurias recudendas curauit, suasque Crypto-Socinismi historiae adiunxit ZELTNERVS, quas inter duae reperiuntur ad KIRCHMANNVM datae. Sed praeter has plures alias ad eundem misit, quarum haud paucas possidet celeberrimus OLAVS HENRICVS MOLLERVS, Professor Hafniensis. Harum nonnullas a plurimum reuerendo NOODTIO, viro de historia patria meritissimo communicatas nobiscum esse, grato animo profitemur, &, vt vterque conatibus nostris fauere pergat, maiorem in modum rogamus.

*** ***

Iniurius essem, non tantum in amicitiam nostram, sed & in meam ipsius fortunam, si commercium literarum, quod inter istos desultoriae meae vitae fluctus aliquamdiu ablatum nobis fuit, a te vltro pro humanitate tua mihi oblatum, obuiis vlnis non amplecterer; quanquam alioquin vix habeam quicquam oculis tuis dignum, quod scribam. Quo studio ab omnibus ordinibus nouus nobis adscitus rex VLADISLAVS (d), defuncti primogenitus, iam pridem sine dubio fama apud vos increbuit; in cuius rei fidem en tibi carmen viri nominis tui perquam studiosi, SAMVELIS NAERANI, amici mei veteris. (e) Coronandi regis solemnitas in Januarium mensem reiecta est. Interim *Moschus* assultat, imo vero iam insultat regni finibus, &, vt nonnulli spargunt, Smolenscum obsidione iam premit. Forsan hos animos illi GVSTAVI (f) regis tum victoriae tum hortamenta

---

(d) VLADISLAVS scilicet *quartus*, SIGISMVNDO III patre anno 1632 mortuo, regiam dignitatem consequutus.

(e) De hoc viro Remonstrantium placitis addicto vid. ADR. a CATTENBORCH, Bibliotheca scriptor. Remonstrantium, & G. G. ZELTNERVS l. c. p. 42.

(f) Nempe GVSTAVI ADOLPHI, Sueciae regis, in praelio ad Lützam anno 1632. occisi.

tamenta dederunt, quos nunc post inopinatum illius obitum aliquantum, vt credibile est, demittet. Interim rex nouus omnibus modis amicitiam GVSTAVI viui captasse videtur. Legi ipse in hac vrbe exemplum epistolae, qua ipsum & ad parentis sepulturam, & ad solemnia coronationis peramice inuitat. An idem duraturus sit affectus erga manes atque haeredem defuncti, ὁ χρόνος πατὴρ τῆς ἀληθείας in posterum docebit. Ego quidem valde vereor, ne magnam plerisque in Europa rebus μεταμόρφωσιν mors ista tam intempestiua inducat, praesertim quum & alterius amici regis obitus iam accessisse feratur. Sed haec permittamus illi, qui regum & vitas & sceptra pro arbitrio suo versat atque moderatur.

Adfero nunc ad te controuersiam tui plane fori, qui *de funeribus* tam erudite scripsisti, vt inde nominis tibi immortalitatem comparaueris. Quaerit JOH. DRVSIVS in *Commentario ad L. Geneseos caput*, an illud in *symbolo*, quod *apostolicum* vulgo vocant, ἐτάφη non possit ad ἐνταφιασμὸν (g) referri? Sic enim in versiculo eiusdem capitis

---

(g) Differunt ἐνταφιασμὸς & ταφὴ, vt prius & posterius. Ἐνταφιασμὸς est actus τὴν ταφὴν *sepulturam* praecedens, quo corpora ad funus

capitis vltimo ab *interpretibus græcis* vſurpari videtur. (*) Putat autem hac ratione ταυτολογίαν excuſari poſſe, quae alioquin hic ſubeſſe videtur, ſi deſcenſum Chriſti ad inferos de ſepultura cum eruditioribus quibusque interpreteris. (h) Sed controuerſiam de deſcenſu Chriſti ad inferos nos quidem permittamus aliis: caeterum de interpretatione τοῦ ἐτάφη quid cenſes? Mihi qui-

---

nus inſtans praeparantur & componuntur. Vid. SVICERVS in Theſauro eccl. p. 1123, ANDR. RIVETVS in *Geneſin* pag. 901. JOH. DIET. WINCKLERVS in Animaduerſ. philol. & crit. P. I. p. 105. Saluatoris in cruce exſtincti ἐνταφιασμὸς a IOSEPHO & NICODEMO peractus deſcribitur Ioh. 19, 39. 40, eumque per τὸ ἐτάφη in Symbolo apoſt. innui DRVSIVS exiſtimat.

(*) Ibi enim vocem hebraeorum חנט, quae *aromatibus condire* ſignificat, per graecum θάπτειν expreſſerunt, antea verſ. 2. per ἐνταφιάζειν redditam.

(h) Hanc de deſcenſu Chriſti ad inferos ſententiam a nonnullis Reformatorum approbatam examini ſubiiciunt IOH. PEARSONIVS in *expoſit. ſymb. apoſt.* pag. 411. & SCHERZERVS in *Collegio Anticaluiniano* p. 290. Ea vero corruente, DRVSII quoque de ſenſu vocabuli ἐτάφη coniectura corruit, quippe quae in ſolo illam vindicandi ſtudio aliquid praeſidii inuenit.

quidem, vt verum fatear, paulo violentius videtur, a trita vocis ſignificatione ad tam inuſitatam, & quidem in ſymbolo, quod omnibus & pueris & mulierculis praeſcriptum eſt, abire. Deinde an tanti putabimus auctoribus ſymboli ἐνταφιασμὸν illum fuiſſe, vt illum inter prima fidei Chriſtianae capita inculcare voluerint? Denique quum id, quod ſequitur in noſtris editionibus de deſcenſu ad inferos, teſte RVFFINO (i) ſiue quicunque auctor (k) eſt illius in ſymbolum commentarii, ab eccleſiae romanae, imo & Orientis ſymbolo olim abfuerit: an putabimus, illos populos, nulla ſepulturae mentione facta, quam alioquin per deſcenſum ad inferos DRVSIVS intelligit, de ſola funeris conditione (ſic enim ἐνταφιασμὸν ipſe interpretatur) ſolicitos fuiſſe? Haec volui ſcribere, ne nihil ſcriberem; alioquin DRVSIO, viro de literis optime merito facile ignoſco, ſi ad exemplum HOMERI aliquando dormitauit.

Vale,

(i) Vid. PEARSONIVS l. c. p. 490.

(k) Conſentiunt hodie eruditi, illam *in ſymbolum apoſt. expoſitionem*, quae a quibusdam HIERONYMO, ab aliis CYPRIANO adſcripta eſt, hunc RVFFINVM eccleſiae aquileienſis presbyterum auctorem agnoſcere. Vid. BVDDEI *Iſagoge ad Theol.* Tom. I. p. 512. FABRICII *Biblioth. latina* lib. IV. c. 3. p. 732.


Vale, vir clarissime, & amore me tuo complecti perge. Dabam Dantisci (l) a. d. - Kal. Januar. MIↄcXXXII.

In Herrn Martin Vossen Hause, in der Töpfer-Gassen.


Tui obseruantissimus
MART. RVARVS.

(l) Huc anno 1632. ineunte noster se contulit. Hospitem ibi habuit MARTINVM VOSSIVM, Senatorem & Præsidem, cuius etiam filia ipsi in matrimonium data est. Quia vero errorum suorum prauitate multorum animos infecerat, neque vlla eius emendandi spes erat, vrbe tandem excedere iussus est, postquam integrum septennium in ea vixerat, & præcipuorum regni Polonici Senatorum negotia sibi commissa curauerat, ZELTNERVS l. c. p. 320. sqq.

'S.



NOVA BIBLIOTHECA LVBECENSIS.




VOLVMEN II.

LVBECAE
SVMTV IONAE SCHMIDII
A. MDCCLIII.






Sero nimis ad nos perlatae ſunt, quas alteri huic volumini deſtinaueramus, virorum doctiſſimorum commentationes. Quare tertio eas reſeruamus, quartum eodem ſemeſtri ſpatio, ſi DEO ita viſum fuerit, addituri, numero ſymbolarum a fautoribus & amicis collatarum quotidie creſcente. Memores etiam promiſſorum breui ſperamus fore, vt de rebus in regionibus ſeptentrioni ſubiectis inter eruditos geſtis lectores noſtros poſſimus facere certiores.




CONTINENTVR

Vol. II.

I. HEN-



I.

HENRICI SCHARBAU

Past. Ægid. & Rev. Minist. Senioris

Dissertatio

De vestigiis Pericoparum Synagogæ in N. T. frustra quæsitis.

Conspectus.

I.) Ratio instituti & occasio. II.) An tempore Christi & Apostolorum Paraschæ & Haphtharæ, quæ in Synagogis leguntur, usu fuerint receptæ & Christus sæpius ad easdem alluserit? III.) Chronotaxin sacram hoc subsidio non indigere. I. *IV.) Ætas harum pericoparum incerta. V.) Omnis divisio sacrorum scriptorum recentiorem ætatem spirat. VI.) Nullum hujus divisionis vestigium in novo foedere occurrit. Illustrantur loca quædam. Act. VIII. 32. XV. 21. VII.) it. Marc. XII. 26. Ebr. X. 7. VIII.) Neque in libris Maccabæorum aut Josepho. IX.) Neque etiam in Patribus apostolicis. X.) Prima harum sectionum mentio occurrit in scriptis Talmudicis. XI.) Loca quædam ex Aboth, Schabbath, Taanith, Megillah.* II. *XII.) Dissentiunt Judæi circa ordinem ac*

ac combinationem harum Pericoparum. XIII.) Dissensus inter Judæos Germanos, Hispanos & Italos. XIV.) & Orientales. XV.) Ipsi Judæi in hac sibi causa parum satisfaciunt. XVI. & XVII.) Relatio de origine Haphtararum Synagogæ fabulosa. XVIII.) Lex Antiochi nullum piæ fraudi locum reliquit. XIX. & XX.) Cessante & labente hac traditione omnia corruunt, quæ de interpretibus chaldaicis & græcis adduntur. XXI.) De libro Legis inter reliqua spolia Romam translato & asservato. III. *XXII.) De subsidiis interpretationis ex Pericopis Synagogæ petitis. XXIII.) Rationes & fundamenta totius Hypotheseos. XXIV.) Difficultates, quibuscum hæc hypothesis luctatur. XXV.) Argumentum hoc nondum hactenus excussum. XXVI.) Multa loca in medium allata quæ plane huc non spectant. Matth. IV.* 1. *Joh. I.* 19. 20. *Joh. IV.* 34. *&c. XXVII.) Loca de diebus festis in medium allata, in quibus Salvator ad pericopas publice prælectas respexerit. XXIIX.) De loco Joh. V.* 1 *sq. it.* 37. *XXIX.) Joh. VII.* 19. *it.* 23. 49. 51. *XXX.) De loco Joh. X.* 36. *XXXI.) Loca quædam, quæ ad Sabbaticas pericopas respicere videntur. Luc. IV.* 16. 21. *XXXII.) Luc. VI.* 1 *sq. Matth. XII.* 5. *XXXIII.) Locus Act. XIII.* 17-20. *eum in finem adductus, ut exemplo sit Pericopæ Mosaicæ & Propheticæ eodem olim die conjunctæ, ut in Synagogis hodie leguntur.*

I.

I.

Legunt Judæi in Synagogis certas fixasque ſacrorum ſcriptorum partes, qvas uſitato ſtilo pericopas vocare licet, in diebus Sabbati & feſtis. Solent eas, qvæ ex Moſe prælegunturr, Paraſchas dicere, Propheticas vero Haphtharas. Verba de his facere ſupervacaneum eſt, cum longe plurimi ſint, qvi de hoc Judæorum ritu egerint. Omnium tamen induſtriam ſuperat BARTOLOCCIVS, Bibliothecæ rabbinicæ magnæ P. II. p. 503 ſq. Enumerat enim Paraſchas qvinqvaginta qvatuor, ordinemqve, qui in his prælegendis qvotannis obſervatur. Cum vero pro diverſitate annorum embolimæorum & reliqvorum communium lectio diverſa ſit, tabulam ſubjungit ad ordinem cicli decem novennalis diſpoſitam, p. 601 ſq. De Haphtharis itidem agit, qvæ Paraſchis adjunguntur, ſecundum ordinem Synagogarum, qvæ eundem qvidem in Paraſchis ordinem obſervant, ſed in Haphtharis non paucis Germanorum, Hiſpanorum & Italorum Synagogæ variant. Addit deniqve p. 671 indicem Lectionum ex Hagiographis, imo ex Gemarah & Miſchnah, qvas illi ſolent addere, qvi ſe ſanctitate & induſtria reliqvos ſuperare credunt. Cum autem Gemaram propter ſtili varietatem & difficultatem omnes non capiant, ſubſtituunt in ejus locum aliqvi ſectiones ex Maimoni-

 moni-

monidis חזקה יד aut ex Jacobi Bar Asser ארבע טורים, qvi easdem materias plano & elegantiore stilo pertractant. Neqve tamen hæc addidissem, nisi in seqventibus aliqvem mihi ex iisdem usum promitterem.

II. Versatur in ea opinione vir doctissimus, sed nuper ad meliorem vitam translatus JO. ALB. BENGELIVS, de Chronologia immortaliter meritus, has Synagogarum pericopas jam ætate Christi & Apostolorum, & ante initia novi foederis usu fuisse receptas, & Christum in sermonibus suis divinis, qvos in Festis & Sabbatis freqventer pronuntiavit, ad easdem respexisse & allusisse. Præsupponit hoc tuto sæpius in Harmonia Evangelistarum elegantissima oppido & cedro digna, lingvaque vernacula conscripta. Nam certissime sibi habet persvasum, sectionem eandem, qvam Judæi hoc vel illo Sabbato aut festo legunt, etiam tempore Christi & Apostolorum in Synagogis fuisse prælectam & materiam præbuisse sermonibus Jesu Christi, qvæ si certa essent, peropportune accidisse dixeris, & sermones fuissent de tempore. Fateor applausisse me, cum hæc primum legerem, invento Bengeliano. Nam ante eum nemo fuit, qui hæc observaverit, certe nemo fuit, qvi in usum suum pro interpretandis Evangelistarum scriptis verterit. Sed cum

cum omnia diligentius penſitarem, obſervavi, mihi & viro optimo aqvam hærere. Poſtea vero, cum ordinem temporum evolverem, vidi ego hanc, quam ſtatuit Haphthararum ætatem & concordiam, in ſubſidium vocari ſtabiliendæ chronotaxeos Evangelicæ, qvæ cap. V. p. 218. occurrit. Hanc igitur format hypotheſin: „*Comprobari annos à ſacris ſcriptoribus indicatos & totam ſeriem Evangelicæ hiſtoriæ ex ſapientisſima Salvatoris in ſabbatis & feſtis diebus alluſione ad lectiones Moſis & Prophetarum.*“ Evolvi rev. Dn. D. HAVBERVM, qui cum Bengelio de rebus ad Harmoniam Evangeliſtarum disceptavit, ſed ita ut reſpublica ſanctior emolumentum inde capiat, & ea moderatione ut Theologos de rebus exegeticis discrepantes decet. Hanc tamen, qvantum ego obſervavi conjecturam intactam, aut ut videtur ſuo loco relinqvit. Qvid mihi vero de eadem videatur, exponam.

III. Plane mihi perſvaſum eſt, tam elegantem eſſe totius Evangelicæ hiſtoriæ ordinem, tam certa criteria, ut non ſolum totius chronologiæ cardo in chronologia Evangelica verſetur, ſed & totus chronologiæ ſacrorum virorum ordo ſua ſe virtute mirifice ſuſtentet. Filum etiam, ut recte ſtatuit B. Bengelius, totius narrationis Evangeliſtarum non interruptum ab initio ad finem

usqve pertenditur. Hæc vero omnia tam ſapienter & ſancte diſpoſita ſunt, ut attentum lectorem effugere neqveant. Hoc igitur novo ſubſidio non eſt opus, neque linea chronologica, aut circuli chronologici ullo modo turbantur, etiamſi hanc alluſionem ad pericopas Synagogæ mittamus. Sive enim locus Moſaicus prælectus fuerit, ſive non fuerit, & pro arbitrio provocaverit Chriſtus ad teſtimonia Moſis & ſanctorum vatum, perinde eſt. Certum eſt Chriſtum omnia egiſſe & locutum eſſe ſapientisſimo conſilio, ſive anſa ipſi loqventi data fuerit ſive pro lubitu accepta. Ut tamen ordine diſponam, qvid de hoc invento ſentiam, monſtrabo, illud laborare præjudicio venerandæ ætatis, qvæ dubia eſt & incerta qvidem, ſed ad tempora Chriſti & Apoſtolorum non pertingit. Præſupponit vera eſſe & certa, qvæ fabulas tamen Judaicas & â Judæorum Magiſtris fictas ſapiunt. Loca deniqve novi foederis, pro ſtabilienda hac hypotheſi in medium allata rem plane non conficiunt. Disquiram igitur I.) de ætate harum Pericoparum, quæ hodie in Synagogis ſunt receptæ. II.) Fabulas Judæorum interpoſitas detegam. III.) Inquiram in loca, quibus illuſtrandis inſervire perhibentur.

I.) IV. Præſupponit hæc hypotheſis venerandam receptarum hodie Pericoparum

&

& reverendam canitiem. Et plerique, qvi de his Pericopis egerunt, ita ſecurius locuti ſunt, qvi non ad ſtateram veritatis, ſed communi & recepta trutina eam, ut ſolet fieri, examinarunt. Refert originem ad tempora Moſis aut Esdræ, qvi poſt reditum ex Babylonica captivitate omnem operam impendit, ut ſacris literis dignum pretium ſtatueretur. Sed ſuſpecta & incerta ſunt omnia qvæ de fixis certisqve ſectionibus (de qvibus hoc loco ſermo eſt) dicuntur, ut, qvocunqve te vertas, nihil, ubi pedem tuto figas reperire liceat. Publice & privatim non in Synagogis ſolum ſed & ante Synagogarum originem legere tenebantur Iſraelitæ ſacra ſcripta. Legi debebant, & ſancte tractari divini ſcriptores ex præſcripto Legislatoris jam ab ipſis ſacri cultus incunabulis. Publice & interdum ſolenni ritu recitandi, ut temporibus Joſiæ & Esdræ. Prælecti fuerunt teſte Luca ab antiqviſſimis temporibus. Et qvis in dubium hoc vocaret? Sed an diviſio Moſis in Paraſchas & Prophetarum in Haphtharas obinuerit & hodiernus Pericoparum ordo hanc ætatem ferat, hoc in loco jam disqviritur. Hoc non ſupponere ſed certiſſimis documentis probare tenetur, qvi tantam iis fidem tribuit, & tam inſignem ſibi ex iisdem uſum pollicetur. Accepit Chriſtus in manus ſuas volumen Propheticum, non improbavit hunc

ritum qvo ſacros vates evolvebant & tracta-bant in ſcholis publicis. Commendavit Judæis ſcrutinium cœleſtis hujus theſauri, prælegit Chriſtus Propheticum textum, (ita ſolemus contexta ſcriptorum verba appellare,) expoſuit etiam & interpretatus eſt. Nullum vero hic vel minimum extat indicium certæ aut fixæ iſto die pericopæ. Teſtimonium Lucæ nullo modo pro hac ſententia militat, frequentem & perantiqvum morem ſacros ſcriptores per Sabbata & feſta legendi & tractandi ſuo calculo probat, de certis & alligatis ad certos dies pericopis ne verbum qvidem addit. vid. Luc. IV. 16 ſq. it. Actor. XIII. 27.

V. Omnis diviſio librorum in certas partes, recentem ætatem ſpirat, & propter inſignem legentium uſum tandem inventæ ſunt. Antiqviſſimi etiam codices, qvos noſtra ætas oſtentat ſacrorum ſcriptorum, tam ebraicorum qvam græcorum ne verborum qvidem diſtinctionem agnoſcunt. De codicibus ebraicis, de qvibus potiſſimum mihi ſermo eſt, nota ſunt Eliæ Levitæ verba, qvæ propter ſynagogarum diſcipulos appono, qui harum rerum plane non periti & in re literaria plane hoſpites ſunt. Teſtatur enim caruiſſe ebræorum codices vetuſtiſſimos omni prorſus diſtinctione.
לפי דעת בעלי הקבלה כל התורה היא
כפסוק

כפסוק אחד ו״א כתיבה אחד, *Secundam sententiam cabbalistarum tota lex scripta fuit, ut unus versiculus, imo sunt, qvi dicunt, ut unica litera.* Hoc tamen non obstante & legi potuit liber non distinctus per partes qvasdam, & divisus & lectus prælectusque per partes, cum una vice legi & absolvi non potuerit, etiam ante Parascharum & Haphthararum receptam recitationem.

VI. Nullum vero receptæ hujus & hodiernæ divisionis vestigium reperitur in scriptis novi foederis. Lucas quidem in Actis, cap. VIII. 32. περιοχὴν τῆς γραφῆς citat, nec HVETIVS in suis ad Origenis commentaria observationibus & notis dubitat, respexisse ad Lectiones in Synagogis receptas sanctissimum scriptorem, p. m. 18. & tales qvidem qvas vel Esdras vel Moses ipse disposuerit. Sed nimis secure hæc scripsit Huetius. Legit peregrinus hic hospes in curru suo locum ex Prophetia Jesaiæ, περιοχὴν nuncupat Lucas, sed Haphtharam fuisse elapso Sabbato & septimanæ isti, in qva iter suum prosequebatur destinatam non ait, & bene qvidem Huetius transfert *un passage*, quamvis altera manu recipiat qvod una largitur. Occurrit in his apostolorum actis locus alter, qvi pro Paraschis isto tempore receptis militare videtur.

tur. cap. XV. 21. Jacobus in Synodo Hierosolymitana verba faciens, ait: Mosen per Sabbata singula in Synagogis fuisse prælectum & qvidem ἐκ γενεῶν ἀρχαίων ab antiqvis temporibus. Neqve dubitare licet, qvin in conventibus sacris, à primis statim conscripti Pentateuchi seculis, usu receptus & publice prælectus fuerit. Docet Lucas usum, lectionem, publicam etiam prælectionem, lectionem hebdomadariam, solennem in scholis publicis prælectionem in Sabbatis, partem etiam aliquam sacrorum scriptorum prælectam fuisse, cum omnis absolvi uno halitu aut Sabbato non potuerit. Sed istas, qvas Judæi jactant pericopas, opus laude sua non defraudandum, lectas esse locus Lucæ neqvaqvam evincit.

VII. Vellem hæc pro instituto suo tractasset SVRENHUSIVS, qui de variis allegandi modis in novo foedere integro libro docte disseruit. Protulisset vir harum rerum peritissimus more suo multa eximia, si hanc provinciam suscepisset. Sed vix hoc ipsi in mentem venit. Relicta erat hæc sparta huic Würtembergicæ terræ ornamento. Qvi vero mihi scrupuli contra occurrant, monebo. Observo igitur, non fuisse usu receptum, ut Mosaicorum aut Propheticorum librorum sectiones citarentur, quod fecissent sine dubio, si hæc divisio aut obtinuisset,

nuiſſet, aut in publicis congregationibus ſecundum rituale judaicum ſolenniter obſervata & recitata fuiſſet. Provocant ſcriptores N. T. ad Moſen, & verba Moſis & materiam à Moſe pertractatam, capitum vero aut Pericoparum nulla usquam occurrit mentio. Marc. XII. 26. occurrit βίβλος Μωσέως. Act. VIII. 42. βίβλος προφητῶν. Actor. I. 20. βίβλος ψαλμῶν, absque ulla ſpecialioris diviſionis mentione. Provocant libri novi foederis ad materias à Moſe atqve Prophetis relatas, ad facta & geſta remotæ ætatis, non vero ad pericopas. Vide inprimis Luc. XX. 37. ubi Dominus citat Moſen de rubo (ἐπὶ τῆς βάτȣ) ſcribentem, nam verba, ad quæ Chriſtus provocat, non á Moſe, ſed angelo prolata ſunt, qvæ Moſes citato loco retulit. βίβλος qvidem & βιβλίον etiam de operibus in partes ſuas diviſis, adhibetur. Sed ſi ea diviſio obtinuiſſet, qvæ hodie recepta eſt, & memoriæ ſublevandæ non parum conducit, ejus certe mentionem aliquam feciſſent, aut veſtigia qvædam iſtius conſvetudinis reliqviſſent. Poſſet denique pro ſtabilienda hac diviſionis Moſaicæ ætate videri facere locus Ebr. X. 7. Si κεφαλίδα βιβλίȣ exordium Geneſeos aut Paraſchah בראשית denotare certum eſſet, aut ſi κεφαλὶς idem eſſet qvod caput aut ſectio libri. LUD. CAPPELLUS in ſpicilegio, qvod cum JOH. CAMERONIS Myrothecio

thecio Evangelico editum eſt, pro certo hoc habere multos & Paulum ad primam Paraſcham Moſis reſpicere docet. Sed conſenſum ſuum & calculum iis non addit. p. m. 121. „Sunt, qvi putant, reſpexiſſe Paulum „(imo etiam Davidem in Pſalmo XL.) ad „locum illum celebrem Geneſeos: Semen „mulieris conteret caput ſerpentis, idque „innui exiſtimant voce κεφαλίδι, qva ſi„gnificari putant Paraſchas ſive ſectiones, „in qvas Lex, ſeu Pentateuchus Moſis á „Judæis jam olim ante tempora Apoſtóli „diſtinctus aut diſſectus fuit, adeoqve, pri„mam Legis Paraſcham ſive ſectionem „voce illa ſignificari ἀντονομαςικῶς putant, „ut ἐν κεφαλίδι ſit ἐν μιᾷ ſive πρώτῃ κε„φαλίδι.“ Huic ſuum addit Cappellus judicium: „Verum vox מגלה (qva Pſaltes „uſus eſt) ejusmodi ſectiones non denotat, „neqve conſtat Davidis tempore Legem „fuiſſe in varias illas ſectiones diviſam. „Non eſt itaqve eo usqve urgenda vox illa „græca, ut idem ſit, qvod jam κεφάλειον „dicitur. Melius illi, qvi putant, lingvâ „helleniſticâ κεφαλίδα idem eſſe, qvod „volumen, ſiqvidem tum hic, tum Esdr. „VI. 2. Ezech. II. 9. invenitur vox illa „uſurpata pro מגלה, qvod eſt in hebræo.“ Add. ven. DEYLING, ex Fullero *obſerv. S.* P. I. p. 32. & qvos ibi citat. Quibus adde LIBERIVM de S. AMORE, i. e. CLERI-

CVM

CVM *in Epistolis Theologicis*, *Epist.* X. p.265. & JOH. d'OUTREIN *in Commentario ad h. l.* Illud vero obſervationem meretur: Chriſtum, qvi ad Moſen & Prophetas ſæpe provocat tam in coetibus publicis, qvam in ſermonibus aliis & redarguendis adverſariis, cum in Templo publice faceret verba, ubi Pſalmi Davidici magna cum ſolennitate recitarentur, ad Davidis Pſalmos ſæpisſime provocaſſe, qvi inter Hagiographa numerabantur, & plane exulant à tabulis pericoparum judaicis. Prima Chriſti verba, qvæ divinitus nobis conſervavit Lucas II. 49. & qvæ annum agens duodecimum in templo protulit, ex Pſalmo ſecundo deſumta ſunt, & ad æterni Patris gloriam, & fiduciam Flii in Patre poſitam celebrandam faciunt. Præcipuè in munere difficillimo & in pasſionibus jam inſtantibus per omnes Pſalmos Mesſianos ſe plane diffundunt orationes Chriſti. vid. Matth. XXI. 1. ſq. ubi Chriſtus in templo conſtitutus hoſtibus propter ſolennem in urbem & templum introitum offenſis occinit verba Pſalmi VIII. 3. adde Matth. XXI. 42. collatum cum Pſalmo CXIIX. 22. it. cap. XXII. 43. coll. cum Pſalmo CX. 1. &c. Multi forte hic fructus colligi poſſent in agro foecundi ingenii, ſi alluſiones qværere & luſibus ingenii vir aliqvis doctus aliqvid dare vellet.

VIII.

VIII. Apud JOSEPHVM altum denuo eſt de hac diviſione Moſaicorum & Propheticorum ſcriptorum ſilentium. Nihil plane in toto Antiqvitatum Judaicarum apparatu de his pericopis, ne ullum qvidem veſtigium occurrit. In afflictionibus ab Antiocho perpesſis narrat templum ſpoliatum, candelabra aurea ablata, altare aureum, menſam panum propoſitionis aulæa, theſauros reliqvos. Addit etiam, vetita fuiſſe qvotidiana ſacra, L. XXI. c. VII. p. m. 409. Sed de interdicta lege & hebdomadaria ſacrorum lectione in Synagogis, aut interdicto pericoparum uſu nihil habet. Neqve etiam hujus conſvetudinis meminit in de Maccabæis, cap. V. p. 1088, ubi hanc Antiochi Epiphanis perſecutionem iterum deſcribit. Contra Apionem occaſionem denuo nactus hæc ediſſerendi, ait qvidem ad legis auſcultationem Judæos conveniſſe & in unaqvaqve ſeptimana tractaſſe ſacros ſcriptores, ſed ſicco denuo pede hunc morem Moſem & Prophetas per ſtatas fixasque periodos legendi tranſit p. 1072. Moſaicam inſtitutum ad iſtud tempus obſervatum fuiſſe, ait, qvod plane novo huic inſtituto opponi poteſt, cum pauci ſint, qvi Paraſcharum ætatem ad Moſis tempora evehant. Nam de Moſe Legislatore ſcribit, l. c. ὐκ εἰσάπαξ ἀκροσαμένυς, ὐδὲ δὶς ἢ πολλάκις ἀλλ᾽ ἑκάςης ἑβδομάδος τῶν ἔργων ἀφεμένυς, ἐπὶ

ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν τῦ νόμυ ἐκέλευσε συλλέγεσθαι, καὶ τῦτον ἀκιβῶς ἐκμανθάνειν. Non ſemel audire nec bis vel ſæpius, ſed in unaqvaqve ſeptimana alios labores relinquentes ad legis auditionem congregari præcepit univerſos, eamque perfecte addiſcere. Conveniunt hæc Joſephi verba cum effato Jacobi ſuperius allato. Autor libri Maccabæorum Antiochi perſecutionem pariter enarrat, qvi laceratos etiam & flammis conſumtos fuiſſe libros ſacros, qvos reperire poterat, addit. 1. Maccab. I. 59. 60. enecatis iis, qvi tradere iſtos recuſaſſent. Uterque & Joſephus & ſcriptor horum librorum incredibilem Judæorum curam laudant conſervandi libros ſacros, & teneris animis inſtillandi notitiam rerum ſacrarum, & venerationem qva eos complectebantur. Neuter vero, cum optima & frequens occaſio daretur, ſubſidium hoc memoriæ & filum annui curſus tam utile vel verbulo tangunt. Quo in caſu ad ſilentium autorum non immerito provocatur.. Addo gloriationem Joſephi, inſignem tantæ venerationis teſtem, qua ſacros ſcriptores proſeqvuti ſunt. Ἡμῶν δ' ὁντινῦν εἴτις ἔροιτο τὺς νόμυς, ῥᾶον ἂν εἴποι πάντα, ἢ τὔνομα τὸ ἑαυτῦ. Noſtrorum vero qvemlibet, ſi qvis leges interroget, facilius eas qvam nomen ſuum recitat.

IX.

IX. Superſunt nobis pauca priscæ & nascentis ſacræ civitatis monumenta, periiſſe enim plurima ſcimus. Sed ex illis qvæ reſtant forte unicus Autor Epiſtolæ, qvæ Barnabæ nomen præ ſe fert ex Judaica gente fuit. Etſi enim nomen autoris non fuit Barnabæ, certum tamen eſt genus autoris eſſe judaicum. Tranſierunt ad Chriſtianorum ſacra Judæorum multi, & ex iis multi fuerunt de familiis ſacerdotum & ſectá Phariſæorum qvod Lucas teſtatur. Actor. VI. 7. atqve adeo viri Judaicarum rerum peritisſimi. Cum vero omnem ſuppellectilem, etiam librorum, qvos vel collegerant vel ſcripſerant, ipſi relinqverent in fuga præcipitata & vix vitam aufferrent, & tempeſtatem tranſituram Pellæ & in confiniis inter varias ærumnas difficilesqve curas exſpectarent, de recuperandis libris neqve animo qvicqvam concipere, neqve animum ad ſcribendum appellere potuerunt. Etiamſi vero ex iſtis Judæis qvondam Hieroſolymæ incolis aut reliqvis in terras reliqvas diſperſis, aliqvid literis mandarint lingva ſua vernacula, mirum non eſt periiſſe omnia, cum reliqvæ gentes ebræa neqve amabant neqve legebant, ex Ebræis autem pauci lingvarum peregrinarum adeo periti fuerunt, ut ſcriptis aliqvid in lingva vel græca vel latina conſignare potuerint. Periit igitur optimum & certum ſubſidium eorum ſpoliorum,

rum, qvæ exſpectare licebat à viris ebraicorum rituum peritis. Supereſt tamen Barnabas, aut qvisquis iſtius Epiſtolæ autor eſt natione Ebræus. Sive igitur ſecundo demum ſeculo, ſive primo, quod plurimis videtur, vixerit, non exiguam prodit Judaicarum rerum peritiam. Exigui quidem fuit judicii, nec ingenio magis pollet, ſed domeſticæ & patriæ diſciplinæ non fuit rudis. Habet in enumerato dicta & teſtimonia antiqui foederis, ſed nullum in tota hac Epiſtola indicium apparet iſtius, de qua agimus, diviſionis. Legem, Davidem, Prophetas citat, libros Moſaicos nomine Deuteronomii appellat & legem Moſis nomine Decalogi, quod ante eum quemquam facere non memini. vid. COTELERII Patres Apoſtol. P. I. c. X. p. 30. & cap. XV. p. 43. Davidi etiam titulum Prophetæ tribuit, p. 18. Non tamen Moſaicas aut Propheticas pericopas vel verbulo tangit, neque apex alicujus receptæ diviſionis ullibi extat, qvod feciſſet ſine dubio, cum ad convincendos ſuos cives totam Epiſtolam conſcripſerit. In *Conſtitutionibus*, qvas vocant *apoſtolicis*, paſſim lectionis ſacrarum ſcripturarum mentio fit. L. II. c. LVII. cap. LIX. L. V. c. IX. L. VIII. c. V. ſed ita ut plane differat à Lectionibus in Synagogis per pericopas diſtributis. Lib. II. c. LVII. p. m. 264. editionis Cotelerianæ dicitur Lector prælegiſſe libros

libros Moſis, Joſuæ, Judicum, Regnorum & Paralipomenon, & quæ de reditu populi conſcripta ſunt, ut & Jobi & Salomonis volumina & ſedecim Prophetarum. Eandem formam, eundemque ordinem in tabernaculo & templo obſervatum fuiſſe additur, p. 266, ut videas non immemores fuiſſe primos Chriſtianos eorum, quæ circa tractationem & lectionem ſacri codicis obſervata erant á Judæis, qui magnam collecti gregis novi partem conſtituebant. Libro porro quinto, c. XIX. dicuntur in ſacris coetibus legiſſe primi Chriſtiani legem, Prophetas, Pſalmos, & recitato Evangelio ſacris officiis Dominicalibus finem fuiſſe impoſitum. conf. L. VIII. c. V. p. 396. ubi addendæ obſervationes Cotelerii. In *Clementinis* p. 651. b. Legis volumen primum occurrit, & citantur quædam ex τῷ πρώτῳ τῦ νόμυ βιβλίῳ, nempe Gen. XLIX. 10. Certas ſtatasque pericopas prælectas hoc tempore non fuiſſe monſtrat CAVE in *Chriſtianismo primævo.* C. IX. p. m. 287. Hæc vero eum in finem obſervo, ut commonſtrem, nihil occurrere in reliquiis primi & ſecundi ſeculi, quod hypotheſin de ætate pericoparum in Synagogis obſervatarum ſublevet. Migraſſent autem nequaquam morem non innoxium ſolum, ſed & laudandum & proficuum, præcipue ſi Judæi in ſcholis ſuis iis fuiſſent aſſveti. Judæi applau-

applausissent, vocati autem ex gentilibus tam plana vestigia in coetu recepta ultro secuti essent. Nam etsi parum VITRINGÆ tribuam, qui sacros sanctioris populi ritus plane ad formam Synagogæ formatos putat & integro libro magno molimine docet, cum hæc vel ex campacto vel forte introducta esse debuerit imitatio, quod utrumque incertum est; ea tamen, quæ hactenus proposui, eum in finem non attuli, ut docto huic viro in omnibus suppetias feram. Lectio sacrorum librorum quasi continuatio fuit moris laudabiliter recepti, cui postea Canon novi foederis fuit additus. Perrexissent vero, ita statuo, in instituto & tam laudabili opere, nec solum lectionem, sed etiam ordinem, si quis eo tempore introductus & receptus fuisset, conservassent. Non consvetudine autem aut imitatione nititur receptus in sacris conventibus ritus sacros libros tractandi, sed necessitate magistra adducebantur Doctores Ecclesiæ. Codex enim sacer, in quo omnia revelatæ religionis Capita continentur, omnibus debebat innotescere, ut fundamenta sanctæ doctrinæ animis auditorum imprimerentur.

X. Totum igitur hoc negotium, in certa capita dividendi scripta Mosis & Prophetarum, relictum fuit Doctoribus Judaicis, qui hac & sequente ætate vivebant. Cum enim

DoctoresMischnici corpus suum Judaicorum rituum conficerent, qui labor incredibilem diligentiam commonstrat conservandi apud posteros ea, qvæ a majoribus acceperant: non minorem diligentiam adhibuisse credibile est, in conservando divino canone, cujus pretium non agnoscebant solum, sed & civibus commendatum esse, maximopere cupiebant. Commoda igitur ipsis visa fuit sacrorum autorum per partes divisio, ut Synagoga perpetuam lectionum normam haberet, cum antea Doctores pro arbitrio egissent. Accedere poterat, pro zelo, qvo sibi & coetibus prospiciebant, ut sibi persuaderent, opportunum esse remedium suos fascinandi infelicissimo præjudicio, a majoribus sumto. Confecto præterea Canone novi fœderis, cujus autoritati & gloriæ invidebant, tanto magis suis commendatos volebant V. T. libros: lectionem frequentem urgebant & certam lectionibus vagis & arbitrariis formam dabant. Novam apud suos venerationem codici huic veteri in odium novi jam publice apud Christianos introducti addere in detrimentum, si possibile esset, sanctissimorum nostrorum N. T. librorum, studebant. Majorem hæc veri speciem habent, quo magis etiam lectiones textuum Mischnicorum & Gemaricorum, pericopis Mosaicis & Propheticis accommodatas, earumque usum urge-

urgebant, vel istis temporibus jam receptas vel a posteris superadditas. Qvo igitur præcise seculo, seu qua seculi periodo, quo loco, quibus autoribus, qua autoritate scripta Mosis & Prophetarum ita, ut videmus, divisa & Synagogarum usui accommodata & introducta fuerint, definire non licet; hoc tamen intervallo post Christi & Apostolorum tempora, Hierosolymis destructis & dispersis in omnes mundi plagas Judæis, originem harum pericoparum quærendam judico. Scilicet cum everso templo, magna pars divini cultus, sacrificia, sacerdotum & levitarum cura & labor, loco sacro alligata, festa publica in urbe celebranda, mactatio agni paschalis, & reliqua his cognata cessarent, prospicere sine dubio civibus suis dispersis voluerunt, qui curam sacrorum gerebant, collectione non solum traditionum, ne animis elaberentur, sed & divisione scriptorum sacrorum, ut commodius tractari & absolvi possint per anni decursum. Hæc mea est de Parascharum & Haphthararum ætate & origine opinio, quam quidem contra pertinacem adversarium defendere nolo, cum parum nostra intersit. Aliorum igitur eam judicio relinquo, ut vel stare vel cadere possit pro arbitrio virorum doctorum & modestorum. Illud autem pro certo habeo, & rationem, ut puto, sufficientem invenit in iis, quæ

hactenus disserui, Pericopas has Synagogæ ætatem Christi non attingere. An, qui idem fere sentit B. LOESCHERUS, iisdem rationibus permotus fuerit, quas ego in medium protuli, non equidem scio, gratulor tamen mihi de consensu viri optimi, cujus ego memoriam & cineres colo, de caussis linguæ ebrææ c. V. §. XVI p. m. 69. ita scribit: " tutissimum igitur fuerit ita „sentire. Habuisse Ebræos antea aliquid „Synagogis analogum, prælectum iis fuis„se interdum codicem sacrum. . . . „Ipsum tamen Parascharum divisionem & „ad Sabbata certa adstrictionem, post ex„cidium urbis demum factam existimo. „Etsi sciam plerosque doctissimos viros pro „moris istius antiquitate tanquam pro aris „ac focis depugnare."

XI. Adducam ex corpore Mischnico loca quædam, quæ divisionem hanc eo tempore obtinuisse docent, nomina certe tam Parascharum quamHaphthararum passim in Mischna occurrunt. Subindicare tamen videntur, non adeo antiquas esse ejus origines, nativitatem non adeo remotam, infantiam etiam, & omnibus non æque acceptam, imo diversam in diversis locis & Synagogis. SURENHUSIUS in *formulis allegandi ebræorum* producit loca quædam, in quibus divisio librorum sacrorum in scripta

ſcripta Moſis, Prophetarum, & Hagiographa occurrit, mentionem vero Paraſcharum & Haphthararum non videtur obſervaſſe. Conſueta hæc in ipſa Gemara formula repetitur a Maimonide ad tractatum אבות cui Gemara deeſt, Miſchnæ Mantuanæ editionis ad cap. IV. §. 4. fol. XCV.B. אמרו דבר זה כתוב בתורה ושנוי בנביאים ומשולש בכתובים. כ״ל מקום שאתה מוצא גבורתו של הקב״ה שם אתה מוצא ענותנו. i. e. dixerunt Doctores noſtri; ſcriptum eſt in lege, repetitum in Prophetis & tertia vice edictum eſt in Hagiographis, & ubicunque Majeſtatem, ibi etiam invenies ejus humilitatem. In Tractatu שבת cap. VIII. §. 3. agunt de Pergameno, cui Tephillin inſcribere ſolent, huic inſcribi licere ajunt Paraſcham parvam die Sabbati. קלף כדי לכתוב עליו פרשה קטונה. Pergamenum vocant, cui inſcribitur *Paraſcha* minor. Ibidem cap. XVI. th. 1. ſcribunt: כל כתובי הקדש מצילין אותן מפני הדליקה בין שקורין בהן ובין שאין קורין בהן. Omnes libros ſacros eripiunt (in die ſabbati) ex flammis, tam eos, quos publice ſolent legere, quam eos, quos publice non legunt. De ſolenni igitur, publica & fixa textuum Moſaicorum & Propheticorum agitur

tur in hac theſi. Præſupponit igitur hæc theſis morem introductum & diſcrimen inter libros publicis prælectionibus deſtinatos & privatæ ſolum devotioni relictos. Nam poſt introductum hunc in Synagogis Paraſcharum atque Haphthararum uſum vetitum etiam erat legere in Hagiographis, ſcilicet tempore lectioni publicæ in Synagogis deſtinato. Hoc certe recens videtur inventum Judaicum, priſcis temporibus incognitum & ſpecimen ingenii & acuminis judaici, iſti ævo plane non diſſimilis. Cauſam hujus ſtatuti liturgici addere conatur R. OBADIAS de Bartenora, ſed quæ mihi non valere videtur ad excuſandos autores. אסרו לקרות הכתובים בשבת בשעת בית המדרש משום דמשבי ליבא ואתו לאמנועי מלשמוע הדרש. i. e. Prohibuerunt legere Hagiographa in ſabbato tempore lectioni publicæ, (pericopis Moſis & Vatum) deſtinato, idque ideo, quoniam iſta animum ſuavitate alliciunt, & avocant a frequentatione ſcholæ. In תענית etiam receptæ hujus nuper diviſionis veſtigia inveni. Sufficiant ſequentia. Cap. IV. th. 3. de Lectionibus virorum ſtationis ſeu publicis Lectoribus multa præcipiunt, quæ jejunia & lectionem publicam concernunt. Hæc cum hodiernis Judæorum ritibus plane non conveniunt.

niunt. Sed videas tamen mentionem ibi injici pericoparum prolixarum & brevium פרשה גדולה קורין אותה בשנים והקטונה ביחיד. Si Parascha sit prolixa, legunt eam duo, si brevior, unus legit. In tractatu מגילה sæpissime harum pericoparum fit mentio, capite inprimis tertio Parascharum ordo enumeratur, quas legebant in septimanis in festo etiam Paschatis, novi anni & tabernaculorum. Hæ pericopæ longe diversæ sunt ab istis, quas hodie legunt. E. g. in festo Paschatis legenda erat (secundum Mischnam,) pericopa ex Levit. XXII. 26. Hodie vero in omnibus Synagogis Paraschah ex Exod. XX. 21. & Haphtharah ex Jos. V. 2. &c. Interpretes Judæi hanc discrepantiam negare non possunt. MAIMONIDES scribit זה הדבר מבואר והסדר הקריע באלו הזמנין וחיא רמנהג פשוט מכל ישראל. Sensus hujus Mischnæ est perspicuus, sed ordo hujus Lectionis secundum hodiernam consuetudinem universi Israelis diversus est. Alia hujus generis occurrunt thesi sexta. Ubi tamen observo: non solum in Tosephot Jom tobh ad h. l. sed & in Maimonide & R. Obadia de Bartenora Haphtharas dici addendas Paraschis, festis & sabbaticis lectionibus accommodatas, in textu tamen Mischnico Haphthararum vocabulum non

 occur-

occurrit. Occurrit tamen cap. IV. §. 5. ubi additur ex Propheta, & docetur quid obſervandum למפטיר הנביאים iſti, qui particulam quandam ex Propheta prælegit. Hæc vero omnia ſatis ſuperque videntur evincere, incunabula iſtius diviſionis ſacrorum librorum in ætate iſta eſſe quærenda, variationem enim quandoque ſubierunt ideo, quod ſeligerent Haphtharas ſectionibus Moſaicis & feſtis magis convenientes, donec ſenſim ad majorem & maturam ætatem pervenerunt. Haphthararum forte conſtitutio recentior eſt quam Paraſcharum; ſed neque hæ neque iſtæ, eo quo hodie & per longa jam temporum intervalla leguntur, ad tempora Chriſti & Apoſtolorum referri poſſunt.

XII. Accedit nova hinc difficultas, & talis quidem, quam ſolvere non facile poſſunt, qui Pericopas hodiernas in ſcriptis Evangeliſtarum quærunt & alluſiones á Salvatore ad ſcriptores V.T. obſervatas, ex ordine hodierno Haphthararum Synagogæ metiuntur. Diverſitatem innuo Haphthararum priſcarum ab hodiernis, cujus indicia jam adduxi, & hodiernarum, pro diverſitate gentis ſeu regionis quam Judæi incolunt. Perpetua & in Synagogis omnibus recepta, ſi aliquid iis tribuendum eſſet, pro ſtabilienda hac hypotheſi, eſſe deberet diviſio, uſus

usus earundem pericoparum perpetuus. Idem porro ordo temporibus Christi & Apostolorum atque nostris, temporibus conditæ Mischnæ & sequentibus, idem ordo in coetibus orientalium & occidentalium, in Synagogis Germanorum, Hispanorum & Italorum. Sed plane discedunt hodiernæ si non Paraschæ tamen Haphtharæ à consvetudine & constitutione corporis Ebraici juris, fatentibus ipsis Judæorum Doctoribus. Miror ego nullas hujus susceptæ mutationis caussas afferri, neque rationes, cur posteri ordinem hunc Patrum sacrum deseruerint, quo tempore, qua auctoritate hoc contigerit; mutationem vero haud exiguam, aut unam alteramve, sed multiplicem in pericopis tam festorum quam Sabbatorum subierunt. Forte facta est mutatio non in pejus sed melius, noluit detrahere Maimonides & reliqui aliquid venerationi majoribus debitæ; sed non potuit negare aut in dubium vocare mutationem, quam alias in ritibus suis difficulter admittunt Judæi. Ingens tamen scopulus hic figitur iis, qui his Pericopis, si non sint perpetuæ, interpretationem superstruere conantur, tuto enim supponunt, easdem fuisse statis diebus Pericopas, quas hodie habemus. Sed differunt antiquæ à recentibus, germani diversas habent multas ab Hispanis & Italis, nullæ tamen Synagogæ reliquis cedent, aut permittent,

mittent, ut reliquas minus recesſiſſe à priscis quam ſe ipſas credas. Singulæ ſuffragium ætatis ſibi tribuent, & forte non ſine contentione, ſi tanti eſſet ut eorum judicium requireremus.

XIII. Magna igitur discrepantia deprehenditur circa penſa ſacrorum ſcriptorum. Omnes Synagogæ particulas quasdam ex iisdem coetibus prælegunt ſed diverſas tamen. Differunt Synagogæ Judæorum germanorum & hiſpanorum. Sed differunt ab his iterum Synagogæ orientis. De diſcrimine Judæorum, qui has regiones incolunt, in quibus degimus, teſtantur ritualia utrinque recepta. In fine multarum editionum Bibliorum ebræorum conſpiciuntur tabulæ Haphthararum, ex quibus diverſitas hæc ad oculum patet. In Plantinianis Bibliis Antwerpiæ impreſſis in quarto extat tabula ſeu index hoc titulo. לוח הפטרות של כל השנה כפי כל המנהגים. Tabula Haphthararum totius anni juxta omnes ritus. In Leusdenianis etiam editionibus eadem occurrit tabula, ſed hoc titulo: לוח הפטרות לכל השנה כפי מנהגי כל הקהלים tabula Haphthararum ſecundum ritus omnium Synagogarum, germanicarum ſcilicet & hiſpanicarum. Cuilibet autem inſpicienti multiplex diverſitas in oculos incurrit. Interpretes præterea Miſchni-

ſchnici in antecedente paragrapho allati fatentur, differre hodiernas Haphtharas longisſime á conſvetudine ſeculi miſchnici. Repetit hæc BARTOLOCCIVS & amplificat ex Bibliis Venetis An. 1627 excuſis apud Petrum Aloyſium & Laurentium BRAGADINOS, l. c. p. 664. In hac autem Bragadiniana ſeuBartolocciana tabula novæ diſcrepantiæ occurrunt, quarum Catalogum nectere non eſt opus, neque ritus ſolum germanorum & hiſpanorum ſed & italorum refert. Nam aliquoties ritus Synagogarum Italiæ refert, איטליאני vocant. v. Paraſcham XIII. p. 657. &c.

XIV. Deſunt in noſtris regionibus exemplaria ſeu codices orientalium Bibliorum, & rituum in his oris receptorum notitia. Operæ pretium feciſſet cl. ZEIBICHIVS, ſi in diſſertatione de codicum occidentalium & orientalium diſſenſu, de hoc etiam Haphthararum diſſenſu aut conſenſu certi aliquid in lucem protraxiſſet, aut tabulam aliquam producere potuiſſet, ex qua conſuetudinem Synagogarum orientis diſcere liceret. Occurrit tamen teſtimonium aliquod BENIAMINIS TUDELENSIS *in itinerario*, ex quo videre eſt, non mera me hic conjectura niti, cum ipſas Paraſchas alio longe ordine diſtribuant, quas Haphthararum diverſitas neceſſario ſequi debet, nam

de

de Paraſchis inter occidentales Judæos nulla eſt diſſenſio. Non ea equidem eſt Benjaminis in ſuis narrationibus fides, ut eum ſemper ſine ulteriori ſcrutinio ſecure ſequi liceat. Multa enim refert, quæ aliter narrantur ab iis, qui omnia oculis ſuis uſurparunt. Multa pro certis refert, quæ per rumorem tantum acceperat, neque induſtriam adhibuit, qualem à viro circumſpecto requiras. Ipſe etiam itinerarii editor L'EMPEREUR in præfamine ait: Benjaminem multa aliena fide narrare, etiam ex ingenio ſuo quædam interdum fingere. Potuit errare à via BENIAMIN, erravit etiam in rebus peregrinis, quas parum curare ſolet hoc hominum genus fateor, & demonſtravit interpres doctus in notis; ſed in domeſticis idem ipſi contigiſſe vix putem, iis præſertim in quibus gentis ſuæ gloria, harmonia, conſvetudo perpetua periclitatur, quæ omnia quovis modo ſtabilire cupit. Syros invenit in itinere, ſeu Judæos ex Syria oriundos, qui non per annum, ſed intra triennii demum ſpatium Paraſcharum Moſaicarum curſum conficiunt. Si autem Lectiones Judæorum hodiernæ tam ſunt ambiguæ, omne ex hoc Paraſcharum petitum ſubſidium ſponte corruit. Ait enim (nolo verba Benjaminis ſua lingua repetere,) in urbe Mizraim, ita urbem vocat, cui poſtea Cairo nomen eſt impoſitum, quæ toti deinceps regno

nomen

nomen imposuit, duas esse Synagogas, quarum altera more hispanis recepto, singulis septimanis singulas paraschas legere consveverit, ut singulis annis legem absolvant. Alteram vero, addit, singulas Paraschas in tres partes dividere, ut triennio demum lectionem Mosis ad finem perducant. אנשי מארץ ישראל אינמ נוהגים אכל עושים מכל פרשה שלושה סדרים Addit, hoc discrimine non obstante, bis in anno convenire Synagogas, precesque invicem coniungere. Tanti videtur Benjamin facere hoc discrimen, ut miratus sit, non præbuisse ansam periculoso schismati.

XV. SVRENHVSIVS L. II. p. 38. l. c. ex Talmude adducit testimonia, ex quibus denuo apparet, ipsos Judæorum Magistros ætatem tantam hisce Pericopis non adscribere, quantam ipsis juniores Judæi solent tribuere. Doctores scilicet Judæorum Talmudici, ut ex citatis apparet, originem Pericoparum post destructionem Templi secundi coepisse fatentur & Doctorem Chaijam pro autore habent. Nam ita hanc restitutionem capio, quam tertiam dicunt, primam enim Esdræ, secundam Hilleli tribuunt. Omnes (פרשיות) Paraschas autem fuisse majores, & peculiarem sectionem peculiari titulo fuisse insignitam, ac si peculiaris esset liber. Imo ex collectione sententia-

tentiarum Patrum a Doctore Nathan facta; ordinem sectionum legalium tempore Messiæ aliter dispositum iri credit, nam hactenus retentum fuisse scribit propter allusiones quasdam secretas, tempore Messiæ revelandas. His ego quidem parum tribuo, & parum lucrari puto doctissimum ceteroquin Surensium, cum, loca quædam novi foederis ex V.T. citata hac ratione salvari posse contra Judæos arbitratur, alia enim ratione satisfactum est dubiis a doctis interpretibus, ut hac clave & via carere facile possimus.

II.) XVI. Ætatem harum Pericoparum suspectam mihi esse commonstravi. Addam porro, videri mihi omnem de Haphthararum origine narrationem ex fabulis iisque insipidis esse enatam: fertile enim est ingenium Judaicum ad inveniendas & tuendas aniles fabulas. Hæ sunt sæpenumero palpabiles: metuendum vero est viris cordatis, ne in herba lateant, iis etiam in locis, ubi vix expectari possent, & detegendæ, etiamsi se ætate, specie & autoritate commendent, & viri etiam docti optimi, secure etiam facto agmine iis applaudant. Haphthararum lectionem constitutam & efformatam esse, narrant, a Doctoribus tempore Antiochi Epiphanis, ut loco Parascharum prælegerentur, quibus uti Judæis

dæis interdixiſſet. Affertur hiſtoria ex R. *Elia in Thisbi* in medium; omnis hæc fabula paucis his verbis comprehenditur. Piget enim totam narratiunculam repetere. vid. BARTOLOCCIVS l. c. & multi præterea alii. Provocat Elias ad ſcripta, in quibus hæc relata invenerit. Nam ſive ipſe primus condiderit ſive alius, cui eam debet, non niſi fabula narratur, כפי מה שמצאתי כתוב, ſecundum id quod inveni ſcriptum, ſcribit. Sed hæc mihi videntur eum in finem addita, ut ſibi conſuleret, & ne qvis ipſum inventorem relationis iſtius agnoſceret, adeo ipſi videtur ſuſpecta. Sed neminem tamen novi, qui ante eum hæc retulerit. Perinde tamen eſt, ſive audiverit ex ore alicujus Judæi, ſive legerit alicubi ſcripto conſignatum.

XVII. Sed quid mihi videatur de tota Hiſtoriæ hujus ſerie, ejusque fide jam exponam. Certum eſt, Judaicam gentem inter omnes hoſtes, quibuscum ipſi ſæpius confligendum fuit, nullum habuiſſe, qui majora ipſi pericula creaverit & religioni gentis, majoresque inſidias ſtruxerit quam hunc Antiochum, Julianum ebrææ nationis & religionis dixeris. Aſſyrii enim & Babylonii Judæorum ſacris nullam vim intenderunt, ſed permiſerunt iis, patriis inſtitutis receptoque cultui vacare. Habue-

Habuerunt etiam in regionibus inimicorum & victorum ſuorum ſuos conventus & uſum ſacrorum librorum plane liberum. Cyrum etiam Prophetarum vaticinia non habuiſſe nauci, ſed ad ea attendiſſe, ſcimus. Romani etiam Judæorum ſacra in urbe & provinciis tolerabant. Hunc igitur Antiochum non ἐπίσημον, ſed potius אפוסטומוס ἀποςόμον nuncupant. Hunc autem perditisſimum hoſtem & infenſisſimum judaici nominis & cultus adverſarium, ſolum Moſaicis ſcriptis Judæos interdixiſſe, qvis credat? eadem enim doctrina, quam ex Moſe haurire ſolebant, etiam in Prophetis traditur. Erat autem Antiocho conſtitutum, ut eradicata antiqua religione & avito ſyſtemate, omnem, qvam ipſe colebat, ſuperſtionem ac idololatriam introduceret. Hæc JOSEPHVS refert locis jam ſupra citatis. Autor etiam librorum Maccabaicorum, non ſolum βιβλία τȣ̃ νόμȣ l. c, nuncupat ſed βιβλίον διαθήκης, ut totum codicem V.T. indicet. Præterea omnem ſacrorum ſcriptorum tractationem jusſit intermittere, & quod maximum eſt, non ex cœtu ſolum, ſed & ex ædibus aufferre jusſit. Ubicunque enim reperiebant, aufferebant emiſſarii & iniquitatis miniſtri, inventos igne conſumebant, & ex ſententia Regis mortis erant rei, qui ſacra hæc ſcripta conſervarent & ſcriniis ſuis reconderent.

Hæc

Hæc vero, etſi aliter ſcriptum invenerit alicubi Elias, an conciliari poſſunt cum conſiliis ſapientum & Doctorum, de ſubſtituendis pericopis Propheticis in locum Moſaicarum? cum congregationibus Sabbaticis, cum mortis ſententiam Rex tulerit contra Judæum, qui auſus fuerit clam abſcondere ſacrum codicem? an credibile eſt permiſſurum fuiſſe autorem interdicti tam ſeveri, ut publice in Synagogis, aut ſi clam facere auderent, tractarent Prophetarum ſcripta? In fraudem denique legis egiſſent, ſi hanc elabendi rimam qvæſiviſſent. Nam quamvis græci nec intelligerent nec caperent ebraicas literas, non tamen deerant, qui Judæos habebant ſuſpectos, qui latibula detexiſſent. Accedebant apoſtatæ qui religionis abjuratæ & confesſionis, ut iſtorum hominum mos eſt, oſores erant maximi.

XVII. Verendum tamen non erat in periculoſisſimo hoc puræ religionis ſtatu & in hoc durisſimarum perſecutionum intervallo, ne non theſaurus hic cœleſtis doctrinæ periret. Proſpexit cœtui ſuo puriori doctrinæ & revelatæ veritati dedito omni tempore ſapientisſimum Numen, etiam iis temporibus, quibus non peregrinus ſolum Tyrannus religionem puram perſequeretur, ſed etiam domeſticus, ut temporibus Manasſis.

Nam protraxit ex ſitu & ſqvalore codicem Moſaicum Joſias, & in manus tradidit viris piis & doctis, & publice prælegi jusſit. Majus omnino periculum ſacris literis imminere videbatur, cum finibus ſuis incluſi eſſent & Regi tam crudeli & ſacris omnibus infenſo ſubjicerentur, quam poſtea, ubi populus judaicus in vicinas remotasque regiones, ut tempore Maccabæorum, eſſet diſperſus. Nam, qui alia aufferre ſecum non poterant, hanc unicam tamen credendi vivendique, publicique & privati cultus regulam ſecum conſervarunt & aſportarunt, omnem enim religionem, cultum, vitamque exigere debebant ad hanc divinam normam. Permiſſum erat in peregrinis etiam regionibus ſacris ſtudiis operam dare & ſacras tractare literas. Daniel ex iis intelligebat finem LXX ſeptimanarum. Cyrus nomen ſuum â Jeſaïa annotatum monſtrari ſibi permittebat, adeoque præter Moſen etiam Prophetas legebant captivi. Nullum igitur iſto tempore cum libris bellum intercedebat Principibus peregrinis, ut Diocletianus poſtea fecit. Tuto transferebant has theſaurorum ſuorum reliquias optimas. Milites, prædæ inhiantes non quærebant folia ſcripta, multos igitur ſecum abſtulerunt in ſedes commorationis ſuæ remotas, ſacros codices. In terra Iſraelitica, ſæviente licet Antiocho, multis forte contigit

git esse tam felicibus, ut omnem inquisitorum industriam superarent & absconditos codices conservarent. Si omnes etiam Judæi, quod fieri non potuit, unanimi consensu & inito iniquissimo consilio libros cœlestes perdere decrevissent, nunquam tamen scopum suum obtinere potuissent, cum in tanto immensi populi numero facile aliqui reperti essent, qui delitescere secum & occultare codicem sibi tam charum ausi essent. Sed longe alia fuit istorum temporum & ingeniorum facies. Cum patrios lares deserere cogerentur, neque sacros in priscis sedibus cœtus frequentare permissum esset, majori cura normam hanc divinam credendi & sancte vivendi auream conservarunt. Afflictio enim ista difficillima eos, qui non plane erant stupidi, ad evolvenda sacra volumina & scrutandam divini Numinis voluntatem impellebat. Quamvis igitur sperare non poterat Antiochus, ut sacros libros ê manibus Judæorum omnium extorqueret & de terra deleret, odium tamen suum erga populum, sacrumque cultum declarare voluit, &, quantum in sua erat potestate, bellum indicere genti Judaicæ, libris sacris â cœlo delatis, sedi etiam summi Numinis & ipsi Deo. Omnem pene fidem superant, quæ de barbarie, aut, si quid durius dici possit, Regis hujus DIODORVS SICVLVS scribit apud PHOTIVM

codice CCXLIV. p.m. 619. edit. Hoeschelii, conspurcasse illum libros sacros jure suillæ carnis. Qui hisce circumstantiis bene perpensis, sibi persvaserit, potuisse Judæos legi & persecutioni Antiochenæ hoc modo mederi, ut partem aliquam divinæ revelationis sibi reservarent, Prophetas in locum Mosis constituerent & publice in Synagogis tractarent, eum oppido credulum dixerim. Sed credidit tamen Elias, eandem cantilenam cantant multi, Judæorum nullus hic forte hæsitat. Sed relinquere debebamus hoc, quicquid est fabellæ ingenio Judæorum, & eorum Synagogis.

XIX. Cum autem Pericopæ istæ locum non habeant, cessat etiam munus interpretum, quos aliqui addunt, quorum officium fuerit tempore Christi & apostolorum, prælectas, quod supponunt, pericopas transferre in lingvam auditoribus cognitam, vel neoebræam, quam incolæ urbis & totius Judææ loquerentur & intelligerent, vel græcam propter eos, qui huic lingvæ erant assveti & eâdem innutriti, quibus nomen ἑλληνιστῶν eam ob causam impositum fuit. Tuto enim, qui ita sentiunt, autoritatem & ætatem pericoparum, & originem haphthararum à temporibus Antiochi supponunt. Doctissimi viri ita opinantur, & Interpretes quidem istos addunt, singulis commatibus in

in lectione legis, post tres autem versiculos in lectione Prophetarum, translationes suas addidisse. Hos ego metiri puto ritus antiquos juxta consvetudinem postea introductam & recentem. Securius de hoc ritu loqvuntur, eumque in hodiernis aut recentibus Synagogis inventum evexerunt ad augustum hoc prædicati primum Evangelii seculum. Novum hoc inventum est Synagogæ, cujus nullum extat in translationibus neque Chaldaicis neque græcis vestigium, quo, si certa essent, quæ traduntur, non carerent. Interpretationem necessariam fuisse, cum authentica lingva populo non amplius esset familiaris, quilibet facile perspicit, sed ritum istum secundum hodiernas pericopas, lectiones & interpretationes instituendi, & diversitatem pro diversis pericopis, Mosaicis & Propheticis, insuper introductam recens omnino esse inventum puto, cujus tota antiquitas non meminit. Audacissimum vero & temerarium est assertum IS. VOSSII, in omnibus Synagogis Hierosolymitanis, tempore Christi sacras literas prælectas fuisse lingva græca juxta versionem LXX viralem. (vid. *Responsionem ad iteratas Simonii objectiones*, p. 188.) nam Romanas leges non permisisse putat, ut conciones in templo haberentur sermone græcis & romanis ignoto. Vernaculæ enim lingvæ & religionis suæ usum nulli populo, cui im-

imperabant, invidere ſolebant; conceſſa præterea fuit Judæis ἀυτονομία & pro arbitrio legibus ſuis fruendi. Excusſit hoc magna diligentia & eruditione EZECH. SPANHEMIVS *in orbe ſuo romano*, Exerc. I. c. XVI. p. 136. & XVII. p. 150. it. Exerc. II. c. XIII. p. 347. Lingvæ peregrinæ iſta ætate Hieroſolymis non erant plane peregrinæ, erant qui præter græcam & latinam legerent & intelligerent, quorum gratia inſcriptio crucis Chriſti etiam latina lingva conſcripta erat. Pervulgata præcipue erat translatio græca, terebant eam, qui peregre venerant, manibus, legebatur forte in Synagogis etiam Hieroſolymitanis, ſed fontem omnes venerabantur, neque cum diſpendio etiam vitæ ebræum ſibi codicem è Synagogis & templo eripi permiſiſſent. Quamvis igitur ſponte ſua ruant, quæ de Interpretibus pericoparum Moſaicarum & Propheticarum ſtatuuntur, ſi hactenus á me dicta qvicquam valent, monere tamen hæc & addere volui, qvoniam receptæ hypotheſi de ætate pericoparum & receptis tempore Antiochi haphtharis innituntur. Illud demum addo, ex ſententia MAIMONIDIS, prærogativas tribui translationi græcæ præ reliquis. Ad Meg lla Cap. II. ab initio §. 1 ad verba קראה תרגום בכל לשון ait: Lingvam græcam ideo reliquis lingvis præferri, qvoniam ebræi intelligebant eandem, ideo lin-

gvam

gvam græcam aptam judicabant ad omnia. וכן אמרו לשון לכל כשר quoniam lingvam hanc omnium excellentisſimam agnoscebant כי זה לשון היה משובח אצלב. Bis igitur à linea aberrare videntur, qui Lectoribus dicuntur adſtitiſſe התרגומים interpretes. Poterat enim ſacer codex legi Chaldaicè & græcè ab iis, qui has ſolum lingvas callebant, & iterum, quod Lectionem Moſis & Prophetarum juxta ſectiones poſtea receptas ab interprete expoſitas aſſerunt.

XXI. Non alienum prorſus hoc loco eſt ſequentia recenſere, ut fidem faciam dictis, quam fertile ſit ingenium Judaicum ad fabricandas fabulas, & eo magis pateſcat, quam victoribus ſuis invidiam conflare & imputare iisdem odium erga legem & codicem ſacrum moliti ſint. Ita enim hæc narratio iſti eſt ſimilis, quam hactenus examinavi, ut ovum ovo. Inſulſam referam Talmudiſtarum fabulam, unice confictam, ut memoriam Titi omnibus deteſtandam reddant. Cum HADR. RELANDVS hanc excerpſerit ex Judæorum ſcriptis, referam ego fide viri in his ſcriptis verſatisſimi ex libro, *de ſpoliis templi Hieroſolymitani*, cap. XIII. p. 130, ſcilicet ex Gemara codice Gittin, fol. 56. 2. Accepiſſe Titum meretricem, eamque duxiſſe in ſanctum ſanctorum, &

ſtrato legis volumine , impoſitoque aulæo facinus ſuper iſtud patraſſe, והוציא ס״ת ועבר עליה עבירה ut locum omnium ſanctisſimum ſanctumque legis volumen auſu ſceleratisſimo pollueret. Non mirum eſt, Judæos hunc Titum appellare (אותו הרשע) mortalium ſceleratisſimum, quo Deus vindice uſus & in vaſtando Templo. Sed fuit Imperatorum unus omnium clementisſimus & ingenii admodum benigni. Docent hoc omnes & mire conſentiunt, qui vitam & geſta Titi enarrarunt, ex iis autem eleganter TILLEMONTIVS *Hiſtoire des Empereurs* in Tito, Tom. II. P. I. art. p. m. 73. edit. Bruxell. JOSEPHVS hoc ſuo confirmat teſtimonio. TILLEMONTIVS ex eo refert. „On voit par tout le „caractere de Tite, actif, vigilant, coura-„geux, *plein de bontè & compaſſion.*" Neqve conciliari hæc poſſunt cum Genio Romanorum, qvi nunqvam religioni gentium devictarum illudebant. Imo cum hæc ſpolia triumpho deſtinaſſet, noluit ea ullo modo contaminare. Nam ipſi Talmudici ſcribunt, compoſuiſſe vela ex ſacris deſumta in formam ſacci & vaſa pretioſa (qvidni & librum legis ablatum?) eis commiſiſſe, ut ea oſtentaret בעירו in civitate ſua, Romæ ſcilicet. JOSEPHVS etiam, ubi triumphum Titi & Veſpaſiani magnificum, ejusque pompam prolixe enarrat de B. J. L. VII. c. XIIX.

c. XIIX. p. m. 979. disertis verbis ait: post alia spolia præcipue Lychnuchum & mensam auream ultimo loco ostentatam fuisse legem. ὅτε ΝΟΜΟΣ, ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τούτοις ἐφέρετο τῶν λαφύρων τελευταῖος. Hæc demum spolia, populo per triumphum ostensa deposuit in Templo Pacis, ubi denuo ΝΟΜΟΥ expressis verbis mentionem facit. Fata horum spoliorum & varias eorum migrationes docte exponit Relandus l. c. sed transeant. Qvamvis igitur Romani ebræam lingvam non intelligerent, librum tamen, quem adeo venerari sciebant Judæos, pretiosi instar cimelii loco sibi sacro destinabant. Fieri tamen potuit, ut hæ calamitates à Romanis acceptæ, hæc urbis & templi devastatio, & incolarum in omnem orbem dispersio, sine spe redeundi ad patrios lares, hæc solennis sanctissimi voluminis in pompa triumphali gestatio, qvæ omnem populum in moestissimum dolorem conjecit, Judæos impulerit ad diligentius sacri codicis scrutinium, ut solet angustia animos ad sacra investiganda pertrahere. In Babylonica captivitate Judæos diligenter evolvisse divinos vates, & temporibus Maccabæorum collectos fuisse & in formam Bibliothecæ constitutos scimus. Habebant præter monita salvatoris scripturas scrutandi ante oculos exempla legatorum & discipulorum Christi. Proselyti etiam

etiam Chriſtianorum, qui cives & hoſpites ſuos deſeruerant & ſacros fontes cum fructu evolvebant, calcar iis addiderunt ſine dubio, ut legi magis operam darent quam olim. Priscam igitur conſvetudinem evolvendi & legendi Moſen & Prophetas non ſolum proſecuti ſunt, ſed & diviſionem legis & Prophetarum ſusceperunt atque in Synagogas introduxerunt, ut lectio totius Moſis & multa Prophetarum capita intra anni ſpatium abſolverentur.

III.) XXII. Sed redeundum eſt in viam, & quæ Harmoniæ ſacræ & interpretationi variorum novi foederis locorum ſubſidia ex ſtabilitis Pericopis qværat vir beatus, disquirendum eſt. Excerpſi ſupra §. II. qvædam ex *ordine temporum*. Uberius mentem ſuam exponit *in Harmonia*, §. 28. 29. n. 2. p. 179 ſq. „Wir müſſen vorher etwas überhaupt melden von der Weiſe, wie „der Herr und ſeine Apoſtel die H. Schrift „öfters angezogen. Die Juden hatten von „uralten Zeiten her an ihren Sabbathen „Moſen geleſen, Ap. Geſch. XV. 21. Als „aber Antiochus ihnen ſolches verwehret, „haben ſie etliche denen Moſaiſchen Lectionen ähnliche Stücke aus den Propheten dafür ausgezeichnet; und da die Verfolgung vorbey war, haben ſie Moſen, „und die Stücke aus den Propheten zuſam-

men“

„men genommen. Wenn nun Moses und „die Propheten gelesen wurden, so wurde „bey solchen Texten in den Schulen Anlas „zur Rede genommen, wie Ap.Gesch.XIII. „17-20. -- Mit eben denen Worten, die „bey denen LXX Dollmetschern stehen „Deut. I. 31. und 38. und Jes. I. 2. 26. „welche beyde Texte noch auf diesen Tag „zugleich auf einen Sabbat fallen. Solcher „gestalt hat der Heiland *selbst* an den Sab-„baten und Festen sich auf die *damals* übli-„che Texte auf das *allerzierlichste* bezogen, „wie wir bald mehrere auf die oben(§.12.) „angeführte sich *eigentlich schickende* Exem-„pel bemercken werden. Woraus abzu-„nehmen ist, das nicht ohne *sonderbahre* „*Schickung*, diese und jene sich auf gewisse „Umstände so *eigentlich-reimende Texte* zu-„vor verordnet seyn. Was sich bey denen „in den Text *deutlich* angezeigten heiligen „Tagen findet, das findet sich auch bey „andern, die so deutlich nicht gemeldet „sind." Adde Præfationem Harmoniæ §. 2.

XXIII. Quam tutam planamque viam hic sibi elegisse putaverit B. B. quilibet videt. 1) Divinam providentiam invenire sibi visus est, quæ operam inventorum istius divisionis & pericoparum utrarumque direxerit. 2.) Nullum autem sibi vel scrupulum vel dubium movet de traditione apud

apud Judæos recepta, tam quoad Pericopas Mosaicas, quam Pericopas Propheticas tempore persecutionis ab Antiocho excitatæ additas. De quibus in antecedentibus mentem meam exposui. 3.) Occasione istarum pericoparum sermones in Synagogis fuisse habitos. 4.) Ipsum inprimis Salvatorem hanc occasionem arripuisse, atque diebus sabbatorum & festorum ad receptos istorum dierum Textus respexisse. 5.) Fecisse hoc Servatorem elegantissime, (auf das allerzierlichste,) habere etiam exempla in promtu. 6.) Non casu hoc aut sine singulari directione has pericopas antea ita fuisse dispositas, ut hunc usum præstare potuerint, arbitratur. (dass nicht ohne sonderbahre Schickung diese und jene auf gewisse Umstände sich so eigentlich reimende Texte zuvor verordnet worden.) 7.) Cum hæc omnia certissime definiri possint de textibus & diebus variis, merito hanc hypothesin valere in reliquis, ubi vestigia occurrunt magis obscura. 8.) Hunc porro morem non observasse solum Christum sed & Apostolos. 9.) Persvasum sibi denique habet, invenisse se in loco Actorum XIII. 17 sq. easdem Pericopas, quas hodie ex Mose & Prophetis in Sabbatis conjungunt, apostolorum tempore fuisse conjunctas & prælectas: qvod aliter fieri non potuerit, si istarum sectionum usus in Synagogis & ordo ad eam ætatem non assurgat.

XXIV.

XXIV. Sed rogo, velit Lector æqvus & bonus hæc mecum perpendere. 1.) Anne huic hypothesi â se inventæ, certe à nullo, qvantum scio, adeo ornatæ nimis tribuerit vir optimus, & certissimis, quibus chronotaxis Evangelica nititur, fundamentis, lubricam hanc conjecturam assuat, qua nullo modo indiget. 2.) Anne hanc suam Helenam nimium exornet, cum non originem solum ei tribuat venerabilem & venustatem plane incomparabilem, sed qvod magis est θειον τι, & singulari fato hæc ita per anni circulum disposita fuisse, quod inventoribus Pericoparum laudi ad invidiam usqve cedit. Hæc ab ipsis Judæis statui non me legere memini. 3.) Conjungit porro pericopas festorum & Sabbatorum hodie receptas. Sed plane diversa mihi videtur esse ratio pensorum festivalium & sabbaticorum. Nam in festis qvidem historiam & memoriam divini instituti magnorumque beneficiorum recolere & dignum & necessarium erat, qvod sine repetitione historiarum & gestorum antiqvissimorum fieri non poterat; pericopas tamen certas, fixas, statas supponit, qvod extra dubium non est positum. Sed de Pericopis sabbaticis certis, & ea, quam Judæi observant, forma dispositis nec volam nec vestigium in sacris N. T. scriptis inveniri judico. 4.) Elegantissime omnia à Christo tradita esse, qvæcunque proposuit,

cer-

certisſimum eſt. An autem facunda, elegans, & tempori locoqve & auditoribus accommodata oratio inventioni doctorum antiqvorum aliquid debeat, de eo valde dubito: Ego vero omnem divini ſermonis ſublimitatem unice Chriſto tribuo, non diſpoſitionem, ordinem ſolum & argumentorum pondus, ſed & inventionem. 5.) Certiſſima qvædam hypotheſeos ſuæ indicia ſe inveniſſe putat in quibusdam locis, in aliis incerta ſibi dari optat, qvod plane ipſi concedi non poſſe judico, cum certitudo qvam locis illis tribuit, admodum vacillet. Invertendum erat argumentum. 6.) Omne denique robur argumento & probandi rationi decedit, cum ex mera alluſione ad vocem aliquam aut paucisſima verba in pericopis etiam prolixis occurrentia fundamenta interpretationis ſuæ petat, qvæ non iſto ſolum in loco aut raro occurrunt, ſed decies, vicies, centies. Conf. obſervata ad Joh. V. 1. VII. 1. de lege, de aqvis & aqvis vivis, & fundamentum impoſitum citatis Chriſti, nonne legiſtis? &c. de qvibus deinceps agam. 7.) Cum vero ea, quæ pro certiſſimis habentur, non tuta ſint aut certa, reliqva, qvæ pro incertis agnoſcuntur, & ad hanc normam dijudicanda ſunt, plane corruent. Sed conferenda jam nobis ſunt exempla & loca, qvibus opitulari & ſubſidium imo lucem afferre judicat B. B. eaqve

certa

certa ex mente viri beati & adeo certa, ut incertis clavem addant & præſidium afferant, & facile ſe animis Lectorum inſinuent.

XXV. Vellem ven. D. HAUBERUM in arenam hanc descendiſſe, qvi pro ingenii acumine & dexteritate, aſſerta ſua contra eruditum adverſarium vindicandi hoc in negotio viam mihi aut monſtraſſet aut controverſiam hanc compoſuiſſet. Sed quantum mihi animadvertere licuit, ne verbum quidem de hac B. B. hypotheſi habet. Id vero non ſine voluptate vidi, ut hi duumviri, in re non parvi momenti amice & cordate hanc ſerram reciprocarint. Admodum autem ſibi proficuum judicat B. B. hoc pericoparum ſubſidium. Nam Chriſtum, aït, ſæpiſſime (gar oft) provocaſſe ad has feſtorum & ſabbatorum prælectiones publicas & receptas, & ita omnia clara & perſpicua eſſe cenſet, ut in dubium vocari non poſſit, idque modo decentiſſimo (unlaugbar, und mit einer höchſtgeziemenden manier). Omni vero hoc ſubſidio deſtitui, qvi Tranſpoſitiones in hiſtoria Evangeliſtarum & harmonia ſacrorum ſcriptorum non admittunt, ſed opera & verba Chriſti, quæ alii pro iisdem habent, repetita fuiſſe, ſtatuunt.

XXVI. Examinabimus jam ea, quæ Beatus vir de diverſis locis attulit, in qvibus veſtigia pericoparum a Chriſto in uſum auditorum ſuorum adhibitarum deprehendiſſe ſibi viſus eſt. In ordine temporum, p. 250. ſ. ea loca colligit, ex quibus demonſtrationem §. XXI. format, in qua de annis & ſerie annorum, quam antea diſpoſuerat, ſtatuit. " Comprobari eos ex ſapientiſſima „ Salvatoris in ſabbatis & feſtis diebus allu„ ſione ad lectiones Moſis & Prophetarum. „ Illuſtria loca cernemus. " Multa hinc dicta cumulat ſecundum ſeriem temporum, quæ huc plane non ſpectant & quæ jure prætermitti poſſunt. Matth. IV. 1. docet: Chriſtum in deſerto Satanam repuliſſe iisdem verbis, quæ Moſes Iſraeli in deſerto propoſuerat, Deut. VIII. 3. VI. 10. 13. Porro Joh. II. 19. 20. triduum reſuſcitandi templi corporis Chriſti analogiam habere putat cum tribus trium annorum diebus Paſchalibus: argumentum ut mihi videtur in re, & quæſtione tanti momenti plane ficulneum. Locus Joh. IV. 3 plane huc non facit, nam nihil hic de Haphtharah occurrit. De Lucæ capite VI. 1. deinceps videbimus. Reliqua etiam loca Matth. XVII. 24. de didrachmate, Luc. XIII. 8. de tribus annis, quibus Chriſtus venit, & de triduo, ibid. v. 32 & 33. de agno ad celebrandum Paſcha delecto, Joh. XII. 7.

Matth.

Matth. XXIV. 24. Marc. XIV. 12, & reliqua nihil de pericopis ex Mose aut Prophetis continent. Elegantissimas tamen observationes suppeditant, quas ingeniosus autor larga manu porrigit. Videatur inprimis p. 131-138. Sed alii etiam viri pii & eruditi admiranda multa temporum, eorumque vicissitudines & aurea ænigmata pandunt.

XXVII. Accedimus jam ad ea loca, in quibus Christus ad libros V. T. tam Mosaicos quam Propheticos provocavit. Et quidni provocasset ad ea, quorum autoritas tanta & Judæis venerabilis erat? Nemo enim Doctorum unquam fuit, qui, quæ loqui, & quomodo sua confirmare debuerit, melius intellexerit quam Doctor noster divinus, summus, infallibilis, qui autor est omnis divinæ revelationis, & rerum atque verborum, tanquam suorum optimus interpres. Contemplabor ea, quæ a Christo in festis prolata sunt. Occurrit hic primo locus Joh. V. 1 sq. de celebrato a salvatore nostro Festo Hierosolymis & divina illa apologia, v. 19 sq. Magna circa hunc locum controversia enata est inter maximos exegetas, quodnam hoc loco festum sit intelligendum. Elegit B. B. partes eorum, qui Pentecosten intelligunt, obviam ivit difficultatibus, quæ moventur ab iis, qui

 de

de festo Paschatis hoc Johanni memoratum festum intelligunt, sed restant aliæ, quas in medium protulit ad hoc caput Johannis in commentario suo LAMPIVS P. II. p. 5. in not. (b) add. D. HAVBERVS l.c. Sed neminem scio eorum, qui Pentecosten hic invenire sibi visi sunt, & in Pericopis Judæorum festivalibus præsidium quæsiverint præter Bengelium. Certissima ait hic vestigia deprehendi temporis Pentecostalis in sermone Christi. (deutliche Spuren, dass es damals Pfingsten gewesen,) Harmoniæ §. 28. 29. n. 2. p. 179. & in ordine temporum scribit: "Pentecosten tum fuisse „ipsa Domini verba docent, in quibus re„spicit ad Haphtharam Propheticam Ezech. „I. v. 1. it. 28. & confert vers. 37. 38. capitis hujus quinti. "Non sic locutus est ali„bi Jesus, addit, sed qui allusionem ad „lectionem Propheticam expenderit, facile „eam locutionem intelliget." Itaque hoc in tempus proprie convenit Exod. XX. 19. XXIV. 10. & de accusatione Mosis in loco hoc Johanneo cap. V. 45.

XXIIX. Sed credo ego, pertinacem adversarium hoc argumento non moveri, ut festum suum derelinquat, sive Pascha elegerit, sive Pentecosten, sive aliud, (Nam omnia festa Judæorum, tam ea quæ in Mose præscripta sunt, quam festa etiam iis addita Encæniorum & Purim habent suos defen-

fenfores. Pro Pafchate multa profecto militant, quæ huic objectioni non cedent, hæc autem mea non faciam. Id vero mearum effe partium puto, ut inquiram, an ex allatis obfervationibus ad liquidum conftet: Chriftum ad loca ex Ezechiele & Exodo allata refpexiffe, & prælecta fuiffe in ifto fefti articulo. Nemini hoc in mentem venit, qui magnifica hæc Chrifti verba Joh. V. 37. 38. illuftravit, etfi alii ad hæc vel illa verba referant, aut apparitiones olim vifas. Difficile tamen quisquam fibi perfuaferit, refpicere potuiffe Chriftum ad hæc præcife Ezechielis verba, cum Prophetæ multi variis in locis referant, quæ oculis & auribus fuis fidelibus commiffa fuerunt; quod vero maximum eft non ad vifionem refpicit divinus orator, quæ Prophetæ foli alicubi contigerit, fed populo. Propheta l. c. reverenter excepit qvæ viderat & audiverat, flexis genibus & proftrato in terram vultu; hic vero incredulos & immorigeros carpit: non hic fpecialem aliquam revelationem innuit, fed varias. πώποτε ait, etfi multoties audiverint & viderint revelationes a tempore promulgatæ legis ad eum usque diem: apparitiones Mofaicas, & Meffianam etiam a tempore Baptifmi, & mirabili ifto teftimonio addito, revelationes circa tempora & initium revelatæ Legis & Evangelii a Domino ipfo

prædicati, eas tamen animo placido, & morigero non accepiſſe. Nemini hæc verba a Chriſto non maxime opportune prolata eſſe videbuntur, etſi animum non adverterit ad Pericopam Ezechielis. Nam jam antea ſub initium miniſterii ſcripſit Johannes hiſce plane ſimilia, cap. I. 18. conf. cap. VI. 46. VIII. 38. XV. 15. ſed *ſubinde* hanc ſectionem Ezech. ויהי בשלושים שנה lectam docet Bartoloccii tabula l. c. p. 669. Paraſchah vero Moſaica, cui titulus יתרה. Exod. XVIII. & quidem a cap. XIX. בחדש השלישי לצאת, usque ad finem capitis XX. Celebrant etiam ſolenni ritu memoriam revelatæ legis, ſed verſum 45. de accuſatore Moſe ad hanc pericopam reſpicere, longe petitum eſt. Quod ſi volupe eſſet alicui, ex ſectionibus hodie in feſto Paſchatos aut Pentecoſtis receptis verba Chriſti illuſtrare, aut monſtrare alluſionem Chriſti ad Paſchales ſectiones, non difficile eſſet viro docto & ingenio pollenti, ſi hæc una ſalus eſſet ſententiæ de Paſchate hoc loco deſcripto. Propoſitum mihi erat ex Paraſcha Exod. XII. & Haphtharah Joſ. XII. 5. ſq. periculum facere, ſed conſulto abſtineo.

XXIX. De feſto Scenopegiæ a Chriſto Hieroſolymis celebrato agit Johannes cap. VII. 2. 14 ſq. In hoc feſto, quod maxima cum lætitia celebrabatur, ſæpius de Lege Moſis

Mosis est locutus. v. 19. 23. 49. 51. Hic digitum intendisse putat Dominum ad Parascham XXXIII. quam die 23 Tisri, ubi festum שמחה תורה celebratur, proponere solent. Hic dies ultimum seu octavum diem tabernaculorum festi excipiebat, quem aliqui festo annumerant, alii vero pro festo peculiari habent. Jam vero Salvator noster in ipsis festi solennitatibus ad festum aliquod novum, licet proxime sequens, digitum intendisse dixeris? nisi præjudicio occupatus pro stabilienda hypothesi semel recepta. Propius subsidium invenire potuisset B. si in memoriam sibi revocasset lectiones, exacto primo die festi ineunte novo septennio heptaeridos sabbaticæ, Deut. XXXI. 10. observatas. Prælegebantur pericopæ ex Deut. V. 4. & cap. XI. 13. XIV. 22. XXVI. 22. addito capite XVII. 24. quæ de Rege Parascha agit, subjunctis diris & votis ex Deut. XXVII. XXVIII. & invenisset diras & judicia legis Mosaicæ in v. 49. & 51. expressas. Confer, quæ ex Sota recenset RELANDVS *Antiqv.* P. IV. c. V. §. XI. Nescio quamobrem ad Parascham שמחת תורה potius provocet, quam ad Pericopas חג הסוכות. Sed demus, in Paraschis festi tabernaculorum mentionem fieri Legis, nonne etiam Dominus noster, occasione hac Legis non data ejusdem mentionem facere poterat, & populum a Mo-

ſaica diſciplina recedentem, mentione Legis & Legislatoris revocare, quod ſæpiſſime in ſacris ſuis ſermonibus fecit. Ipſe etiam ſibi parum confidit, & difficultatem ſua hæc obſervata ſecum vehere animadvertit. vid. *ordinem temporis*, p. 261. Certe aptius verba, quæ Chriſtus profert, repetuntur ex Zachar. XIV. & in Haphthara diei primi hujus Feſti occurrunt, cui titulus הנה בא יום לה״ & ad finem usque Prophetiæ ſe extendit. An נסוך מים libamen aquæ, recens inventum Judaicum, huic Paraſchæ, feſto deſtinatæ, an Paraſchah libamini occaſionem dederit, parum quidem mea refert, etſi neſciam, multos Judæos ex temporibus Prophetarum, imo Davidis (2 Sam. XXIII. 16.) repetere. Illud autem ſcio, non indiguiſſe Dominum hiſce Hodogetis ad proponendas cœleſtes ſuas veritates. Similia occurrunt in *Harmonia* §. 92. n. 2. ubi alia addit de Lychnuchis in hoc feſto, quod in longam noctem protrahere ſolebant, inter faces ardentes, quas tripudiantes manibus tenebant, & ad illuminationem per Chriſtum datam trahit, collato Zachariæ capite XIV. 8. & 14. Quæ prope indigna mihi videtur rei omnium ſanctiſſimæ, cum indignis homine pio & ſapiente, & profuſis gaudiis inter accenſas tædas, ſtrepitumque tubarum atque choreas collatio. Implorat citharas cantatriceſque choreas.

XXX.

XXX. Inter Festa Judæorum a majoribus instituta & divinis addita celebre est חנוכה seu ἐγκαινίων, de quo Joh. X. 22. agitur. vid. 1 Maccab. IV. 59. Celebravit istud aliquando Christus Hierosolymis & illustre fecit sanctissimis suis sermonibus & monitis salutaribus. Invenit etiam hic aliquid Bengelius, quod suo inservire scopo iudicavit. In verbis nimirum versiculi 26. ubi eum se esse profitetur, quem Pater in mundum miserit. In ordine temporum, p. 267. & in Harmonia §. 98. unicum hoc verbum sufficit pro stabilienda & confirmanda sua hypothesi, inter quam plurima alia, quæ pro summa sua sapientia largissime protulit Christus, absque ulla ex Paraschis sumta occasione. Hæc autem verba ex Zach. II. 15. aucupatur. Legitur quidem hæc Haphtharah, sed non in omnibus Synagogis. Hispani legunt hanc ex Zacharia Haphtharam, Zach. II. רני ושמחי, Germani contra usurpant aliam ex 1 Reg. VII. ויעש חירום. Alias plures occasione festi prælegi docet BARTOLOCCIVS l. c. Mirum non est, in tam longa sermonum serie vocem aut phrasin occurrere, quæ in Haphtharis legitur. Quod si vero Germani suam esse authenticam & vetustate commendatam evincent, hæc Zachariana exulabit. Componendæ inter Judæos prius erunt hæ tantæque lites, quam provocare ad Parascham

ſcham controverſam. Res enim controverſa eſt & plena diſſenſionis inter ipſos Judæorum Magiſtros. Idem etiam obſervandum ad Matth. XXI. 42. Ad magnum Hallel digitum intendiſſe putat in ſermone habito in templo. vid. *Harmoniam*, p. 462. §. 159. Sed cum inter Haphtharas non extet, ne quidem huc conferendum eſt. Hic vero rogo, ea repetere, quæ ſupra contra hanc de Haphtharis hypotheſin generatim dixi, §. XXIII. Nam potuit facile accidere, ut Salvator occaſione feſtorum quædam dixerit, quæ tum in recente memoria erant apud Judæos, qui ſacra & ſolennia feſtorum piis ſuis meditationibus ex ſacro fonte petitis celebrabant, & beneficia ipſa iſtis diebus decantata, eorumque recordatio anſam Chriſto dabat diſſerendi opportuniſſimam, etſi Haphthararum manuductione deſtitueretur.

XXXI. Addam etiam quædam de pericopis Sabbaticis, quarum paſſim mentionem facit, ut hypotheſin ſuam ornet. Locus, quem pro Palladio ſuo habet vir doctiſſimus, legitur Luc. IV. 16. 21. Ait *ordine temporum* p. 253: Magni momenti locus eſt, & in *Harmonia:* ſehr wichtig iſt die Stelle. Magnam operam & doctam induſtriam impendit, ut hunc in ſuos uſus locum convertat. SVRENHVSIVM in ſuas partes vocat, qui

qui ad hunc locum docet: Jeſum non ſolum Lectoris munus obiiſſe ſed etiam Doctoris. Liturgiam qvidem Ebræorum hodiernam & praxin legendi Pericopas Moſaicas & Propheticas ab iſtis temporibus remotisſimis repetit, p. 340. contra vero arbitratur, Chriſtum tanquam Doctorem, propter nominis celebritatem pro arbitrio egiſſe, & converſis in ſe omnium oculis non ordinariam, ſed aliam ſectionem Propheticam tractaſſe, quæ iſti Sabbato non fuerit deſtinata, p. 341. Si enim Chriſtus iſti conſvetudini morem gesſiſſet, non verſiculum unum ex Cap. XLII. ſeptimum prælegiſſet, ſed integram ſectionem. Pertractaſſe vero locum maxime ſibi convenientem atque uſui ſuo inſervientem. De conſenſu potius STEPH. LE MOINE ſibi gratulari potuiſſet, ſi autoritate fulcire voluiſſet ſuam ſententiam Bengelius. Invenitur ea *in variis ſacris, in notis ad Hippolyti ſermonem*, p. m. 954. Nam poſtquam aſſeruiſſet, Lectiones Moſis fuiſſe præcipuas, nec cuivis Lectori permiſſum fuiſſe eas legere, cui permiſſum tamen erat legere pericopam Propheticam, addit: "Hinc eſt, quod Chriſtus Luc. IV. legit ſed non " Paraſchot, ſive ſectionem Legis: hoc cui- " libet non concedebatur, ſed legit unam ex " הפטרות ex ſectionibus Prophetarum, quæ " iſto Sabbato cum tali Paraſchah legi ſolebat. " Non enim caſu contigit ad aperturam li- " bri "

„bri, quod Chriſtus in iſtam ſectionem in-
„cideret. Erat ſectio diei, & ſi alius qvam
„Jeſus legiſſet, eandem etiam ſectionem
„Jeſaiæ debuiſſet prælegere.“ Sed videamus, qva ſpe opem in hoc palladio qværere, & qvale præſidium in hoc loco cauſa Bengeliana invenire poſſit. Certum eſt, verba Chriſti ex Jeſaia deſumta eſſe, ſed verba, qvæ ſibi interpretanda ſumit, in nulla hodiernarum Haphthararum, ſive á Germanis ſive Hiſpanis obſervatarum occurrere. Haphthara qvæ præcedit, initium ſumit cum principio capitis ſexageſimi & ad finem fere capitis pertingit, & dicitur Paraſchah קומי אורי. Quæ vero ex capite LXI. legi ſolet Haphthara, incipit à verſiculo decimo cui titulus שוש אשיש. Chriſtus vero in Synagoga proponens, verſiculum primum & ſecundum capitis LXI in compendium mittit, addito commate ſeptimo capitis XLII. Docte hæc perſeqvitur SVRENHVSIVS, & qvam eleganter & ſolide hæc conjungantur & luce majori perfundantur â Doctore noſtro divino, monſtrat, p. 352. 353. *Bengelius* addit: inſerta eſſe verba ex Jeſ. LVIII. 6. qvæ in die expiationis prælegi moris fuerit. Solent enim לשחרית יום כפור in matutina lectione diei expiationis protrahere Haphtharam ex Jeſ. LVIII. qvæ vocatur סולו סולו באמר. Qvicquid ſit de Haphtharah hac in die expiationis prælecta, obſerva-

ſervationem viri in rebus ſacris peritisſimi, magni facere debemus. Initium tum ſumſiſſe *annum gratiæ* à Jeſaia prædictum in iſto loco, cum Chriſtus annum integrum in Galilæa transegerit, & in eadem publice verſaretur, & verbis factisque potentisſimum ſe oſtenderet. Nam Galilæa erat regio, in qva lux magna & dudum promiſſa oriebatur, & longe lateque ſe conſpiciendam dabat. Conf. *ordinem temporum*, p. 256. & *Harmoniam*, §. 32. p. 188. Merito igitur hanc inſcriptionem Anni gratiæ Harmoniæ ſuæ parti non exiguæ tribuit, usque ad paragraphum 89. p. 347. Huic autem invento nihil decedit neqve accedit ex ſubſidio ab Haphtharah petito, & tamen præter necesſitatem mirum in modum ſe cruciat vir optimus, & in omnes partes vertit, ut nihil dixiſſe videatur, & Haphtharam ſuam ſalvet. Locum Jeſ. LXI. 1. qui primarius erat textus Chriſti, & quorum verborum interpretationem aggreditur, nunquam ſolitum fuiſſe legi, neqve legi hodie fatetur, (ergo non pro palladio in hac cauſa habendus, aut pro loco maximi momenti,) ordinariam tamen diei lectionem ex Jeſaia petitam fuisſe, ex eo conſpicuum eſſe ſtatuit, qvod liber Jeſaiæ Domino in Synagoga lecturo, exhibitus fuerit. At ſi non fuit lecta hæc Pericopa, auditores etiam hunc locum neqve offerre, neqve explicationem ejus exſpectare pote-

poterant. Fuerat igitur paulo ante lecta, ergo lecta fuit, licet legi non debuerit, aut præcedentia forte eo die lecta fuisse judicat, ergo non ad diei lectionem alludit Christus sed aliam. Provocat ad formam veterum voluminum, de qva ad h. l. B. WOLFIUS & alii videantur. Ergo non ex lege Synagogæ recitavit Christus Haphtharam & exposuit, sed casu aut fato, aut pro evolventis lubitu sive beneplacito, aut, quod hoc loco certissimum est, pro divina sua sapientia. Sciebat enim maximus hic Doctor optime, qvæ auditoribus suis consulere possent. Magnam hoc, ita porro arbitratur, Christo opportunitatem dedisse textum antecedentem, deinde proxime sequentem legendi. Hæc vero Lucas non habet. Neque prodest B. B. qvod diei expiationis Haphtharah pellere debuerit Lectionem Sabbaticam, qvod libri rituales & liturgici doceant. Concedo hoc, sed nihil inde pro Haphtharis lucratur, qvarum causam agit. Man käme üm die deutliche allusion Jesaiæ, ait in Harmonia, nisi hoc observetur. Esto, pereat hæc allusio ad Haphtharam, modo non excidamus svavissimo concentu Prophetæ, sive isto Sabbato lecta fuerit hæc pericopa in Synagoga, sive non fuerit lecta, & applicatione hac magni momenti & verè aurea: *ὅτι σήμερον πεπλήρωνται ἡ γραφὴ αὐτη*. v. 21. ΣΗΜΕΡΟΝ ait, ut cognoscerent auditores, promissionem

nem gratiæ isto die & temporis articulo complementum suum esse nactam. BAROTOLOCCIVM video aliam viam ingredi, qui alias ne latum qvidem ungvem â Pericopis Judæorum recedit, nec ullum dubium prodit circa concordiam hodiernarum Synagogæ pericoparum cum priscis, aut ætatem receptarum Haphthararum. Hoc vero loco addit: „Forsan eo tempore incipiebat" Haphtharah (cujus initium est à v. 10.) à" versiculo primo." Sed bene est, qvod auceps hæreat & *forsan* addat. Hodie vero nulla est Haphtharah, qvæ á versiculo primo incipiat. Magis mihi videtur stringere argumentum B. LOESCHERI, qui ipsum hunc locum divisioni pericoparum & ad certa Sabbata adstrictarum opponit. Nam cum Christus hoc die partem Jesaiæ elegerit, qvam vellet, Haphtharam certam non obtinuisse locum, merito judicat. Si enim legibus fuisset contrarium, ipse vitandæ offensionis gratia non fecisset, aut sine Judæorum obmurmuratione facere non potuisset. vide loco supra citato.

XXXII. Elegantissime disserit de loco Lucæ VI. 1 sq. ubi Christus discipulos defendit, qvos accusabant Pharisæi, cum Sabbato aristas colligerent & manducarent, & qvidem exemplo Davidis, qui etiam urgente necessitate panes propositionis comedit.

Hoc

Hoc igitur contigiſſe ſcribit Sabbato deuteroproto, qvod pridie Neomeniæ inciderit. Hoc vero cum ſeptimo qvolibet menſe contingeret, & Haphthara fixa iſtis diebus prælegeretur, non potuit non quilibet facile recordari panum ſanctorum, qvos Davides comeſſe legitur. Qvilibet enim menſis cavus XXIX dierum, á Sabbato incipiens, habebat iſta duo Sabbata. Alterum horum dictum fuiſſe πρῶτον, alterum vero δευτερόπρωτον. Hæc eſt viri docti de hoc Sabbati deuteroproti nomine conjectura. Hunc igitur diem fuiſſe Neomeniam, menſis Niſan, & quidem dimidio ante inſtans Paſcha menſe, qvod negari non poteſt, cum aliud Sabbatum inter hoc δευτερόπρωτον & Paſcha interceſſerit, Luc. VI. 6. & ariſtas agri maturas oſtentarint. Differebant igitur (ſi veteres licet componere cum novis) textus in Synagogis prælecti. Nam alia legebatur pericopa, cum in Sabbatum incideret Neomenia, alia autem cum antecederet. Uterqve etiam dies Sabbatum dicebatur: hoc appellabant שבת מחר חדש, illud vero שבת וראש חדש. In Sabbato Neomeniæ à Sabbato diverſo legunt hodie Haphtharam 1. Sam. XX. 13 - 42. ubi dicere poſſunt, cras eſt Neomenia, ut David & Jonathan, nam fuit Sabbatum, cum hæc loquerentur amicorum optimi. 1. Sam. XX. 19. v. *ordo temporum*, p. 255. ſq. Meretur

hæc

hæc obſervatio referri inter varias de hoc die & nomine ſententias. Sed tranſigant hæc, qvi B. B. opinioni accedunt, cum aliis viris doctis, qvi aliter ſentiunt, nam de Sabbato hoc deuteroproto mirum qvantum disſident, qvod ad Neomenias latinas fiet. Hunc vero etiam locum pro antiqvitate Haphthararum militare nego. Qvidni enim Chriſtus opportune adverſus Phariſæorum accuſationes pro defendendis diſcipulis ad Hiſtoriam Davidis provocare potuiſſet, & ex ſcrinio ſapientiæ ſuæ perfectisſimæ argumentum hoc deſumere & ad exemplum Davidis provocare, etiamſi Hiſtoria iſta in Sabbato non fuiſſet recitata. Qvam parum vero præſidii ſit in verbis Chriſti, nonne legiſtis (ſcilicet Haphtharam hujus diei,) ſupra monui. Videtur præterea B. B. inverſo ordine in hoc argumento verſari. Legerat, Chriſtum provocare ad hiſtoriam Davidicam, evolvit tabulam pericoparum: invenit Haphtharam למחר חדש ex 1. Sam. XX. arripit & in uſum ſuum convertit, & illico concludit, Chriſtum digitum intendiſſe ad iſtam Haphtharam, cum contra initjum fieri debuiſſet á die & tempore, ſi accurate definire liceret, qvo ſermonem habuit Chriſtus cum Phariſæis. Sed magis eſt incertum, de qvo neqvicqvam dubitat: græcos illud Sabbatum


tum πρῶτον, hoc δευτερόπρωτον dixiſſe, qvod ex prædicatione Petri â J. E. GRABIO protracta commonſtrat. Citat hanc prædicationis Petri particulam tam in ordine temporum, qvam in harmonia l. l. c. c. Nam nihil lucratur hoc teſtimonio, etſi ex ſcripto antiqvisſimo protracto à GRABIO proferatur. Inſpiciat, ſi cui res tanti videtur, *ſpicilegium Patrum*, JOH. ERNESTI GRABII P. I. p. 64. Pari paſſu ambulant, qvæ deinceps addit ex Matth. XII. 5. ubi iterum Chriſtus dicit: nonne legiſtis? Sacerdotes in templo Sabbatum ſine culpa profanare. Nam nec hunc locum ſibi vult eripi, neqve ut è manibus elabatur, permittere. Sed non tamen potuit Haphtharam elicere, qvam tuto producat. Sufficit ipſi addidiſſe: eadem anni tempeſtate lectas fuiſſe in Synagogis Paraſchas ex Levitico, in qvibus de ſacrificiis etiam Sabbato faciendis, agitur. Cap. VI. 12. IIX. 32. XVI. 20. XXIII. 38.

XXXIII. Apoſtolos eundem morem obſervaſſe docet in Harmonia, §. 28. p. 180. qvod eum præterea uſum ſibi præſtare pollicetur, ut pateat, apoſtolorum tempore iisdem Paraſchis easdem qvas hodie legunt Haphtharas ſubjunctas fuiſſe. Unicum hujus rei exemplum invenire ſibi viſus eſt in Actis Apoſtolorum, Cap. XIII. 17-20.

Ad

Ad pauca redigam, qvæ hic monenda videntur. Nam etsi Sabbati mentio fiat, nulla tamen temporis aut septimanæ determinatio à Luca additur, ut Paraschah XLIV. in Synagogis prælecta dici aut ominari lector eam possit. Huic subjungitur in pericopis hodie receptis Haphtharah Jes.I. 1 sq. cujus initium est חזון ישעיהו. Nam necessitas nulla nobis imperat, ut credamus, eo anni tempore hæc dicta fuisse, quo pericopæ istæ solent prælegi, & respici ad hæc præcise verba Mosis & Prophetæ. Neque etiam Paulus vel verbulo indicat, se in animo habuisse hæc Deuteronomii & Jesaiæ verba, cum omnis historia fatorum Israelis hæc testetur, & compendium fere sit mirandæ divinæ providentiæ, qua populum Deus prosecutus est. Potuisset vir doctissimus provocare ad CASAVBONVM, qui manifeste hoc loco alludi putat ad Deuter. I. 31. qvi tamen non addit, ex Paraschah istius diei desumta esse verba, nam Casaubono hoc in mentem non venit. Sed ut melius conspirarent Moses & Paulus, τροποφορεῖν mutat in τροφοφορεῖν, ut π à librariis positum sit loco φ quarum literarum sonus prope coincidit. Sed B. WOLFIVS receptam merito lectionem defendit h. l. *in curis*. p. 1185. & in *notis ad Casauboniana*, p. 294. Nec concessisset B. Vir hanc conjecturam Bengelio, qui versio-

nem LXX viralem citat. Nam ne qvidem ad verba Mosis Paulum respicere judicat, de quibus hoc loco disceptatur. Addit enim: „Qvod si vero dissentienti hæc „minus placeant, persvaso forte, τȣ̃ς LXX „omnino scripsisse ἐτροφοφόρησεν, id minimum ipsi certo probandum fuerit, quod „Paulus ad illa verba Mosis hîc alluserit. Si ne hoc quidem certo probari posse judicat WOLFIVS, multo minus calculum ei addidisset, qui statueret, voluisse Paulum auditoribus Pericopas isto Sabbato prælectas in memoriam revocare.



II.

II.
ANDR. GOTTL. MASCH.
V. D. M. A.
ad *Matth.* XXIV, 36. & *Marc.* XIII, 32.
COMMENTATIO.

§. I.

Quæ præſtantisſimis non minus quam portentoſis ingeniis feracisſima eſt, *Anglia* hoc ſeculo duplicem & cum infidelibus ſeu *Deiſtis* & *Naturaliſtis*, & cum Myſterii S. S. Trinitatis æternæque Deitatis filii Dei, Servatoris noſtri, hoſtibus, aluit controverſiam. Illi, quemadmodum religionem non ex ipſis rationis fontibus hauſtam reſpuunt; ſic & hi religionem ita purificare volunt, ut examurcata limites rationis non tranſcendat. Myſterium quidem Trinitatis admittere plerumque videri cupiunt, ſibique injuriam illatam eſſe, ſi albo *Antitrinitariorum* nomina illorum adſcribere velles, contendunt: ſed non Deum agnoſcentes, niſi Patrem altisſimum, cui longe inferior ſit Filius J. C. revera ad *Arianiſmum* nimis ſunt proclives, ipſamque æterni myſterii indolem naturamque evertunt. Du-

plex adverſariorum genus, divinas veritates vel ludibrio exponens vel detorquens, quamvis multis paraſangis a ſe invicem diſtare videatur; perfacilis tamen ab his ad illos datur tranſitus, ita ut qui paulo ante cer-

(*a*) Primus, quo orbi erudito famoſus ille *Tolandus* potiſſimum innotuit, foetus eſt liber iſte flammis ultricibus traditus: *Chriſtianity not myſterious: or a treatiſe ſhewing, that there is nothing in the Goſpel contrary to reaſon, nor above it:* qui bis 1696 & tertio 1702. 8. prodiit. In præfatione ſecundæ & tertiæ editioni præmiſſa, ſe non deſtruere, ſed tantum a tricis apinisque terminologiæ ſcholaſticæ purgare velle religionem, declarat auctor ſibi ipſi apologiam ſcribens, bonumque *Socini* aſſeclam agit. Sed famoſus auctor tandem ſublatis primo myſteriis, omnem religionem revelatam tollere auſus eſt. Conf. *Nachrichten von einer Hall. biblioth.* vol. 3 p. 311. & de vita auctoris Ven. *de Mosheim* comment. de vita fatis & ſcriptis *Joannis Tolandi* præmiſſa vindiciis antiquæ chriſt. diſciplinæ, Hamb. 1722. 8 *Niceronii memoires pour ſervir a l' hiſt. des hommes illuſtr.* tom. I. p 256 ſq *Some Memoirs of the life and Writings of Mr. John Toland* apud *Collection of Several pieces of J. Toland Londin.* 1726. Vol. I. nec non *hiſtorical account of the life and Writings of the late eminently famous Mr J. Toland, by one of his moſt intimate Friends, Lond.* 1722. 8. cujus auctor eſt *Curl*, Bibliopola *Londinenſis*, & denique de adverſariis, quos nactus eſt *Tolandus*, *Joh. Alb Fabricii*, ſyllab. ſcript. qui veritat. R. C. aſſeruerunt, p. 479-481. nec non appendicem ad tractatum meum *von der Religion der Heiden und der Chriſten.* p. 156 ſq. *Chubbius* vir felicis quidem

certamen cum orthodoxis de Trinitate inirent, mox castra infidelium sequantur. Quem enim exempla *Joh. Tolandi*, *Thomæ Chubbii* & *Thomæ Morgani* prætereunt? (*a*)

 §. II.

quidem ingenii, at indoctus, cujus vitam exponit *some account of the author, written by himself*, apud *the posthumous Works of Mr. Thomas Chubb. Lond.* 1748. 8. vol. 1. unde sua hausit, quæ de hoc viro retulit Ven. D. *Frid. Wilh. Kraftius theolog. biblioth.* vol. 3. p. 840 primo, quod eruditis communicavit scripto: *the supremacy of the Father asserted, or eight arguments on the supremacy of the Father*, quod famosus ille *W. Whistonius* ut ipse fatetur in *memoirs of his life written by himself* vol. I. p. 276. anno 1714 primo edidit, & deinde in *Collection of tracts on various subjects, Written by Thomas Chubb, Lond.* 1730. 4. p. 1-45 recusum datum est, nihil omnino egit, quam ut purum putumque defendat *Arianismum*. Paulo post quadriennio fere transmisso ad *Socinianismum* transiit, sed a *Whistonio* revocatus, ut ipse gloriatur l. c. p. 277. *scepticum* egit Quæ vero insequentibus edidit scripta temporibus, quorum catalogum exhibet appendix citata p. 29 sq. scepticum nostrum & Naturalistas crassiores inter non fuisse opinionum dissensionem, fidem nobis faciunt. Nec ipse *Whistonius* hoc negare audet, sed potius addit. p. 278. *But as to Mr. Chubb's later Writings, J perceive they are so wild and extravagant, that J shall sag nothing more about them. Thomas Morganus* denique, malevolus ille obtrectator, qui omnem ingenii sui laudem in vituperanda religione positam putavit, & sub larva *Philosophi Moralis* (the moral Philosopher) latens Clarissimis viris

§. II.

Mittamus prioris generis adversarios, homines infelices, quorum ingens turba malesana & nostras ecclesias jam per aliquot annos turbavit, contra novos *Arianos*, seu ut nominari malunt, *Eusebianos* vel *Anti-Athanasianos*, veritatem propugnaturi (*b*). Qui, quamvis a *Socinianis* in multis discedant, iisdem tamen telis armati pro tuendis erroribus suis in arenam descendunt. Effato Servatoris nostri, quo se diem judicii ignorare enunciat, quod *Matthæus* c. XXIV. c. 36. & *Marcus* c. XIII. c. 32 nobis servarunt, *Sociniani* sæpissime usi sunt ad placita sua pro-

viris *Sam. Chandlero*, *B. A. Atkinsonio*, *J. Chapmanno*, *Mos. Lowmanno*, *Lelando* aliisque pro veritate sanctissimæ religionis nostræ apologias scribendi ansam dedit, antequam maledico dente sacras carpere coepit paginas, *Arianus* fuit, ut sequentibus testatur *Whistonius* p. 318 *who* (nimirum *Morganus*) *was theua Dissenting Minister there; but soon left off that Employment, and, so far as appeared, because he was become one of us that are called Arians. - - - - When he came to London Things did not succeed with him, tho' he turned Infidel.* Quin & ipse ad *Arianismum* stabiliendum edidit *Collection of Tracts relating tô the judging for himself in matters of religion. Lond.* 1726. 1737. 8.

(*b*) *Eusebianos* se suosque appellat *Whistonius*, nomine non ab *Eusebio Nicomediensi*, cum *Theognide* ob *Arianismum* in exilium misso, sed ab *Eusebio Cæsariensi* deducto. Sed ab utraque parte adhuc disputatur, an *Eusebius Arianus* fuerit, scriptisque suis

probanda. Exacte sequuntur illorum vestigia *Neo-Ariani*, eodem ex effato, *J. C.* Patre longe esse inferiorem colligentes. Quo vero illorum objectionibus obviam ire possimus, tum effatum illud explicaturi, tum commenta adversariorum confutaturi sumus. Non enim levissimum est, quod ex hoc effato contra æternam *J. C.* Deitatem, adversarii construunt argumentum, observante *J. Bernardo* (*c*).

§. III.

Verba Servatoris nostri, quibus adversarii abuti solent, apud *Matthæum*, cap. XXIV.

suis ejusmodi errorum sese rerum fecerit. Conf. *Guil. Cave* Diss. 3. de *Eusebii Cæsar. arianismo* ad hist. litt. script. eccles. Vol. 2. p. 61. edit. *Lond. Joh. Clerici* epist. crit. & eccles. epist. 2. 3. vol. 3. art. crit. p. 28-95. edit. *Amstelod* 1730. *Joh. Alb. Fabricii* bibl. græc. lib. 5. c. 4. vol. 6. p. 32. Cl. *Nath. Lardneri Glaubwürd. der evangel. Geschichte* vol. 4. c. 72. p. 57 sq.

(*c*) C' est la, sans doute, un des passages les plus forts, que les Sociniens puissent alleguer pour leur opinion. *Bern. Nouvelles de la republ. des lettres. l' an* 1707. p. 138. Mirum sane est, quantum virium eidem argumento tribuat *Whistonius?* Celeberrimum *Peirceum* nimirum fuisse fortissimum *Athanasianum*; at hoc argumento, quod ipse in *Essay on the Revelation* uberius exposuerit, eum eo redactum esse, ut ad Unitarios, seu *Eusebianos* sese contulerit, refert in *memoirs of his life and Writings*, tom. I. p. 143.

XXIV. c. 36. ſic leguntur: Περι δε' της ἡμε-ρας ἐκεινης καὶ της ὡρας ὀυδεις ὀιδεν, ὀυδε οἱ αγγελαι των ὀυρανων, ειμη ὁ Πατηρ μου μονος; & apud *Marcum* cap. XIII. c. 32. Περι δε της ἡμερας ἐκεινης καὶ της ὡρας ὀυδεις ὀιδεν, ὀυδε οἱ ἀγγελοι, οἱ ἐν ὀυρανω ὀυδε ὁ ὑιος, ει μη ὁ Πατηρ. Sequimur lectionem pluribus codicibus communem; diverſæ enim, quæ hic occurrunt lectiones, ex commixtione utriusque loci ortæ eſſe videntur (*d*). Ad nexum verborum cum antecedentibus ſpectantia, ad duo capita, in quas eruditi abiere diverſas ſententias, revocari poſſunt. Alii ſtatuunt integra, tum *Matthæi* XXIV. tum *Marci* XIII, capita de judicio divino ſuper

(*d*) Variæ lectiones apud *Matthæum* ſunt: (1) ὀυδε ὁ ὑιος. quæ verba apud *Matthæum* olim lecta, ſed a nonnullis ſubtracta fuiſſe, ne *Arianis* eſſet anſa confirmandi, Filium eſſe Patre minorem, qui nobiſcum aliquid ignoraret; nam cum *Marcus* ἐπιτομην *Matthæi* ſcripſerit, conſentaneum eſſe, illum hæc non addidiſſe de ſuo, ſuſpicatur *Eraſmus* in loc. nonnullosque Patres habet ſibi conſentientes, nec non MS. *Cantabrigienſe* lat. græc. & *Caſaubonum* in l. Verum & ſat exiguus eſt codicum numerus, qui eandem lectionem ſervant, & Patres ſibi ipſis non ſunt conſtantes, memoriæ nimis in citandis ſcripturæ locis confidentes, & fruſtraneum fuiſſet hæc verba e *Matthæo* eradere, cum *Marcus* illa ſatis clare exhibeat. Majori itaque jure ut ſpuria rejicitur lectio a *Rich. Simonio nouv. Obſerv. ſur le texte du N. T. ch.* 21. p. 445. *Joh. Clerico* art. crit. part. 3 ſect. 1. c. 15. §. 15. vol. 2. p. 228. *Grotio* in loc. *Lud. de Dieu* crit. ſacr. p. 373. edit.

ſuper *Judæos* agere, ita tamen ut *Chriſtus* phraſes formulasque loquendi a conſummatione ſeculi mutuo ſumſerit: quorum ex mente verba exſcripta de die, quo Deus de gente duræ cervicis ſupplicium ſumere graviſſimum ſtatuerit, ſunt exponenda. Alii vero contendunt, poſt annunciatam *Judæorum* cladem *Matth.* XXIV. com. 1-28. *Marc.* XIII. com. 1-23, *Chriſtum* de totius mundi interitu ſeculique conſummatione verba facere, atque inde verba citata de adventu *Chriſti* ultimo accipiunt. Quælibet ſententia graviſſimis gaudet defenſoribus (*e*). Litem vero iſtam dirimere aliis relinquimus. Sufficit nobis ſermonem eſſe de

edit. *Amſt.* 1693. & *Luca Brugenſ.* notat. in biblia in loc. (2) μȣ deeſt quibusdam codicibus aut lapſu librarii aut licentia cujusdam, cui hanc vocem ſenſum nimis durum reddere viſum eſt. Apud *Marcum* legitur 1) loco καὶ τῆς ὥρας a quibusdam ἢ τῆς ὥρας, ut in *New Teſtament in greek and Engliſh*, *Lond.* 1729. 8. ſed perinde eſt utrum καὶ, an ἢ legatur. καὶ per compendium exſcriptum non diſſimile eſt græcorum ἢ rudi penicillo exaratum, atque ita, ut quidem ſuſpicor, altera lectio ex altera originem traxit. 2) τῶν ȣρανῶν, quod aperte e *Matthæo* transſcriptum eſt, ſicuti 3) μόνος, quod a quibusdam *Marco* additur.

(*e*) Studioſe auctores varios collegit *J. C. Wolfius* in curis. tom. 1. p. 349. & *Mich. Lilienthalius* archivar. bibl. p. 112. 160. 244.

de ſtatuto tempore judiciorum a ſummo Numine exercendorum: ſive omnes in univerſum homines, ſive *Judæi* tantum judicandi puniendive ſint, alii disquirant.

§. IV.

Auctorem verborum, in quorum genuinum ſenſum inquirimus, eſſe *J. C.* Servatorem noſtrum, nemo unquam negabit. Adverſarii hoc quoque non ſolum non negant, verum & fundamentum errorum maxime in eo qværunt, quod *Chriſtus* de ſe ipſo iſta profeſſus ſit. Statuimus ſecundum effata S. Scripturæ, *Chriſtum* eſſe θεανθρωπον, verum Deum ejusdem cum Patre eſſentiæ, & verum hominem. Hinc quærendum eſt, quomodo *Chriſtus* hic ſe ipſum conſideret? Utrum hic loquatur tanquam purus homo, an tanquam Deus & homo in una perſona? Utrum in ſtatu exinanitionis, an vero in ſtatu exaltationis & plenarii uſus omnium divinorum idiomatum? Loquitur hic omnino *Chriſtus* ut verus homo, ſeque ipſum conſiderat in ſtatu exinanitionis, atqve de ſe ipſo confitetur, ſe in ſtatu exinanitionis ignorare diem judicii a Deo conſtitutum. Adverſarii vero ſibi imaginantur, *Chriſtum* hic loqui ut merum hominem, adeoque illum non eſſe verum Deum, ſed Patre inferiorem: & hoc quidem ex hiſce verbis probatum dare volunt. Quodſi itaque

que quæ hic *Christus* confessus est de se ipso commode cum dogmate, eum esse θεανθρωπον, conciliari possunt, ficulneis adversariorum argumentum stabit talis.

§. V.

Duas loca ista continent propositiones, quarum altera est negativa, altera affirmativa.

I. Prior eos nominat, qvi diem judicii ignorant, quibus non competit tempora exsequendorum judiciorum divinorum nosse.

1) Subjectum ejus a *Matthæo* duplex nominatur:

a) ȣδεις, nemo, nullus. Respicit omnino ad homines, ad quos *Christus* loquebatur: nemo itaque est mortalium, qui ista scire possit.

b) ȣδε οι αγγελοι των ȣρανων. Adscendit per gradationem sermo: ne qvis sibi persvadeat, quamvis hominibus hoc sit absconditum, angelis tamen ista, etiam absque revelatione peculiari nota esse, expresse angelos nominat, qui sunt in coelo, ut ministri & servi Dei. Obviam it hæc assertio errori *Judæorum*, statuentium, Deum nihil facere antequam ad consilium dandum convocarit domum suam, seu angelos (*f*). Addit *Marcus*

c) ȣδε

(*f*) Vid. *Salom. Jarchi* ad Genes. I, 26.

c) ὀυδε ὁ υἱος. *Neque filius.* Non expresse hic *Christus* declarat, quonam respectu sibi hoc nomen imponat, utrum, qua est Filius Dei, an, qua est Filius hominis. Verum eum hic de se, quatenus homo est, loqui, ex nexu verborum apparet. Sæpius enim, ut juste observavit *Dan. Heinsius* (g) multa ἀτελως efferri solent, quæ aliis in locis ἐντελως dicuntur. Dominus, quoties oeconomicam humiliationem suam commendat, υἱον τȣ ἀνθρωπȣ se vocat; sed hic se solummodo υἱον *Filium* appellat, quia in præcedentibus apud *Matth.* com. 30. & *Marc.* com. 26. jam indicarat, se esse filium hominis. Eodem ergo respectu, quo se appellarat Filium hominis, se hic vocat filium, sc. hominis, seque tanquam hominem hic vult considerari. Ven. *J. A. Bengelius*, qui multa erudite ad hunc locum disputat, (h) *Christum* non ab humana natura adpellari hic judicat. *Christum* itaque se filium Dei hic appellare autumat. Addit: *Cur appellatur h. l.* Filius, *non sumta denominatione a natura humana? Resp. In enunciatis de Salvatore cum prædicato glorioso copulari solet subjectum demissum, cum prædicato demisso subjectum gloriosum.* Verum, quod pace hujus Viri eruditissimi observare mihi liceat, si *Christus* hic se Filium Dei appellat, etiam qua

(g) Exercit. sacr. ad N. T. lib. 2. c. 8. p. 112. edit. *Cantabrig.* 1640. 4.

qua Filius Dei nesciret judicii tempus determinatum. Quod si in immediate præcedentibus & proxime cum dictis nostris connexis, se non filium hominis expresse nominasset, quam lubentissime huic sententiæ subscriberem. Nec obstat *Christum* statim Patris mentionem injicere. *Non opponitur enim*, ut verbis *Jac. Cappelli* (*i*) utar, *persona Patris personæ Filii, sed humana Filii natura Divinæ.* Verba *Pater* & *Filius* hic non ὑποςατικως sed ἐσιωδως sumenda sunt. Quin & *Christus*, quatenus erat homo, Deum Patrem omni jure appellare poterat, quippe qui in terris nullum patrem agnoscebat, opera Spiritus S. conceptus & in utero matris formatus. Nomen itaque Filii, non quatenus erat Filius ex essentia Patris genitus, sed quatenus homo, gerit.

2) Prædicatum: περι της ἡμερας ἐκεινης και της ὡρας οιδε. Ubi

a) Verbum οιδε, scit, novit, ab ειδω. Scimus, si de aliqua re claram vel distinctam habemus ideam, ita ut ab aliis discernere queamus. Diversimode hæc vox ab eruditis exponitur, (*k*) quatenus de Filio prædicatur.

α) Patres

(*h*) Gnom. in N. T. ad l. *Marc.* p. 193.
(*i*) in Loc. *Marci*.
(*k*) vid. *J. C. Wolfii* cur. in loc. p. 517 sq.

α) Patres permulti Christum de humana natura affirmare, illam nescire diem judicii, asseruerunt. Hoc per ambages respondere visum est *Rich. Simonio* (*l*). Considerat itaque *Christum* tanquam legatum Patris, qui hominibus legem novam annunciaret. *Il a pu dire*, (ita mentem suam explicat audax ille Criticus) *en cette qualité, qu' il ne savoit point tout ce, qui n' apartenoit pas à sa Charge, & c' est en ce sens, qu' il dit que la connoissance de l' heure du Jugement dernier luy est inconnüe, n' étant point venu au monde pour l' apprendre aux hommes.* In *Augustini* defensionem hæc dicta sunt, sed duplici premuntur difficultate. Primo interpretatio quam longissime a proprio verbi significatu recedit; simpliciter dixit: ignorare filium diem; non vero, se quidem scire, sed non muneris sui esse, ista revelare. Provocat quidem *Camero* (*m*), qui *Simonio* præivit, ad 1 *Cor.* II. com. 2. ubi *scire* idem sit ac *docere*; sed exinde non sequitur, & hic eandem vocem simili modo esse interpretandam. Secundo prædicatum non alium admittit significatum, quam qui triplici subjecto applicari possit. Sed quis unquam alios homines & angelos legatos Dei, qui multa quidem scirent, at illa, quæ ipsis mandata non essent, quamvis scirent, tamen

(*l*) Hist. crit. des Comment. du N. T. ch. 19. p. 272.
(*m*) in loc. *Marc.*

tamen ita ignorarent, ut aliis non annuntient, appellare audebit? Bonus ſane hic Criticus dormitavit.

β) Plurimi eruditorum ignorantiam ad humanam Servatoris referunt naturam, ita ut ſe abdicaverit omniſcientia, atque qua homo ignorarit diem, ſicut & reliqui homines & angeli. Huic ſententiæ nihil opponimus, verum illam

γ) aliquo modo reſtringendam eſſe cenſemus. Monſtrarat Servator noſter in præcedentibus, eſſe quidem ſigna, e quibus, diem judicii appropinquare, conjici queat; ex quo apparet, eum hic nos docere, hominibus & creaturis licere quidem augurari & ex ſignis conjicere tempus judicii, ſed diem iſtum digito quaſi monſtrare, certo definire, non eſſe creaturarum, niſi prævia divina revelatione iis hoc manifeſtatum ſit. Nullam ergo creaturam hoc a priori ſcire, ſed tantum a poſteriori per revelationem divinam. Quodſi hic, quemadmodum nonnulli volunt, de divina *Chriſti* natura ſermo eſſet, & verba ita exponi poſſent, quod *Chriſtus* etiam qua divinam naturam non ſciret diem iſtum, niſi per intellectum Patris, a quo & eſſentiam & intellectum communicatum receperit. Verum, ut lubens confiteor, ejusmodi

modi interpretatio nexui verborum respondere mihi haud videtur.

b) Id quod ignoratur, duplici modo exprimitur

α) Περι της ἡμερας ἐκεινης. ἡμερα vel spatium duodecim vel viginti quatuor horarum temporis denotat. Posteriori sensu hic accipiendum esse, per se patet, ut certum quidem & statutum, at tamen latius aliquanto definitum hic intelligatur. Additur enim

β) Και της ὡρας, ut strictius articulus temporis seu punctum ejus specialissimum determinetur. Non enim sine ratione dies & hora conjunguntur; ignorata enim hora non statim ignoratur dies, & ignorato die scire tamen quis horam certam potest (*n*). GROTIVS (*o*) quidem hic non diei particulam sed latius sumpti temporis ambitum intelligit, sed sine fundamento; priori enim temporis designationi subjungitur altera, quæ priorem arctius limitet & restringat, quemadmodum pars magis est determinata ac totum. Ἐκεινης quidem respicit ad omnia quæ a com. 30. prædicta, inprimis vero ad com. 35. ubi de συντελεια τȣ αἰωνος dictum erat.

Serva-

(*n*) V. Ven. *Bengelii* gnom. in loc.
(*o*) in loc. *Matth.*

Servator noſter hac propoſitione docet, 1) fore certiſſime, ut illa omnia eveniant, de quibus vaticinatus erat, 2) certum tempus deſtinatum eſſe iſtis eventibus, atque illo tempore omnia eſſe exſequenda quæ ſeculi conſummationem concernunt; 3) tempus illud neque prolongari neque minui, ut adventus judicis vel differatur vel acceleretur; 4) nihilo tamen ſecius neminem creaturarum, neque homines neque angelos, neque Filium hominis, quamvis ob unionem cum λογῳ Dei dignitate angelos longe ſuperet, per ſe & absque revelatione divina certiſſime definire poſſe illud tempus a Deo ſtatutum; 5) e ſignis quibusdam conjici poſſe, diem iſtum non longe abeſſe.

II. Poſterior propoſitio indicat quisnam ille ſit, qui tempus hoc ſciat: nimirum Pater ſcit diem & horam. Ubi

1) Copula ἐι μη, niſi: ſæpiſſime ponitur pro ἀλλα, atque indicat, nominari hac enunciatione aliquem, de quo omnia ſint affirmanda, quæ de ſubjectis prioris propoſitionis negata ſunt.

2) Subjectum eſt ὁ πατηρ μȣ μονος. Vox πατηρ hic haud deſignat ſpeciatim primam Deitatis perſonam, ſed eſt nomen Dei (p). Opponuntur enim ſibi creaturæ

F 2 &

(p) *Matth.* VI, 4.6.8.9.26.

& Pater, hinc entia creata & ens increatum, quod eſt Deus. Accedit, judicium eſſe opus divinum ad extra, omnibus tribus perſonis commune: Hinc Pāter non ὑποςατικως nominari hic potuit. Particulæ excluſivæ denique non excludunt perſonas Deitatis, quæ ejusdem cum Patre ſunt esſentiæ, atque ab illo quidem abſtractione mentali ſeparari at nunquam a prærogativis, in eſſentia divina fundatis excludi poſſunt. *Arianum* itaque jam eſſe oportet, qui *arianiſmum* ex hoc loco demonſtrare vellet. Duplici determinatur ſubjectum ratione:

a) μονος, auget hic excluſionem, atque indicat Deum eſſe illum unicum, cujus ſit hæc ſcientia, cum illa careant creaturæ. Opponitur ergo ὁ πατηρ μονος creaturis in priori propoſitione nominatis, iis enim, de quibus ſermo non fuerat, λογῳ & ſpiritui ſ. opponi non poteſt. Duplicem excludendi particulam, hic omnes, præter ſolum Patrem primam Deitatis perſonam, excludere crepant adverſarii, neque alium in finem CASP. ERNEST. TRILLERVS ſocinianizans in Verſione N. T. german. duplicem excluſionem ſic expreſſit: *ohne nur allein mein Vater allein.* Sed falſam vocis πατηρ explicationem præſupponunt.

b) μȣ

b) *μϗ, meus.* Quemadmodum Deus ſæpiſſime in ſacris litteris dicitur *πατηρ ἡμων*, ſic & Chriſtus Deum hic vocat Patrem ſuum, quia ſe ut creaturam conſiderabat.

2) Prædicatum: *οιδε κ. τ. λ.* Non repetam quæ de hac phraſi commentatus ſum, ſed pauca de ZEGERI (*q*) explicatione obſervabo. Interpretatur ille hoc comma, *neque Filius ſciret, niſi Pater ſciat*, ut *Chriſtus* non dicat, ſe revera neſcire, ſed fore ut neſciret, niſi ſciret Pater. Quod ſi vero nexum verborum conſideramus, idem etiam de angelis & hominibus dicendum eſſet, cum quibus *Chriſtus* ſe ipſum conjungit. Angeli itaque & homines diem neſcirent, niſi ſciret Pater, hoc eſt revera ſcirent, quod tamen falſum, hinc interpretatio ZEGERI non locum habet.

Docemur hac propoſitione: 1) Solius Dei proprium eſſe ſcire tempus definitum & ſtatutum exequendis judiciis; 2) Deum ex ſe ipſo per intellectum infinitum habere iſtam ſcientiam; 3) Perſonis in Deo iſtam ſcientiam eſſe communem; 4) Deum diem & horam quam certiſſime noſſe; & 5) Deum ſolum hominibus & angelis hoc poſſe revelare.

(*q*) in loc. *Matth.*

§. VI.

Quæ adverſarii æternæ Deitatis *Chriſti* Servatoris noſtri huic dicto ſuperſtruunt, plerumque in aſſertione: *quod non filius ſed ſolus Pater ſciat diem & horam judicii* fundata ſunt. Concludunt inde *Chriſtum* eſſe Patre minorem. Concedimus, *Chriſtum*, eo reſpectu, quo hic loquitur, i. e. ſecundum humanam naturam eſſe Patre inferiorem, ſed eum quoque quoad divinam naturam Patre eſſe minorem negamus, & ex hoc loco probari non poteſt. Nec obſtat, quod *Chriſtus*, ſi fuerit θεανθρωπος, fuerit omniſcius Deus; adeoque & illa, quæ ignorare dicit, non ignoraverit. Interceſſerat omnino inter divinam & humanam naturam idiomatum κοινωνια, atque omniſcientia communicata erat humanæ. Vidimus ſæpe Servatorem noſtrum καρδιογνωςην, qui vafras & callidiſſimas adverſariorum percipit cogitationes. Sed non omni tempore *Chriſtus* in ſtatu exinanitionis, in quo divina attributa non occultabat, aut diſſimulabat, ſed ſe evacuaverat, attributis divinis uſus eſt, ſed ſe ab illorum uſu abſtinuit. In iſto itaque ſtatu evacuationis & exinanitionis,

(r) *Vindication of the holy and everbleſſed Trinity, and the incarnation of the Son of God. Lond.* 1690. 4. Infinitas auctor excitavit turbas, quippe qui *Tritheiſmum* aperte docuit; ejusque a D. *Southo* accuſatus in *Tritheiſm charged upon Dr.* Sherloks *book:* Vin-

nitionis, absque læsione veritatis, dicere poterat, se ignorare illa, quæ divinis attributis utens, non ignorabat. Nihil itaque, quod dogmati, *Christum* esse θεανθρωπον, contradicat, hic adseritur.

§. VII.

Cum sub finem seculi superioris *Arianorum* placita in *Anglia* renascerentur, Vir quidam eruditus W. SHERLOCKIVS, ecclesiæ Paulinæ *Londinensis* Decanus se iis fortissime, quamvis haud felici successu, opposuit (*r*). Neque argumentum adversariorum, de quo nobis agendum, intactum reliquit. Quæ profert, ad sequentia capita reduci possunt: I. *Christum* habere propter unionem personalem duplicem intellectum, divinum & humanum, quorum ille omnia sciat, hic multa ignorare possit. II. *Christum* opponere in locis *Matth.* & *Marc.* cognitionem creaturarum cognitioni Patris. III. Sermonem esse de *Christi* humana natura, non de divina. Quæ quamvis vera sint, addit tamen nonnulla, quæ potius excusanda quam imitanda sunt.

Vindication &c. *Lond.* 1695. 4. ab *Ed. Stillingfleeto* tamen in *discourse in vindication of the doctrine of the Trinity: Lond.* 1697. 8. excusatus est. Conf. Ven. *C. M. Pfaffii* introd. in hist. theol. litt. lib. 2. p. 313 sq. Ven. *J G Walchii*, *Einleit*, *in die religions-streit*, tom. 4. p. 206 sq.

Dicit: " Aliquid ignorare, cum perfecta „cognitione conciliari nequit. . . . quod „si (Filius) esset verus ac perfectus Deus, „ejusdem cum Patre substantiæ, nullius „rei ignarus esse posset. " (*s*) Paucis interjectis addit: " Durum sane est dictu, Filium, qui unica tantum est persona, quamvis duas habeat naturas, non id cognoscere, quod cognovit sive ut Deus sive ut „homo. Sed vera tamen vel hæc responsio esse debet, vel meliorem invenire „ignoro. " (*t*). Quæ non ita intelligenda sunt, ac si auctor negaret Filium esse verum

(*s*) *To be ignorant of any thing, cannot be reconcil'd with a perfect Knowledge, - - - at were he true and perfect God, of the same substance with his Father, he could be ignorant of nothing* lib. cit. p. 198.

(*t*) *'Tis very hard, that the Son, who is but one person, tho he have two natures, should be said not to Know, what he did Know, whether he Knew it as God or as man. But this must be the true answer, or J Know not, how we shal find a better.* Ibid. p. 199.

(*u*) Non desunt inter nostrates, qui quamlibet in Deo personam substantiam vocant, quorum verba mitiganda esse videntur. Minime probatur mihi ratiocinium, quo *Polyc. Lyserus* in amoenit. literar. reliquiis, spec. 12. p. 212. adstruere conatur, mysterium Trinitatis esse contra rationem; interim ansam præbuit ei condendi demonstrationem suam, assertio, quamlibet personam esse substantiam. Cl. *C. A. Büttnerus* Sedinensis est unus ex iis, qui personam in Deo vocat substantiam

rum Deum. Statuit enim, in Trinitate esse tres infinitas mentes, & tres distinctos Spiritus; quorum singuli sunt substantia; hinc, quamvis hoc sit error *Tritheistarum*, secundum mentem auctoris, Pater alia est substantia ac Filius, sed Filius est ejusdem essentiæ, seu cum Patre & Spiritu sancto constituit Deum Trinunum (*u*). Porro in subsumtione auctor vitium commisit. Subsumendum fuisset: si *Christus* verus Deus, & non homo simul in una persona esset, nullius rei ignarus esse posset. Nam quatenus est Deus, est omniscius, sed quatenus

tiam completam incommunicabilem, nihilo tamen minus Deo unicam adscribit substantiam. Quæ si vera essent, mysterium hoc omnino contra rationem esset. Uberiori sane disquisitione opus esset, nisi demonstratio hujus theorematis, quam suppeditavit *curs.* theol. tom. I. §. 136. p. 172. aliquo laboraret vitio. Sunt verba ejus: „Pater est Deus, F est Deus, & Sp. S. est Deus, „Deus vero est substantia; Ergo Pater est sub„stantia, Filius est substantia, & Spiritus S. est „substantia." Quæ si in formam syllogismi redigimus, Major erit: Deus est substantia, ubi vox *Deus* non personam sed Deum trinunum, ens summum trinum denotat. Minor erit: Pater est Deus. Hic vox *Deus* alium habet conceptum; non amplius ens summum trinum, sed personam, quæ est in Deo trinuno indicat: In majori ergo alium ac in minori habet conceptum, hinc insunt syllogismo quatuor termini. Conf. Tractat. *Abhandl. von der Relig. der H. u. d. C.* part. 2. §. 31. p. 93 sq.

nus homo, ens limitatum, ergo nec omniſcius. Ultimum denique quod attinet, in reſponſione, quam adverſariis dedit, parum fiduciæ collocare auctor videtur. Sed quare durum ſit dictu, *Chriſtum* qua hominem quædam neſcire, quæ ipſi, cum communicatis ſibi divinis utitur attributis, nota ſunt, nullus video. *Chriſtum*, qui Deus eſt, qua hominem creviſſe ſapientia, eumque, qui Deus eſt omnipotens, ab hominibus captivum ductum & morti traditum eſſe, dicerene licet?

§. VIII.

Inter adverſarios SHERLOCKII fuit vir eruditione & ſcriptis clarus THOMAS EMLYNVS, apud Diſſentientes, qui *Dublini* ſunt, verbi quondam divini miniſter, ſed ab officio eccleſiaſtico remotus (*w*). Hic illi peculiarem librum de ſupremo Deo Patre (*x*) oppoſuit, in quo & in ea, quæ SHER-

(*w*) Ob librum editum *Arianiſmo* faventem: *An Humble Inquiry into the ſcripture-account of I. C. or a ſhort Argument concerning his Deity and Glory, according to the Goſpel.* 1702. 8. & tom I. opp. p 81. ſq. Vitam hujus Viri exponit Filius *Sollom Emlyn*, in *memoirs* of the Life and *Writings of Mr. Thomas Emlyn.* nec non ipſe auctor in *narrative of the proceedings of the Diſſenting Miniſters of Dublin againſt Mr. Th. Emlyn* 1719. 8. & Vol. I. opp. p. 1 ſq. quæ 1746. quarta vice recuſa ſunt.

SHERLOCKIVS de locis *Matth.* & *Marci* ſupra explicatis, commentatus eſt, inquirit. Ambabus arripit manibus, quæ ille aliquo modo conceſſit, Filium nimirum cum Patre non eſſe ejusdem ſubſtantiæ, ſed ſenſum verborum detorquet. Longe enim alio modo SHERLOCKIVS *Tritheiſta*, verba ſua vult intelligi, ac EMLYNVS *Arianus* illa exponit. §. 7. Ad caput I. regerit EMLYNVS: " Quodſi nobis licet, affirmare de „ perſona Chriſti, quod unius tantum na- „ turæ eſt proprium, quare non potius dica- „ mus, Filium noviſſe diem, quia una ejus „ natura illum ſcivit? " (y) Verum concedimus, & nos & Chriſtum dicere potuiſſe, ſe ſcire diem. Cum vero contrarium affirmavit, & hoc veritati conſentit. Utrumque verum eſt. Quemadmodum enim de perſona prædicari poſſunt, quæ alteram tantum naturam concernunt proprie; ſic &

(x) The ſupreme Deity of God the Father demonſtrated, 1707. 8. & tom. I. opp. 333 ſq.

(y) *If we may affirm of the Perſon what belongs to one nature only, why ſhould it not rather be ſaid, that the ſon alſo Knevv of that dav, if he Knevv it in one nature?* l. c. p. 358. Format nimirum argumentum καϑ' ανϑρωπον, ſiquidem *Sherlockius* l. c. p. 201. aſſeruerat: *the incarnate Word being but one perſon, vvhatever belongs to either nature, may truly be affirmed of his perſon, tho it be not true vvith reſpect to more than one nature.*

& de perſona negari poſſunt, quæ de altera natura tantum neganda ſunt. Si diceretur Filius hominis ſcire diem, denominata perſona ab humana natura, explicandum hoc foret per κοινωνιαν των θειων, quæ ad primum genus communicationis idiomatum refertur. Cum vero contrarium dicitur, explicandum hoc e natura & indole ſtatus exinanitionis, in quo idiomatum divinorum non eſt perpetuus uſus. Cum itaque *Chriſtus* filius hominis a divina natura communicata omniſcientia non uteretur, veriſſime dixit ſe neſcire diem: alias enim ſe non uſu perfectionum divinarum abdicaſſet, ſed illas tantum occultaſſet.

§. IX.

Contra caput II. (§. 7.) objicit (z): ſi *Chriſtus* Creaturas Patri opponit, & Filius Dei Patris eſt unus ex illis, qui Patri opponuntur, Filius Dei Patris eſt Creatura. Ergo non verus Deus. Meris autem fallaciis

(z) Ibid. p. 356.

(a) Vindication of the Deity of J. C. Dublin. 4. p. 99 ſq.

(b) Sermons p. 133. E controverſia quam cum *S. Clarckio* aluit notiſſimus eſt, quo demortuo adverſarium nactus eſt, qui ſe Clericum nominat, qui *Jackſonius* eſſe putatur. Non longe is abeſt ab *Arianiſmo*, ſiquidem ita eructavit, ut miniſtri Eccleſiæ eum ad communionem ſacrorum admittere recuſarint. Conf. *A narrative of the Caſe of the*

ciis superstructum est argumentum. 1) Non largimur auctori, per Patrem intelligi Patrem ὑποςατικως; sed est nomen summi Dei. 2) Neque concedimus, per υἱον intelligendum esse Filium Patris ὑποςατικον, sed Filium hominis, seu concretum personæ ab humana natura denominatum. 3) Denique argumentum hoc modo limitandum est: Si *Christus* creaturas Deo Trinuni opponit, & Filius hominis est unus ex illis, qui Patri opponuntur; Filius hominis seu humana natura est creatura, quod concedimus.

§. X.

IOH. BOYSENIVS Dublinensium V. D. minister, variis contra *Arianos* scriptis celebris, in vindiciis Deitatis Christi EMLYNO sese opposuit, (*a*) cui sese adjunxit celebris ille in controversia de S. S. Trinitate propugnator D. WATERLANDVS (*b*), qui sua a *Boysenio* mutuo sumsit. Hoc par viro-

the Rev. Mr. Jackson, being refused the sacrament of the Lord's supper, by Dr. Coney, quam relationem *Jacksonius* in defensionem opinionum suarum edidit. Prodiit 1736 biographia *Waterlandii*: s. t. *Memoirs of the life and Writings of Dr. Waterland. by a Clergyman.* Sed de eo, quod titulus mentitur, ne γρυ quidem legitur. Est foetus ejusdem *Jacksonii*, qui librum *Christian liberty asserted, and the scripture doctrine of the Trinity vindicated*, defendit contra animadversiones *Waterlandii*.

virorum præstantissimorum in eo cum SHERLOCKIO consentit, servatorem nostrum de humana sua natura loqui. Addunt vero, terminos *ει μη* & *μονος* non strictissime omnes alios, qui sunt cum Patre ejusdem essentiæ, excludere. Opposuit EMLYNVS examen eorum, quæ BOYSENIVS & WATERLANDVS docuerunt. (*c*) Objicit primo, Filium hominis & Filium Dei esse unam personam, unum subjectum sub duplici nomine (*d*). Quæ quidem verba verum sensum habere possunt; sed auctor noster illa suo more intelligit; nimirum *Christum* esse Dei Filium secundum humanam naturam, quia patrem in terris non habet, secundum eandem naturam esse quoque Filium hominis, quia e matre natus est; & ne sine fundamento ista

(*c*) *An examination of Mr. Boyse's ansvver to the objection* qui Tractatus octo paginarum post annum 1707 scriptus, adhæret alteri s. t. *general Remarks on Mr. Boyse's vindication of the true Deity of our blessed savior.* 1704. prima vice edito.

(*d*) *The Son of man and Son of God are not tvvo, but one and the same subject on person under tvvo names; as the Son of Joseph and the Son of Mary, bey the Jevvs opinion of him, did not mean tvvo Sons, but one and the same.* Vol. I. opp. p. 189.

(*e*) Referri huc meretur *Thomas Bennetus*, qui in *discourse of the everblessed Trinity in unity Lond.* 1718. 8 cum *Arianis* quidem congressus est, attamen non semel exorbitavit. Plane singularia sunt, quæ cap. 9. p. 128. de quiete verbi Dei in *Christo*

ista asserere videatur, provocat ad Luc. I. 30. Verum locus iste demonstrat, tum generationem humanæ naturæ fore non secundum naturæ cursum, sed supernaturalem & miraculosam, tum Filium *Mariæ* non solum esse sanctum, sed & fore ut pro filio Dei haberetur, fore ut ab hominibus agnosceretur non solum pro filio *Mariæ*, hoc est, vero homine, sed & pro Filio Dei, h. e. vero Deo. Tantum abest itaque, ut auctor assertionem suam probaverit, ut potius contra illum militet, ad quem provocavit, *Lucæ* locus. Interim plures esse in ecclesia Anglicana, qui cum auctore consentiunt, *Christum* secundum humanam naturam esse filium Dei, negari haud potest (*e*).

§. XI.

Christo differit. Quanam ratione *Christum* pro Filio Dei habeat, sequentibus declarat. pag. 109. *Christ is God's only begotten Son, as to his humane nature, because as truly begotten by God, as vve are by our natural fathers.* nec non p. 217. *The eternal generation of the vvorld is not found in scripture, nor is he called the son of God upon any account antecedent to the incarnation.* In aliam quidem, sed tamen parum diversam deflectit viam vir cel. *Georg. Bensonius* qui de Filio Dei differit in *the reasonablenesse of the Christian Religion as delivered in the scriptures*, pag. 295. edit. 1746. *the scripture doth veri clearly call J. C. the son of God, upon these three accounts, his miraculous conception, his resurrection from the dead on the third day, and his being the Messiah.* *Upon*

§. XI.

Secundo objicit *Emlynus*, (*f*) locum *Marci* non de Filio hominis, ſed de Filio Patris intelligendum eſſe, quia *Chriſtus* ſe tum ſimpliciter appellet *υιον*, tum ſtatim Patris injiciat mentionem. Quid autem reſpondendum ſit, jam in explicatione hujus dicti §. 5. oſtenſum eſt. Quod ſi nexus habuiſſet auctor rationem, argumentum ſuum nihil fundamenti habere perſpicere potuiſſet. Idem *Chriſtus*, qui in præcedentibus ſe *υιον ανθρωπȣ* bis nominarat, & hic loquitur, & in eodem reſpectu, ergo & hic *υιος* per terminum compoſitum *υιος ανθρωπȣ* explicandum eſt.

§. XII.

Tertio & in particulis excluſivis aliquid fundamenti ſibi quærit, atque tum parti-

Upon the loſt of theſe accounts he is moſt frequently ſtiled the ſon of God. Nec abs re erit, hic eorum nonnulla legere, quæ olim *Socinianis* viſa ſunt. *Fauſtus Socinus*, quemadmodum in Diſſertatione de unigeniti Filii Dei exiſtentia, qua *Eraſmo Johannis* reſpondit, tom. 2. opp. p. 489. inquirit, an *Chriſtus* ante nativitatem a *Maria* fuerit unigenitus Dei Filius, ſic in Relig. Chriſt. breviſſ. inſtitutione tom. I. opp. p. 654. declarat, quanam ratione *Chriſtum* pro Filio Dei agnoſcat: *Divina iſta*, inquit, *Chriſti Filiatio eatenus tantum ad ejus naturam aliquo modo referri poteſt, quatenus id reſpicit, quod Chriſtus divini Spiritus vi, ſine viri ope in virginis utero conceptus*

particulis exclusivas ἐι μη & μονος esse universales, & duplicem exclusionem omnes, præter unum Deum Patrem, excludere; tum per Patrem significari primam Deitatis personam, hinc, si Filius & Spiritus S. essent in Deo, a summo Deo tamen Patre distingui & excludi, adeoque Patre esse inferiores, contendit (g). Ad primum quod attinet, particulis istis omnes in universum excludi, qui non sunt verus Deus, seu divinæ essentiæ, non nego. Sed verbum Dei, seu divina *Christi* natura est divinæ essentiæ. Ergo non excluditur. Quodsi negatur minor: jamne demonstrandum præsupponitur? Ad alterum respondeo, nos supra jam, per Patrem hic Deum Trinunum significari demonstrasse §. 5. Sunt

ceptus & formatus sit. Nam hujusce rei causa eum Dei filium vocatum iri, ipsius Dei Angelus ipsimet virgini, ex qua natus est, prædixit, & quidem consequenter Dei filium proprium & unigenitum. Ejusdem fere commatis sunt quæ leguntur apud *J. L. Wolzogenium* comment. in Evangel. *Matth.* tom. I. opp. p. 393. & in declarat. duar. contrar. sentent. de nat. & essent. Dei, cap. 1. tom. 2. opp. p. 17. Quæ si sibi invicem comparantur, novos esse quidem adversarios, sed antiqua tela, omnino apparet.

(*f*) pag. 191.

(*g*) Ibid.

Sunt quidem inter Anglos, qui hic per Patrem primam perſonam intelligunt, ut BOYSENIVS (*h*) & WATERLANDVS (*i*); ſed hi auffugiunt ad abſtractionem aliquam, ut Pater hic abſtractive citra reſpectum ad Filium & Spiritum S. hoc nomen gerat; ſed amplum adverſariis ſpatioſumque excurſandi campum aperiunt, diſtinctione iſta nimis ſubtili.

§. XIII.

Non absque animadverſione dimittendus, cujus ſupra mentionem feci, JACKSONIVS, qui ſub larva alicujus *Country-Clergyman* latere voluit; qui nos docet, verba iſta eſſe validiſſimum teſtimonium falſitatis, nec non confutationem totius ſyſtematis, quod WATERLANDVS orthodoxiam appellarit; Filiumque, ipſum Dominum noſtrum, unicum veritatis doctorem, hic declarare, patrem, qui eſt ſuper omnia, &

(*h*) L. c. p. 100.

(*i*) Sermons p. 133.

(*k*) *Theſe Texts therefore are an irrefragable teſtimony againſt, and Confutation of the vvhole ſcheme of vvhat he calls Orthodoxy; the Son, our Lord himſelf, the only teacher of Truth declaring - - that the Father, vvho is above all, and greater then the Son, is ſuperior in Knovvledge alſo.* Memoir of the live of D. W. by a Clergyman, p. 94.

(*l*)Sta-

& major filio, esse superiorem in cognitione (*k*). Non aliam nisi humanam in *Christo* agnoscit naturam, atque distinctionem inter humanam & divinam naturam errorem *Cerinthianum* vocat. Non est, quod multa huic adversario, cui sua probare moris haud est, regeramus. Concedimus *Christum* Patre esse inferiorem cognitione humanæ naturæ propria. Non dari vero in *Christo* divinam naturam, auctor neque probavit, neque per assertionem, quod sit dogma *Cerinthianum*, probatur. Quo vindictam suam exerceat, WATERLANDVM, qui ipsum *Arianismi* reum fecerat, *Cerinthianismi* accusat; sed infausto sidere, nam vel errores *Cerinthianorum*, vel dogmata orthodoxorum ignorare eum oportet, qui ita eructat (*l*).

(*l*) Statuerunt *Cerinthiani*, sub finem seculi primi nati, *Jesum* esse filium *Josephi* & *Mariæ* naturalem; *Christum* vero in eum descendisse in baptismo, atque miracula fecisse, postea vero a *Jesu* iterum avolasse. Ejusmodi vero somnia, qui cum doctrina de unione naturarum in *Christo*, comparare audet, si permagnæ aut protervia aut ignorantiæ accusetur, haud ægre ferat. Conf. Ven. D. *Baumgartenii Kirchengesch.* tom. 1. §. 99. p. 456. *Thomæ Ittigii* Diss. de hæresiarch. sect. 1. cap. 5. p. 60. edit. 1703. 4.

§. XIV.

Viros in *Anglia* eruditiſſimos magnique nominis & auctoritatis eo delabi, ut fere ad *Arianorum* caſtra tranſeant, ſane eſt dolendum. Libertatem ſentiendi eſſe præſtantiſſimum bonum, non diffiteor, quam lubentiſſime potius cl. JOH. LELANDO (*m*) adſenſum præbeo. Sed ubi libertas in licentiam degenerat, eaque ad defendendos errores libertatis amatores abutuntur, malum hoc eſſe judico, quod malorum fere eſt pesſimum. Quænam ſunt veritates, quæ a libere cogitantibus non in diſcrimen vocatæ ſunt? Alii hoc modo libere cogitant, & omnem revelatam religionem rejiciunt; alii alio modo, & negant myſterium Trinitatis atque in libertate cogitandi patrocinium quærunt. Referunt huc licentiam ſacras litteras pro lubitu interpretandi, neque alias loquendi formulas, quam quæ in ſcriptura expreſſe leguntur, adhiberi volunt (*n*). Quo eo deducuntur, ut dum dogmata ſua defendunt, arma ab ipſis Judæis

(*m*) Præf. ad *divine authority of the O. and N. T. Lond.* 1742. 8.


(*n*) Poſcit *Jackſonius* l. c. p. 103: *let the ſcripture declare their own doctrine in their own Words, and not in the Words of either Dr. W. or of the* Country

dæis mutuo ſumant (*o*). Habeant Angli *ſuam*, de qua gloriantur, cogitandi libertatem; nam ſi illorum veſtigia premere vellemus, vel omnem religionem, vel Deitatem Servatoris noſtri æternam brevi temporis ſpatio amiſſuri eſſemus: quod malum D. T. O. avertat!



try *Clergyman*: *and let this doctrine be the only receiv'd Doctrine of the Church.* Sed anguis latet ſub herba. Verba ſcripturæ, ſed placita ſua proferunt adverſarii.

(*o*) Vid. Chiſſuck Emunah R. *Iſaaci* in *Wagenſeilii* telis ign. Satanæ, p. 423.



III.

LVDOVICI CHRISTIANI STIEGEHAVSII,

Corbaccensis Valdecci

SPECIMEN

Obseruationum philologicarum in sacros Novi Foederis libros. (*)

Ευαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον.

Non satis constituere possum, quæ sit eorum sententia, aut quid sibi velint, qui interpretantur: secundum, vel iuxta Matthæum, & cum erudito Elsnero Obseruat. in N. T. p. 1. ingenue fateor, me horum nihil intelligere. Contendunt videlicet

(*) Specimen hoc *bibliothecae Lubecensis* auctoribus inserendum miserat auctor V. cl. Gymnasii Slesuicensis Con-Rector hodie meritissimus, quorum ex manibus acceptum, quod grato agnoscimus animo, *bibliothecae* huic *lubecensi nouae* inserere minime dubitauimus. Siue enim huius ornandae, siue auctoris ipsius eiusque eruditionis minime vulgaris, siue etiam speciminis huius haberemus rationem, nihil, quo consilium hoc impediretur, inuenire potuimus. *O.*

licet, singularem quandam vim huic circuitioni inesse: sed si rem ex vero æstimabimus, egregie falluntur, nam grauiorem significationem ibi quærere, vbi nulla est, æque vitiosum duco, ac eam temere negligere vbi habetur. Præterea id, quod obscurius dictum putant, longe obscurius explicant, quando plane præpostere lucem obscuritati, quam sibi fingunt, afferre student, vel potius luci tenebras offundunt. Vt vera saltem aliqua ex parte perspicue loquantur, & inconcinnam istam interpretationem emolliant, vertendum censent: Prout scripsit Matthæus, in quibus est ALEXANDER MORVS in *Notis* ad quædam loca N. T. p. 6. Num, quæso, orationes Ciceronis aliæ sunt, ac prout Cicero scriptas nobis reliquit? Cuiusvis alius potius erunt quam Ciceronis, si non ita nobis traditæ sunt, quam ipse litteris mandauit. Merito hæc repudiauit DRVSIVS, & ut Hebraice erat peritissimus, conuenientiam præpositionis *κατὰ*, & Hebræorum ל sibi deprehendisse visus est. *Præteritorum Lib. I. p.* 1. ל nempe interdum possessionem tribuere ei de quo vsurpatur, & per generandi casum exprimendum. Verbi causa מזמור לאסף *cantio Asaphi* Psalm LXXIII. vel Ps. LXXXVI. תפלה לדוד *precatio Dauidis*. Huic occurrit MAIVS Exam. Hist. Crit. N. T. p. 24: Qui cum DRVSIO He-

braiſmum aſſerunt, vel ideo aſſenſum non merentur, quia LXX interpretes, quos Hebraiſmi vel Helleniſmi auctores vulgo faciunt, eam loquendi formulam ignorarunt, quum nuſpiam habeant, *Ψαλμὸς κατὰ τὸν Δαβίδ.* Nec propterea ל cum *κατα* conferri poteſt, quia illud, vt plenior ſit conſtructio, requirit אשר. Ita enim habet inſcriptio cantici: שיר השירים אשר לשלמה *Canticum canticorum Salomonis.* 2 *Samuel.* XXIII. 8. אלה שמות הגבורים אשר לדוד. *Hæc ſunt nomina Heroum Davidis.* 2 Sam. II. 8. שר־צבא אשר לשאול *dux exercitus Saulis.* Sed quid opus eſt aliunde auxilia accerſere, quum domi ſatis copiarum ſit? Certe diligentiſſimus ille Theſſalonicenſium Archiepiſcopus, qui iamdudum ſuo exemplo oſtendit & probavit, exactam litterarum, quæ ab humanitate nomen habent, peritiam, vitæ probitati, & ſacrorum myſteriorum cognitioni nullum detrimentum afferre: contra quam quidam perverſe ſibi perſuadent, qui diligentiſſime cauendum cenſent, ne ſcriptorem Græcum, vel Latinum, a noſtris ſacris alienum, attingant, ne forte iſtius lectione vitium contrahant, & aliquid de perfectione rerum diuinarum ſcientiæ, a qua tamen longe abſunt, diminuant: Ille inquam EVSTATHIVS, quum plurimos ſcriptores in egregiis ſuis in Homerum commen-

mentariis citat, sæpe numero præpositionem *κατὰ* accusandi casui iunctam, pro secundo casu adhibet. Cuius auctoritate eo libentius vtor, quod neminem ex omni antiquitate novi, qui maiorem Græcarum litterarum habuerit intelligentiam. Ita vero ille: Iliad. K p. 720. lin. 2. Παυσανίας ἐν ΤΩι ΚΑΤ ΑΥΤΟΝ ΡΗΤΟΡΙΚΩι ΛΕΞΙΚΩι. *Pausanias in suo Lexico rhetorico.* Iliad. Ξ p. 967. lin. 9. Καὶ τὶς Αἰσχύλος, οὐχ ὁ ἐξ Ἀθηνῶν, ἀλλ' ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ὡς Η ΚΑΤΑ ΑΘΗΝΑΙΟΝ ΙΣΤΟΡΙΑ δηλοῖ. *Et Aeschylus quidam, non ille Atheniensis, sed Alexandrinus, vt Athenaei historia testatur.* Iliad. B. p. 181. lin. 30. Αἴλιος Διονύσιος ἐν ΤΩι ΚΑΤ ΑΥΤΟΝ ΡΗΤΟΡΙΚΩι ΛΕΞΙΚΩι. *Aelius Dionysius in Lexico suo rhetorico.* Iliad. B. p. 259. lin. 35. Οὗ μνεία καὶ ἐν ΤΟΙΣ ΚΑΤΑ ΛΥΚΟΦΡΟΝΑ. *Cuius & fit mentio in scriptis Lycophronis.* Iliad. M. p. 858. lin. 30. ὁ κεῖσθαι λέγει Ἀθήναιος ἐν ΤΗι ΚΑΤΑ ΗΣΙΟΔΟΝ ΜΕΛΑΜΠΟΔΙΑι. *quod occurrit, teste Athenaeo, in Hesiodi Melampodia.* vid. Athen. Lib. XI. p. 498. A. nempe σκύφος & σκύπφος, inserto π, dixerunt veteres. Iliad. Ψ. pag. 1447. lin. 22. Τιμοκρείων ἐν ΤΟΙΣ ΚΑΘ ΕΑΥΤΟΝ. *vt habet Timocreon in suis libris.* Iliad. N. p. 891. lin. 43. ὡς δηλοῖ Ξενοφῶν ἐν ΤΟΙΣ ΚΑΤ ΑΥΤΟΝ ΥΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΣΙ. *Vt ostendit Xenophon in suis de vita & factis Socratis commentariis.* Iliad. Ψ. p. 1397. lin. 45. ὅ

καὶ ΗΣΙΟΔΟΣ δηλοῖ ἐν ΤΟΙΣ ΚΑΘ ΕΑΥΤΟΝ. *quod declarat Hesiodus in suis libris.* Iliad. Ω. pag. 1501. lin. 46. Ο ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΔΙΟΓΕΝΗ ΠΙΘΟΣ. *Dolium Diogenis.* Diodorus Siculus scriptor & elegans & copiosus, Lib. XVII. p. 645. Περδίκκας δὲ πυθόμενος ΤΗΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΕΥΜΕΝΗ ΝΙΚΗΝ πολλῷ θρασύτερος ἐγένετο πρὸς τὴν εἰς Αἴγυπτον στρατείαν. *Perdiccas accepto nuncio de victoria Eumenis, longe cupidius expeditionem in Aegyptum suscepit.* Lib. III. p. 141. subfinem. Διελθέντι τὴν εἴσοδον θεωρεῖσθαι μεν ἄντρον ἀναπεπταμένον, καὶ ΤΗι ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΗΛΙΟΝ ΑΥΓΗι περιλαμπόμενον. *Per ostium ingresso, aperit se antrum latum habens aditum & solis splendore vndique collustratum.* Quis quæso intelligeret, si verteres, victoria secundum Eumenem, splendor secundum vel iuxta solem? Nihil obscurius, & ab indole Latinæ linguæ magis alienum. In procliui esset ostendere, Græcos & aliis particulis περὶ, ἐκ, ἀπὸ, παρὰ, vti ad secundum casum exprimendum, sed hæc commodiori loco & tempori reseruabimus.

Matth. II. 10.

Ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.

VORSTIVS Philolog. Sacr. Part. II. p. 194. contra PFOCHENIVM disputans contendit, hanc phrasin in Hebraismis nume-

randam

randam esse. Concedit quidem, nomen, si verbo, vnde deductum est, iungatur, Atticorum more fieri: quod confirmat EVSTATHIVS Iliad. I. p. 630. lin. 38. Iliad. B. p. 263. lin. 49. Sed *μέγα* vel *σφόδρα* addi, id ab Atticis fieri negat. Enim vero Adiectivum, in hac constructione, apud Græcos, augendæ significationis gratia addi, inusitatum non est. LIBANIVS epist. LXXX. centuriæ, quam omni genere laudis excellens VOLFIVS edidit, pag. 259. *βοηθεῖν μείζȣς βοηθείας*, *maiore auxilio tueri.* ALCIPHRON. Lib. I. epist. 28. p. 116. *πῶς ȣ̓ν τακερὸν βλέπεις βλέμμα*, *cur igitur molliter me intueris.* Lib. II. ep. 3. pag. 226. *δεῖται μȣ πάσας δεήσεις*, *omnibus modis a me petiit.* ARISTOT. Polit. III. cap. XI. p. 284. *μεγίστας ἀρχὰς ἄρχȣσιν* *maximos magistratus gerunt.* PLATO in Axiocho p. 732. A. *πᾶσαν αἰκίαν αἰκιζόμενοι* *omnium poenarum afflicti cruciatibus.* Apolog. Socrat. p. 367. A. *ἐυεργετεῖν τὴν μεγίστην ἐυεργεσίαν*, *maximum beneficium præstare.* ARISTOTEL. Lib. II. *de coelo* cap. XII. pag. 241. *κινεῖται πλείȣς κινήσεις* *pluribus modis movetur.* paulo post: *ἐλαχίστας κινεῖσθαι κινήσεις*, *minimis modis moveri.* PLVT. Cat. min. p. 790. F. *δεινȣ̀ς πόνȣς ἐπόνει.* *maximos labores exantlavit.* XENOPHON EPHESIVS scriptor elegans & festivus, suavitate sermonis Attico fere par. Lib. II. p. 33. Ἐρᾷ ὁ Κόρυμβος

τȣ̃

τȣ̃ Ἀβροκόμȣ σφοδρὸν ἔρωτα. *Corumbus Abrocomen mirifice amat.* Cuius generis infinita vbivis ſunt obvia. Sic & Latini dicunt *magnam pugnare pugnam, capitalem fraudem frauſi.* Vid. VECHNER. Hellenolex. Lib. I. cap. 22. p. 152. Sic vindicatam ab Hebraiſmi ſuſpicione puto phraſin καὶ ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην. vt occurrit: 1 Paralip. XXIX, 9. וגם דויד המלך שמח שמחה גדלה *& David rex gaviſus eſt gaudium magnum.* Reſtat, vt additum σφόδρα Græcum eſſe demonſtremus. Quem enim locum produxit LEVSDENIVS in clave N. T. p. 17. Gen. XXVII. 33. ויחרד יצחק חרדה גדלה עד מאד. *Et tremuit Iſaac tremorem magnum uſque valde,* huc referendus non eſt. Sic enim ſcribendum fuiſſet ἕως σφόδρα. Melius congruunt, quæ leguntur Ioſ. X. 20. ויהי ככלת יהושע ובני ישראל להכת מכה גדלה מאד. *Et factum eſt, quum abſoluiſſet Joſua & Filii Iſrael percutere eos clade magna valde.* Vnus locus ex ſcriptore Græco allatus rem conficiet, ſiquidem ſemel in toto codice novi inſtrumenti hæc locutio reperitur. ARISTOPHANES, Comicus non minus facetus quam elegans, & Attici leporis plenus, *Pluto* Act. II, Scen. IV.

Καὶ μὴν λέγω ΔΕΙΝΟΤΑΤΟΝ ΕΡΓΟΝ ΠΑΡΑ ΠΟΛΥ
Ἔργων ἁπάντων ΕΡΓΑΖΟΜΕΘ' εἰ τὸν Θεὸν
Ἔρημον ἀπολιπόντε ποι φευξούμεθα.

Ego

Ego vero dico turpissimum facinus præ cæteris
Facinoribus omnibus facimus, si Deum
Solum relinquentes fugam adornabimus.

παρὰ πολὺ & σφόδρα idem significare nemo ambiget. ἐργάζεσθαι postpositum esse ab Aristoph. quilibet exigente carminis lege factum videt.

Matth. IV. 16.

Τοῖς καθημένοις ἐν σκιᾷ θανάτου φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.

Hebræorum verbum ישב & sedere & habitare significat. *Ezech.* XXXVII. 25. וישבו על הארץ אשר נתתי לעבדי ליעקב אשר ישבו אבותהם. *Et habitabunt in terra quam dedi servo meo Jacobo, in qua habitarunt Patres eorum.* Sed inde non sequitur, Hebraismum esse, si verbo καθῆσθαι Græci easdem significationes tribuunt, sed potius existimandum, in hac locutione Græcam linguam cum Hebræa convenire. LIBANIUS epist. XVI. centuriæ quam summus VOLFIUS illustravit, p. 37. Σὺ μὲν γὰρ ᾔδεις, ΟΥ ΚΑΘΗΜΕΝΟΙΣ ἐπέστελλες, ἡμῖν δὲ οὐκ ἦν ταὐτὸ πρὸς ἄνδρα ὁδῷ χρώμενον. *Tibi constabat, ubi habitabat, ad quem scriberes, mihi vero ignotum erat de viro iter faciente.* Idem epist. C. p. 297. ἀλλὰ τοὺς μὲν ἄλλους κινῶ, καὶ πέμπω, ΚΑΘΗΜΑΙ δὲ

ὑπ'

ὑπ' ἀνάγκης ἐνθάδε τοιαῦτα ἀπολαύων τῆς κεφαλῆς. *Insuper vero alios excito, & mitto, quamvis ipse heic commorer, necessitate coactus quum ex capite laborem.* Idem Epist LV. p. 164. Μάλιστα μὲν γὰρ ἔδει καὶ οἴκοι ΚΑΘΗΜΕΝΩι Μικάλῳ προσελθεῖν τι τῶν τοιούτοις πρεπόντων. *Siquidem Micalo domi remanenti aliquid eorum obtingere debebat, quibus digni sunt eius similis.* Pindar. Olymp. I, epod. 3.

Θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα
τί κε τις ἀνώνυμον γῆρας ΕΝ ΣΚΟΤΩι
ΚΑΘΗΜΕΝΟΣ ἕψοι μάταν, ἁπάντων
καλῶν ἄμμορος.

Mori autem quibus necesse est
Cur aliquis ignobile senium in tenebris
Sedens transigat frustra, omnium
honestarum actionum expers.

PHALARIS Epist. CIX. Ἐξὸν σχολὴν ἄγειν ΚΑΘΕΖΟΜΕΝΟΝ, καὶ μὴ θερμοτέρων ἅπτεσθαι πραγμάτων, ἢ ποιηταῖς πρέπει. *Nunc otio frui poteris, & domi te continens cave graviora negotia suspicias, quam quae poetam decent.* ALCIPHR. epist. XXV. Lib. I. p. 102. Κρεῖττον γὰρ ἐπανήκειν ἐκ Βοσπόρου καὶ Προποντίδος νεόπλουτον, ἢ ΚΑΘΗΜΕΝΟΝ ἐπὶ ταῖς Ἀττικαῖς ἐσχατιαῖς λιμῶδες, καὶ αὐχμηρὸν ἐρυγγάνειν. *Melius est ex Bosporo & Propontide novis divitiis auctum redire, quam in Attico littore commorantem famelicum & siccum ructare.*

re. XIPHILINVS in Iulio p. 21. ΚΑΘΗΜΕΝΟΥ δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἄραντες ἐκ Καμπανίας οἱ στρατιῶται, ἐπῆεσαν τῇ Ῥώμῃ μηδὲν φειδόμενοι. *Quum Romae esset, milites sublatis ancoris versus Romam vela dederunt, & impetu facto nemini pepercerunt.* Praeterea αὐτοῖς videtur more Hebraeorum abundare. וכפר שמים מי ילדו Iob. XXXVIII. 29. *pruinam coeli, quis generavit eam.* Sed & Graecos ita loqui ostendit doctissimus RAPHELIVS in notis Xenophonteis p. 14. Adde *Sophocl.* Oed. Tyr. vs. 287.

Καὶ ταῦτα ΤΟΙΣ μὴ ΔΡΩΣΙΝ εὔχομαι θεοὺς
Μήτ᾽ ἄροτον ΑΥΤΟΙΣ γῆν ἀνιέναι τινά

Et haec non exsequentibus a Diis imprecor
Ne iis unquam terra fruges ferat.

LIVIVS Lib. I. cap. 58. *Cultrum QVEM sub veste abditum habebat, EVM in corde defigit.*

Apocal. XVII. 14.

Βασιλεὺς βασιλέων.

Ita Hebraei saepissime. Ezech. XVI. 7. ותבאי בעדי עדיים *& pervenisti in ornamentum ornamentorum.* Cantic. I. 1. שיר השירים *canticum canticorum.* Gen. IX. 25. ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו *Maledictus Canaan servus servorum erit fratribus suis.* Similiter Graeci. DIODORVS Lib. I.

I. pag. 31. ἐπιγεγράφθαι δ' ἐπ' αὐτȣ̃ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ Οσυμανδύας εἰμί. *Inscriptum esse tradunt statuæ sum rex regum Osymandyas.* ibid. pag. 35. τηνδὲ τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτȣ̃ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καὶ ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΔΕΣΠΟΤΩΝ Σεσόωσις. *Hanc regionem armis suis occupavit rex regum, & Dominus Dominorum Sesostris.* PLVT. de consolat. ad Apollonium p. 115. A. τοιάδε θνητοῖσι ΚΑΚΑ ΚΑΚΩΝ ἀμφὶ τε κῆρες εἰλεῦνται, κενεὴ δ' εἴσδυσις ȣ̓δ' αἰθέρι, *talia mala malorum Parcæ mortalibus immittunt, neque in hanc lucem redire licet.* THEOPHYLACTVS SIMOCATAS epist. LXXV. διαπαίζει γὰρ τȣ̀ς ἀνθρώπȣς, ὥσπερ καὶ βȣ́λεται. εἴδωλα γὰρ εἰδώλων τὰ τῶν ἀνθρώπων, τέτυχηκε πράγματα. *Fortuna illudit hominibus, omnia enim humana sunt vmbræ vmbrarum.* PLATO in Critia sub finem p. 564. E. ΘΕΟΣ δὲ ΘΕΩΝ Ζεύς. *Deus vero Deorum Iupiter.* NICEPHORVS BLEMMIDES in epitome Logica p. 30. habet Aristotelis definitionem philosophiæ φιλοσοφία ἐστὶ ΤΕΧΝΗ ΤΕΧΝΩΝ καὶ ΕΠΙΣΤΗΜΗ ΕΠΙΣΤΗΜΩΝ. *Aristoph.* Nub. Act. IV. Sc. II. vs. 10.

Βοάσομ' ἄρα τὰν ὑπέρτονον
Βοάν. ἰῶ κλάετ' ὦ βολοστάται
Αὐτοί τε, καὶ τἀρχεῖα,
καὶ τόκοι τόκων.
Exclamabo ergo altissime
Io io, vae vobis nummulariis

Per-

Pereatis & vos, & vestra tabularia.
Et vsuræ vsurarum.

Ita vertit FRISCHLINVS. SENECAE Agamemn. vs. 39.

Rex ille regum, ductor Agamemnon
Ducum.

VIRGIL. Aeneid. XI. vs. 294.

Et responsa simul quae sit REX *optime* REGVM
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.

PLAVT. trinum. Act. II. scen. 2. v. 28.

Dum viuit VICTOR VICTORVM *cluet.*

Idem *Captiv.* Act. IV. scen. 2. v. 55. *O mihi*
Quantum, est hominum OPTVMORVM OPTVME.

Iac. III. 7.

Πᾶσα φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἐρπετῶν τε καὶ ἐναλίων δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ.

His similia habet SOPHOCLES in Antigone vs. 342

Πολλὰ τὰ δεινὰ, κοὐδὲν ἀν-
θρώπου δεινότερον πέλει
τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν
πόντου χειμερίῳ νότῳ

χωρεῖ

χωρεῖ περιβρυχίοισι
περῶν ὑπ' οἴδμασι
θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν γᾶν
ἄφθιτον ἀκαμάτων
ἀποτρύεται ἱλλομένων
ἀρότρων ἔτους εἰς ἔτος,
ἱππείῳ γένει πολεύων.
κουφονέων τε φῦλον ὀρνίθων
ἀμφιβαλὼν ἄγει,
θηρίων τ' ἀγρίων ἔθνη,
πόντου τ' εἰναλίαν φύσιν
σπείραισι δικτυοκλώστοις
περιφραδὴς ἀνήρ.
κρατεῖ δὲ μηχαναῖς ἀγραύλου
θηρὸς ὀρεσσιβάτα.
λασιαύχενά θ' ἵππον ἑλὼν
ἄγετ' ἀμφιλόφον ζυγόν
οὔρειόν τ' ἀδμῆτα ταῦρον.
καὶ φθέγμα, καὶ ἠνεμόεν
φρόνημα, καὶ ἀστυνόμους ὀργὰς
ἐδιδάξατο καὶ
δυσαύλων πάγων αἴθρια καὶ
δύσομβρα φεύγειν βέλη.

Multa sunt magna, sed homine
Nihil maius est,
Homo trans glaucum

mare

mare hyberno vento
traiicit sonoros
vadens per fluctus.
Et summam deorum terram
Immortalem, indefessam
proscindit circumactis aratris,
singulis annis
equorum genere exercens.
Et leuium genus avium,
Circumdans ducit,
et bestiarum ferarum gentes,
Ducit & marinos pisces
funibus retium
callidus homo.
Capit autem machinis siluestrem
bestiam montanam,
Et hirsutum equum ducit
sub iugum,
& montanum indomitum taurum.
Et eloquentiam, & ventosa
Consilia, & civiles rixas
docuit, & fugere malas
habitationes subdiales & pluuiosas.

Igitur OPPIANVS Lib. I. Cyneg. v. 330. de equis agens exclamat:

Ω πόσση κραδίη, πόσση μερόπεσσι πέλει φρὴν
Ερξαν ὅπως ἐθέλυσιν.

Proh quantum ingenium, quanta hominibus
inest solertia!
Faciunt quomodocumque volunt.

QVINT. SMYRNAEVS L. V. vs. 243.

Καὶ γὰρ τ' ἠλίβατον πέτρην, ἄρρηκτον ἐοῦσαν
Μήτι ὑποτμήγουσιν ἐν οὔρεσι λατόμοι ἄνδρες
Ῥηιδίως, μήτι δὲ μέγαν βαρυηχέα πόντον
Ναῦται ὑπεκπερόωσιν, ὅτ' ἄσπετα κυμαίνηται.
Τέχνῃσι δ' ἀγρόται κρατεροὺς δαμόωσι λέοντας,
Παρδάλιας τε σύας τε, καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν,
Ταῦροι δ' ὀμβρεμόθυμοι ὑπὸ ζεύγλῃς δαμόωνται
Ανθρώπων ἰότητι νόῳ δέ τε πάντα τελεῖται.

Etenim excelſam petram, quae alias frangi nequit,
Ingenio ſuccidunt in montibus lapidum ſectores,
Non magno negotio. Induſtria etiam fluctuoſum mare
Nautæ transmittunt, quum magno aeſtu fluctuat.
Arte venatores validos domant leones
Pardaleſque, & apros, & aliarum beſtiarum genera
Ad haec fortes tauri ſubiiciuntur iugo
Hominum ſollertia. Ratione denique omnia perficiuntur.

Illud δαμάζεται καὶ δεδάμασται indicat ſempiternam continuationem ſollertiæ & potentiæ

tiæ humanæ. Sic de iis quæ quotidie fiunt PLVT. de consolat, ad Apollon p. 111. D. Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα, ἐφ' ὧν ἄν τις εἴποι, οὐκ ἔδει πραχθῆναι, πέπρακται καὶ πράττεται καὶ νῦν, καὶ πραχθήσεται πολλάκις. *Et multa alia, de quibus dicere possis, non ita fieri oportuisse, facta sunt, & fiunt, & fient postea multa.*

Rom. II. 5.

Θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργήν.

Hebraei verbum אצר non tantum de opibus vsurpant, sed & de quavis re alia. Amos III. 10. ולא ידעו עשות נכחה נאם יהוה האצרים חמס ושד בארמנותיהם *Attamen non cognoverunt facere recta, inquit Jehova, qui thesaurizant vim & vastationem in palatiis suis.* Sed inde non sequitur, si in N. T. θησαυρίζειν aliis rebus quam pecuniis vel frugibus tribuatur, Hebraismum esse; quin, idem a Graecis fieri, dubitari non potest. DIOD. Lib. XX. p. 751. de Appio. Ἔδωκε δὲ καὶ τοῖς πολίταις ἐξουσίαν ἐν ὁποίᾳ τις βούλεται φυλῇ τάττεσθαι, καὶ τὴν ἐξουσίαν ὅποι προαιροῖντο τιμήσασθαι. τὸ δ' ὅλον, ὁρῶν ΤΕΘΗΣΑΥΡΙΣΜΕΝΟΝ κατ' αὐτοῦ παρὰ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τὸν ΦΘΟΝΟΝ, ἐξέκλινε τὸ προκόπτειν τισὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν. *Dedit civibus libertatem, ut in qua vellent*

lent tribum possint adscribi, &, quos vellent honores obtinere. Verum videns se nobilium inuidiam suscepisse, desiit reliquos cives offendere. Idem Lib. I. pag. 57. Δῆλον γὰρ εἶναι, διότι πάντες πρὸς εὐεργεσίαν ὁρμήσουσι τούτων μάλιστα, παρ' οἷς ἂν ὁρῶσι ΘΗΣΑΥΡΙΖΟΜΕΝΑΣ τὰς ΧΑΡΙΤΑΣ κάλλιστα. *Manifestum enim est, omnes his maxime benefacere velle, apud quos sibi maximam gratiam colligunt.* PHILO in Flaccum. p. 990. C. Διὰ τίνας ὑπερβολὰς ἀνηκέστων ΚΑΚΩΝ Α καθ' ἐμοῦ ΘΗΣΑΥΡΙΖΟΜΕΝΟΣ χαρίζεται τοῖς δολοφονηθεῖσι. *Propter intolerabilia mala, quæ mihi reservat, tradit me percussoribus.*

Luc. XIII. 9.

Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν.

Omissum est, *recte est*, vel eiusmodi quid, quo ostenditur, sic patri familias satisfactum fore, vid. summi WOLFII Curas philologicas p. 675. Eadem ellipsi vsus est HOMERVS Iliad. v. 135.

Ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοὶ
Ἄρσαντες κατὰ θυμὸν, ὅπως ἀντάξιον ἔσται.
Εἰ δέ κε μὴ δώσουσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

Quod si dabunt mihi donum fortes Achiui
Ex animi mei sententia exornatum, vt me dignum sit,

sub-

subintellige: *recte est, acquiescam.*
Sin minus, ego ipse mihi eripiam.

Operæ pretium videtur adscribere, quæ ad hunc locum commentatus est princeps Grammaticorum EVSTATHIVS p. 50. lin. 8. edit. Basil. Ὅτι σχῆμα ἐλλειπτικόν. χωλεύει γὰρ ἡ σύνταξις, καὶ μένουσα ἐκκρεμὴς, οὐκ ἀπήρτισται. λείπει γὰρ τὸ ΕΦΗΣΥΧΑΣΩ ἢ ΠΑΥΣΟΜΑΙ, ἢ τοιοῦτόν τι. Ἵνα λέγῃ, ὅτι ἐὰν δώσουσι, ἡσυχάσω. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλα τοιαῦτα σχήματα ἐλλείψεως παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ὡς παρὰ τῷ Κωμικῷ. Ἐὰν μὲν ἀποφήνω πάντων αἰτίαν ἐμὲ, εἰ δὲ μὴ, ποιεῖτε ὅπερ ἂν δοκῇ ὑμῖν. Καὶ Μένανδρος ὁ Κωμικός. Εἰ μὲν δή τινα πόρον ἔχεις. εἰ δὲ μὴ νενόηκ᾽ ἐγώ. Καὶ Πλάτων ὁ Κωμικός. Εἰ μέν μοι τὴν θάλασσαν ἀποδώσει ἑκών. εἰ δὲ μὴ ταῦτα συντριαινῶν ἀπολέσω. *Ellipsis heic est, syntaxis enim non constat, sed imperfecta relicta non suppletur. Deest enim, acquiescam, facile patiar, vel eiusmodi quid, vt sit sensus, si dederint mihi præmium acquiescam. Sed veterum more imperfecta est oratio, quia sententia sic satis manifesta, & ex superioribus plana est. Sic apud Aristophanem. Si ostendero, me omnium bonorum vobis auctorem esse; bene est, sin minus facite vt vobis videbitur, & Menander Comicus, si quaestum habes, recte est, sin minus intelligo omnem rem. Plato Comicus. Si imperium maris mihi concedet, cessabo, sin secus fecerit, haec omnia tridente concussa subuertam.*

vertam. Neque Hebraeis haec ellipsis ignota est. 1 *Sam.* XII. 14. אם תיראו את יהוה ועבדתם אתו ושמעתם בקלו ולא תמרו את פי יהוה והיתם גם אתם וגם המלך אשר מלך עליכם אחר יהוה אלהיכם ואם לא. *Si timueritis modo Iehovam, & servieritis ipsi, ac servieritis voci ipsius nec rebellaveritis contra os Iehouae, & eritis tam vos, quam rex, qui regnat super vos, post Iehovam Deum vestrum,* subintelligendum est, *vivetis, bene habet. Quod si non obtemperaveritis.* Hinc si contendere vellem, Hebraeos istum loquendi modum a Græcis acceptum suum fecisse, quia apud hos aliquando frequentius occurrit, nonne omnibus me ludificandum & deridendum exponerem? Quid iis agendum? qui vel litterarum graecarum ignorantia, vel linguæ Hebrææ intempestivo studio stilum N. T. eo quod nonnulla sunt, quæ cum Hebræa dictione V. T. affinitatem habere videntur, pleno ore clamant N. T. dictionem Hebraismis scatere. Si rationes ita instituere liceat, optimi quique Græci scriptores, quos linguam Hebræam plane ignorasse certum est, plurimos Hebraismos adhibuisse deprehendentur. Sic perfacile possem, si id nunc ageretur, vni *Sophocli* centum Hebraismos tribuere, si scilicet ea locutio pro Hebraismo

mo habenda est, quæ vtrique linguæ communis est. Quo iure MARTINVS de ROA in singularibus scripturæ pro Hispanismis habet, quæ non minus ab Hispanis quam Hebræis vsurpantur, eadem ratione phrases quæ apud Græcos & Hebræos communiter reperiuntur falso pro Hebraismis venditantur. Sed alibi, si Deus voluerit, plenius de hac re agendi locus erit.

Act. XII. 18.

Τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο.

Minus vsitata locutio. Videretur ex vulgari scribendi consuetudine, dicendum Τί τῷ Πέτρῳ ἐγένετο. Sed satis Græce. XENOPHON EPHESIVS, cuius tanta in scribendo est suauitas, vt nullius maior esse possit. Lib. III. p. 42. Κἀγὼ μὲν ἐξέφυγον Η δὲ οὐκ οἶδα ΟΤΙ ΕΓΕΝΕΤΟ. *Ego effugi, illa quod factum sit ignoro.* ALCIPHR. lib. I. epist. 21. p. 84. ΤΙ ΕΙΗ Ο ΤΡΕΦΕΣΘΑΙ ὀφείλων, *quid fiet illo? qui ali debet.* AELIAN V. H. Lib. II. 11. μήτι σοι μεταμέλει, ὅτι μέγα, καὶ σεμνὸν οὐδὲν ἐγενόμεθα ἐν τῷ βίῳ; *Numquid te poenitet, quod in vita nihil magnum, neque spectabile facti sumus?* magis Latine dicas, *consecuti sumus.* Ibid. 23. Πολὺ γὰρ ἦν τὸ τοῦ Σωκράτους ὄνομα, διά δὲ τὰ ἄλλα, καὶ ὅτι τοὺς σοφιστὰς ἤλεγχεν, οὐδὲν

ὑγιὲς ὄντας. *Nam magnum erat Socratis nomen, cum propter alia, tum propterea, quod Sophistas arguebat vanitatis, in quibus nihil sani esset.* –

Act. VIII. 18.

Δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου.

ATHANASIVS T. IV. anecdot. viri in omni litteratura summi WOLFII, pag. 54. Ουχ ὡς ἀμφιβάλλων (λέγει) ἀλλ' ὅτι δυσίατα πάθη, οὐκ ἀνίατα μέντοι, ἀλλὰ δυσίατα. εἰ γὰρ ἦν ἀνίατον περισσὸν ἦν τὸ μετανόησον ἀπὸ τῆς κακίας ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ κυρίου. ἀλλ' ὅτι ἡ μετάνοια ἰσχύει διὰ τούτων. *Quae verba non dubie proferuntur, sed ideo, quia affectus difficulter sanabiles, insanabiles quidem non sunt, sed aegre sanantur. Si enim prorsus emendari non potuisset, superfluum fuisset dicere, poenitentiam age de malitia tua, & precare Dominum. Sed, quod poenitentia per preces efficax sit.* Eodem tendit IOANNES scholasticus, qui vulgo CLIMAX appellatur grad. V. pag. 130. πολλὰ τῷ χρόνῳ ἀνίατα, παρὰ δὲ τῷ Θεῷ πάντα δυνατά. *Longo tempore in vsum deducta mala insanabilia sunt, sed a Deo, qui omnia efficere potest, curari possunt.* Humanarum certe virium non est, effrenatis cupiditatibus resistere,

&

& adverſus teterrimum illum draconem, qui noſtro exitio imminet, arma ſumere, & ſumta feliciter gerere. Altiore vi, ex coelo deducta heic opus eſt, humanis conatibus nihil efficitur, quin e contrario omnia in deterius relabuntur. Haec quidem omnia recte, neque heic in quæſtionem veniunt, ſed τὸ εἰ heic explicatu difficile videtur. MEISNERVS Anthropol. Dec. III. diſp. XXX. §. 13. p. 468, ait, *ἆρα heic non dubitare ſed affirmare*, & confert cum Hebr. אולי Exod. XXXII. 30. quod bene ſperantis videtur. Summa diſputationis huc redit, age poenitentiam, & tum remittentur tibi peccata. Neque Petrum dubitaſſe de Dei bonitate, ad quam omnibus de malefactis ſerio dolentibus aditum patere ſciverit, ſed de poenitentia Simonis, cuius animum ad omnes admonitiones obduratum noverit. Hoc certum eſt, εἰ dubitandi ſignificationem heic non admittere. Nam quum eum, qui dubitanter a Deo petit, nec certo perſuaſum habet, ſupremo rerum patri, propter Ieſum Chriſtum, precationem ſuam acceptam eſſe, Iacobus repellit, cap. I. 6. manifeſtum eſt Petrum Simoni non auctorem fuiſſe vt peccaret, alias eum in vanam ſpem conjeciſſet, idque ei faciendum ſuaſiſſet, quod eum non perficere poſſe videret. Imo potius Petrus impoſtori huic fideliter conſilium dedit, vt depo-

depoſita omni malitia, Dei miſericordiam imploraret, ſummaque cum fiducia ab eo veniam perpetratorum ſcelerum exſpectaret. Sic fore vt Spiritus ſancti gratiam obtineret, & numero Chriſtianorum adſcriberetur. Sic εἰ idem hoc loco valet, quod ὅπως. Si apud Hebræos præſidia quærenda ſint, malim εἰ cum אם conferre, quod nonnunquam pro ὅπως ponitur. 2 Sam. XX. 29. חלילה לי אם אבלע ואם אשחית *Abſit a me vt abſorberem aut vt perderem.* Iob. XXVII. 5. חלילה לי אם אצדיק אתכם *abſit a me vt iuſtificem vos.* Sed his non opus eſt, HOMER. Iliad. B. vſ. 98.

Ἐννέα δέ σφέας
Κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, ΕΙ ΠΟΤ ἀϋτῆς
Σχοίατ᾽, ἀκούσειαν δὲ διοτρεφέων βασιλήων.

Novem populum
Praecones detinebant, VT turbas
Cohiberent, & a Ioue datos reges audirent.

Hi certe non dubitarunt, ſe ſilentium turbulentæ concioni impoſituros eſſe, nam ſi verbis admoniti tumultuari non deſiſterent, fuſtibus linguæ procacitatem coercere, & refrenari parati erant, vt paulo poſt ab Vlyſſe factum legitur. Iliad. K. v. 17.


Ἥδε, δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή,
Νέστορ᾽ ἔπι πρῶτον Νηλήϊον ἐλθέμεν ἀνδρῶν
ΕΙ τινα οἱ συν μῆτιν ἀμύμονα τεκτήναιτο.

Haec

Haec vero ei cogitandi optima ſententia viſa eſt,
Neſtora Neleum, hominem prudentiſſimum convenire,
VT cum illo conſilium inveniret.

Vbi EVSTATHIVS p. 699. lin. 41. Ἐν δὲ τῷ εἴ τινα, σύνδεσμος κεῖται ἀντὶ συνδέσμου, εἴληπται γὰρ τὸ εἰ ἀντὶ τοῦ ὅπως ἤ τοιούτου τινὸς αἰτιολογικοῦ συνδέσμου, ἵνα λέγῃ, ὅτι ἐπισκέψατο ἐπὶ τὸν Νέστορα ἐλθεῖν ὡς ἂν σὺν αὐτῷ βουλεύσῃ. *In illo* εἴ τινα *coniunctio pro alia coniunctione poſita eſt, nam* εἰ *SI pro* ὅπως *VT, vel alia ejusmodi cauſali coniunctione ſumitur, vt ſit ſententia, Agamemnonem ſibi propoſuiſſe ad Neſtorem adire, vt cum illo conſilium de ſumma rerum ineat.* Certus erat rex, ſe, adhibito in conſilium Neſtore, rationem indagare poſſe, quomodo calamitatem iſtam, qua tunc premebatur, effugeret, ſiquidem prudentia huius ſenis numquam ſuam exſpectationem fefellerat. Idem ad Iliad. ψ p. 1394 lin. 40. Ὅρα δὲ καὶ τὸν εἰ σύνδεσμον ἀντὶ τοῦ ὅπως ληφθέντα, καὶ γέγονε σύνηθες οὕτω γράφειν καὶ τοῖς μεθ' Ὅμηρον. οἷον, σπεύδω εἴπως ἀνύω τόδε. *Obſerva & hoc loco coniunctionem* εἰ *pro* ὅπως *accipi, quod & aliis ſcriptoribus vſitatum eſt, qui poſt Homerum vixerunt*, v. c. *feſtinabo vt illud conficiam.* CAMARIOTA, ſcriptor licet recentior, tamen proxime ad veterum gravitatem & nitorem accedit, Orat. I. in Ple-

Plethonem pag. 52. Ἡμεῖς δὲ τῆς ἐκείνȣ καθαρεύοντες λύμης, θύωμεν τῷ Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, καὶ τῷ ὑψίςῳ τὰς εὐχὰς ἀποδῶμεν, ΕΙ ΠΩΣ ἐφ' αἷς ἀεὶ πλημμελȣ̃μεν ἵλεως ἡμῖν γένοιτο. *Nos autem eius purgati ſordibus offeramus Deo ſacrificium laudis, & eundem imploremus VT eorum, quæ perpetuo delinquimus gratiam nobis faciat.* Non autem dubitat an Deus pie precantibus veniam delictorum conceſſurus ſit, nam ita pergit, Χρηςὸς γὰρ ἀεὶ, καὶ χρηςὰ βȣλόμενος πᾶσι καὶ μετὰ χρηςότητος ἀνακαλȣ́μενος εἰς μετάνοιαν, καὶ τῷ μαςίζειν ὡς πατὴρ υἱȣ̀ς, τῶν πατρικῶν ὑπεξαγομένȣς ἐπιταγμάτων, εἰς ἐπίγνωσιν αὐτȣ̃ ἀνακτώμενος. *Semper enim benignus eſt, beneque omnibus cupit, & cum bonitate revocat ad frugem, nosque vbi paternis eius præceptis nos ſubtraximus, caſtigans vt liberos Pater, ad ſui agnitionem reducit.* In fabulis; quæ ſub *Aeſopi* nomine circumferuntur, vſurpatur εἰ de re jam facta adeoque extra omnem dubitationem poſita. fab. CXXVIII. edit. Oxon. Τȣ̃ δὲ δεινὸν ποιησαμένȣ, ΕΙ τις τȣ̃το τολμήσειε. *Illa aegre ferente tanta quemquam eſſe audacia.* Fabula agit de aquila irata, quod ſcarabeus ova ſua e nido in terram deiecta fregiſſet.



IV.



IV.

Selecta Epistolica Fechtiana (*) e museo b. GOTTFRIEDI KOHLREIFFII.

I.

Morali Philosophiae nosti, optime SCHROEDERE, à recentissimis scriptoribus duplex accessisse momentum, qvorum alterum in eiusdem consistit augmento, alterum in principiorum, qvibus nititur moralis virtutum bonitas & obligatio ad eas-

(*) Excerpsimus illa ex epistolis, quas ad M. *GVSTAV. SCHROEDTERVM* dedit magnus ille Theologus *IOH. FECHTIVS*, omissis tum iis, quae ad res spectant domesticas, tum aliis, quibus carere orbis eruditus commode potest. De *SCHROEDTERO* nostro, legationis Danicae in aulis regiis, Madritensi & Parisiensi, primum concionatore, postea adsessore tribunalis ecclesiastici in Holsatia grauissimo, & Pastore ecclesiae Tychopolitanae fidelissimo legantur, quae annotauit vir admodum reuer. *I. H. a SEELEN*, praeceptor quondam noster meritissimus, nunc fautor & amicus omni honore prosequendus, in *Iubilaeo Schabbel. Lubecensi* pag. 56. *S.*

easdem, indagine. In priore facem praecipue VINC. PLACCIVS, in posteriori SAM. PVFENDORFIVS praeluxere. Quanquam verò non exiguas inde enatas esse contentiones noverimus, id tamen negandum non est, eximiam prorsus & inæstimabilem morali Philosophiae ex iis lucem accessisse, qvam in anterioribus eiusdem doctoribus, qvi generali ferè tritaqve virtutum & descriptione & distributione, qvam *Aristoteles* tradidit, contenti erant, frustra qværas. Eaqve se in Theologiam, præcipuè moralem & qvæ conscientiam vulgò informare dicitur, ita diffundit, ut ea vix nos ad eiusdem accuratiorem tractationem carere posse, omnes sint citra dubium judicaturi. Habes eius rei specimen in doctissimis SCHOMERI nostri, qvas circa argumenta nonnulla moralia edidit, disputationibus, qvæ & famem legentis extingvere & excitare plura sciendi desiderium possint. Qvare Pufendorfiana scripta & quæ ad horum imitationem composita sunt, commendare non vereor, ut tamen, qvæ in iisdem monuerunt Theologi, subinde conferantur, oculusque perpetuo ad Christianam Philosophiam, id est, Ethicam, qvæ cum rationis principiis sacratissimam Christianorum doctrinam & sacrarum literarum oracula conjungat, dirigatur. Quantacunqve enim inter isthaec duo permittatur

esse

esse differentia, hoc tamen homini Christiano certum esse debet, nunqvam animum vere probum, nisi ad indubitata ista principia perveniatur, acquiescere vel posse vel debere. Rostochii d. 1. Mai. 1691.

Clariss. Nom. T.

addictiss. cultor

IO. FECHT, D.

Nobilissimo atque Clarissimo viro
Dn. *G. SCHROEDTERO*, SS. Theol.
Studioso. Amico meo optimo

Wittebergam.

II.

Cum epistolarum mearum apographa non retineam, denuo ignoro, qvid de indubitatis principiis, de qvibus aliquis Tibi obortus est scrupulus, ego in prioribus meis scripserim. Coniicio itaque me scripsisse, potuisse utique gentiles ad majorem in morali Philosophia perfectionem, qvam qvo Aristotelica cumprimis Philosophia deducta est, ex indubitatis principiis pervenire. Qvod verum esse omnino credo. Suppono autem I. Ethicam Aristotelicam, qvemadmodum & Philosophiam eius in universum, ea præcipue ex ratione cæterorum Philosophorum scriptis a majoribus nostris præ-

praelatam esse & a plerisque adhuc hodie, me judice, merito praeferri, qvia primus fuit, qvi disciplinas justo, iisdemque per naturam conveniente, ordine tractavit, cum ante ipsum vaga quadam de singulis disserendi ratione uterentur. Negari tamen II. neqvit, Aristotelicam Philosophiam duplici cumprimis in moralibus defectu laborare; primo quod scientiam tantum virtutum generet, παραινέσεις omittat. Cum practici Philosophi, qua ille a Theoretico differt, proprium officium sit, non docere tantum virtutes, sed implantare. Qua in parte & Pythagoræi & Stoici Aristotele incomparabiliter fuere meliores. Legatur *Seneca*, ut ille de virtutibus disputat? ut ad easdem adhortatur & invitos etiam bene agere cogit? Quem defectum, etiam in Christianorum Ethicis comparentem, & hodie supplere nonnulli, qvos inter GVILIELMVS MECHOVIVS Tibi ignotus non est, conati fuerunt. Deinde quod *Aristoteles* in Ethicis suis plurimarum virtutum, earumque præcipuarum, nominatim qvod Tute agnoscis, pietatis prorsus oblivíscatur; cum e contra vetutissimi Pythagoraei, deinde Socratici, Stoici, Platonici, de tanta virtute haut aliter ac Christiani philosophentur? Lege, optime Schrödere, meo obseqvens monito, *Hieroclis Pythagoraei* in aurea Pythagorae carmina commentario-

tariolum, ipſa brevitate ſua amabilem. Proh Deum immortalem, qvantum ibi deprehendes Chriſtianiſmi noſtri! Quam ille ardet pro pietate plantanda & promovenda! Auſim aſſerere plus inde Te ſanctitatis, qvam ex multis Chriſtianorum ſcriptis hauſturum eſſe. Hi ſi beneficio luminis naturalis eo penetrare potuerunt, cur non potuerit *Ariſtotelis*, cuius rarus eſt de Deo ſermo, ut aliqvis dixit antiqvorum. III. Cur vero ad huius aliarumqve virtutum cognitionem veteres illi philoſophi non potuerint ex indubitatis, rationis ipſis congenitae, principiis pervenire? Cum ipſe *Ariſtoteles* το γνωϛον τȣ Θεȣ φανερον ἐν τοις ἐθνεσι τῃ φυσει fuiſſe aſſeveret. Si autem principia της γνωσεως non fuerunt evidentia & indubitata, qvomodo γνωσις inde deduci φανερα potuit? Credo ego, Pythagoraeos Philoſophiam ſuam ex natura, cum revelatione fuerint deſtituti, hauſiſſe, donec luculentis argumentis mihi probetur contrarium. IV. Non ideo, qvod ex Scriptura ſeu revelatione perfectior & certior mihi obtingit rerum moralium ſcientia, ea, quæ ex ratione eſt, imperfecta & incerta cenſeri debet. Nam & ea ſcientia, qvam ex revelatione habemus, ſi eandem ad futurae vitae notitiam comparemus, imperfectior eſt, non tamen ideo perfectionem ſui generis amittit. Divina certitudo,

quæ ex revelatione oritur, certitudinem humanam & apodicticam, quæ ex rationis usu descendit, non tollit, sed aliqvo tantum gradu perficit. Qua itaqve rerum moralium scientia scripturae auctoritate nititur, eaqve addit, qvae nonnisi fidei sunt, Theologia moralis est, qva intra rationis metas versatur, philosophia morum. Deum vnice colendum, amandum, ei confidendum, ex immotis principiis ratio demonstrat; & hoc hactenus ad Ethicam seu philosophiam pertinet: eundem Deum, qua est trinus in personis, unice esse colendum, eidemque ob Christum, nos ei reconciliantem, confidendum esse, scriptura demonstrat: & hoc hactenus ad Theologiam pertinet. Nec inde ideo nascitur aliqvid mixtum, qvia ubi principia cognitionis manent diversa, diversas & ipsas disciplinas manere necesse est.

Controversiam de *Sabbatho* qvod concernit, edidi ao. MDCLXXXI. ex voluntate celeberrimi sanctissimique Theologi D. SEB. SCHMIDII disputationem, qvæ ante qvadriennium a me aucta & schediasmatibus meis, qvæ publice prostant, inserta est. Qvæstio est: an sabbathum nostrum, qua est intra septem dierum spatium conclusum, otiumqve sabbathicum, sit mere adiaphorum, an qvocunque modo morale?

Hoc

Hoc asseruerat paulo ante peculiari de hoc argumento libro D. I. A. OSIANDER, qva qvidem in re communem defendit Theologorum nostrorum sententiam. Ego libertatem Sabbathi hebdomadalis, ad eum modum, qvo D. DORSCHEVS in *Theologia Morali*, Anno MDLXXXII. a D. MEIERO in Academia vestra loco disputationum publicarum producta, fecit, defendi. Longum esset, huius rei historiam texere; qvod tamen libentissime faciam, si primo legisse Te disputationem meam adeoqve qvalemcunqve de hoc argumento acqvisivisse notitiam, comperero. Nunc vale & honores Philosophicos, de qvibus tibi ex toto animo gratulor, viam Tibi ad honestissimos qvosvis ausus paraturos, feliciter suscipe. Rostochii d. 7. Octobr. 1691.

III.

De Sabbatho, fervente Augustanos inter ministros dissidio, prolixe scripsit D. IO. AD. OSIANDER & IO. CONR. ZELLERVS, latino ille, hic vernaculo sermone. Sed nondum tum palam fuerat, qvinam esset controversiæ status? Quare non desunt in tractatibus istis, quæ & pars adversa pro se allegare queat. Post dissertationem vero meam quidquam vel pro sententia mea, qvam defendo, vel contra ean-

dem, prodiiſſe in lucem, plane ignoro. D. RVDRAVFIVS enim, qvi Germanico pariter ſcripto pro Sabbathi moralitate adverſus collegas ſuos, D. *Mislerum*, nunc beatum, & D. *Hannekenium*, zelo, qvi non erat ſecundum ſcientiam, certavit, diſputationem meam, ut vel ex prima ſtatim lectione apparet, nunquam vidit. Idem quoque dicendum de duabus diſputationibus eſt, qvarum vna de hoc argumento, Præſide D. QVENSTEDTIO, altera pro gradu, Gryphiswaldiæ Præſide D. HENNINGIO habita eſt, cuius utriusque reſpondens ne qvidem ſcivit, aliquid hac de re hodie inter Theologos controverſiæ eſſe. Qvid D. SPENERO noſtro regeſſerit D. MEIERVS, vehementer ſcire aveo. Nec enim adhuc videre licuit ſcriptum. Roſtoch. d. 10 Aug. 1692.

IV.

Schedam Dni WINCKLERI de *Sabbatho*, cuius in vltimis Tuis mentionem facis, nunquam vidi, nuper vero ab eo partem accepi *Meditationum Germanicarum*, ad quædam ſcripturæ loca; in qvibus ſecundum caput huic argumento impendit, tractans multo labore locum Hebr. IV. de Sabbathiſmo. Non diffiteor, ut eſt peritus ſcripturæ interpres, ita longe jucundiſſime & in-

incredibili cum verisimilitudine sententiam suam de moralitate Sabbathi hebdomadalis & proponit & prosequitur. Sed I. Opinio isthaec plane contraria est Augustanae Confessioni. Quod me qvidem judice rectius fecisset, si ingenue fuisset fassus, qvam vt qualemcunque conciliationem quæreret pag. 103. Cum quot fere verba aliqvot Confessionis paginæ complectuntur, tot argumentis & sententiis moralitati isti contradicant. II. Nova plane est & in Ecclesia sive antiqva sive recentiori inaudita. Quod qvidem in interpretatione alicuius loci Biblici ferri posset, nisi eidem, ita noviter explicato, res maximi prorsus momenti, quaeque ignorata haud parum periculi saluti adfert, superstrueretur. Nam III. prorsus credo, hoc solum esse Dno WINCKLERO moralitatis illius fundamentum, neque aliud ullum in tota reliqua scriptura reperiri. Quemadmodum revera cætera omnia ruinosa esse, puto me passim dilucide demonstrasse. Incredibile est, ipsummet Apostolum longo ordine probasse, diem solis Sabbatho V. T. eadem immutabilitate, imo eodem omnino rigore celebrandum, ex mandato divino succedere. Et tamen neminem veterum, qvi Apostolis vel statim vel post aliquot secula successerunt, vel rem ipsam vel rei argumenta vidisse. Quis enim priscorum haec

ita exponit? V. Quis illius loci ſenſum vnquam, niſi præeunte WINCKLERO, vidiſſet? Imo qvis lecta Dn. WINCKLERI interpretatione oculosque iterum in nudum textum convertens, eandem ſententiam ex ſe hauriet unquam? Quomodo vero res tanti ponderis & ad praxin Chriſtianiſmi tam neceſſaria potuit a Spiritu, nos in omnem veritatem ducente, tam obſcuris verborum ambagibus involvi? Mihi eqvidem adhuc perdifficile eſt, eidem aſſentiri, cum præcipue innumera adhuc alia, ſive in ipſo textu ſive in ipſius ſententiæ conſideratione animum cohibeant, qvae omnia removenda prius eſſent, niſi perpetuis velimus cum dubitationibus luctari. Jam qvod & ipſe iis, qvi libertatem, non qvidem ſabbathi in ſe, ſed qva illud hebdomadali circulo incluſum eſt, propugnant, imputat, ac ſi & illi ſabbathi profanationi anſam præbeant, aperiantque portam pag. 35. id ego toties in exercitatione mea dilui, iisque argumentis, qvæ ne concuti mihi poſſe nedum labefactari videntur. Propoſueram mihi ea de re cum optimo WINCKLERO conferre, ſed nec mihi tantum eſt otii, nec illi inter tot negotia, imo turbas vacat, vel mea legere, vel ad mea, ſi quid dicerem, reſpondere.

Accepi nuper epiſtolam a plusquam octogenario ſene & Theologo D. SEBAST. SCHMI-

SCHMIDIO, ſed *iis*, qvi *Pietiſtae* dicuntur, minus propitiam. Parum eorum Argentoratum deferri ait, ſed optat, ut plane nihil. Monetque me, ne manum rixis iſtis immiſceam, ſed ſtudia tractem meliora. Nempe qvicquid exoſæ novitatis hic illeve ſpargit in publicum, id Pietiſtis ſine diſcrimine omnibus attribuitur. Quare eos, qvi amici mihi ſunt, jam ab aliqvot annis moneo rogoqve, ne opinatiunculis illis aut nomen ſuum præbeant aut defenſionem, ſed Chriſtiana Theologoqve digna ſeveritate diſſenſum ſuum ab earum auctoribus publicè teſtentur. —— Roſtochii d. XX. Aug. 1693.

V.

GRüNENBERGIO D. HABICHHORSTIVS qvæſtionem Doctoralem hanc enodandam dederat: an notabilis aliqva Judæorum converſio ſit qværenda? Et an illa in Oſea fundamentum habeat? Reſpondit in ſolenni oratione, ſe qvidem antehac affirmantem defendiſſe, nunc re rectius conſiderata adhærere neganti ſententiæ, locumque Oſeanum de ea Iſraëlitarum parte agere, quæ adducta ſit in Aſſyriam, cumque longo tempore fuerit ſine rege & cultu Divino, tempore Chriſti ad Deum ſuum, Chriſtiana facta, redierit. Roſtoch. d. 16. Iul, 1698.

VI.

Bone Deus, quam felix futurus es, ſi rariores in Hiſpania in omni eruditionis genere libros, qvorum ne videndi nobis unqvam copia eſt, Tibi comparatos ad nos adduxeris? Nec enim credibile eſt, in tot tantisque regnis non reſidere præclara ingenia, qvæ ſubinde aliquid proferant in lucem, qvod ætatem ferat & aliorum mereatur applauſum. De cætero de MVTHESII *in N.T. notis* ne fando quidem unquam qvicquam audivi, nedum hoc hominis uſpiam a quoquam vidi allegatum. Præterea plus habet chartæ, qvam libro compingendo conveniret.

In abſolutione privata, qvod ad perſonas principes ſpectabat, memor regulæ vulgaris: Evangelium non abolet politias, prima allocutione communi titulo uſus ſum: Sereniſſime Princeps, non addendo: clementiſſime Domine. Id enim ſimul operam dedi, ut perſonam me Dei in tam ſacro negotio ſuſtinere appareret. Quare habito brevi de vera & ſincera poenitentia ſermone, applicationem quoqve ſine ulla tituli repetitione feci, hunc ſimilemve in modum: Wann nun aus der abgelegten Beicht und Bekäntniß ich wahrgenommen, daß dieſes auch Ihre Sünden . . . als verkündige ich Deroſelben &c. Video hic loci etiam

etiam erga vulgares Professorum personas multam exerceri pompam, laudes qvoque nonnunquam admisceri, sed id mihi qvidem à tali loco planè videtur alienum. Nobiles aulicos cæteros omnes non alio titulo sum allocutus qvam vulgari: Andächtige Gott ergebene Seele, aut simili. Primarium tamen Ministrum, Baronem: Hochwohlgebohrner Freyherr. Refero Tibi, optime Schrœdere, qvid ego fecerim. Interea si morem potius seqvi, qvi hic ubiqve usitatus est, velis, non ullo Tibi consilio opus est. Quod enim facis in qvotidiana ad tales personas allocutione, id & in confessione fuerit faciendum.

Madriti scio ea Te cum Pontificiis prudentia versaturum esse, quæ a Te & odium & periculum omne amoveat. Audio enim tam delicatos esse, ut ne quidem exercitii causa contra ipsorum religionem disputari patienter audire possint. Nec etiam solus ad qvemcunqve locum accedes, nisi stipatus amicorum comitatu. Si vero occasio est, aliquid literarum huc mittendi, tum veteris amici ne obliviscere, sed me de statu cum Tuo tum rei literariæ & qvæ ad Ecclesiam pertinent diligenter informa. Scr. Rostochii d. 23 Octob. 1698.

VII.

VII.

Regis qvidem Poloniæ mandato prohibitum eſt, ne contentiones illæ contra D. SPENERVM & D. THOMASIVM continuentur. Subinde tamen aliqvid adhuc in ipſa Saxonia in hoc argumento editur in lucem. Wittebergæ de auctoritate librorum ſymbolicorum terſiſſimam eqvidem diſputationem WERNSDORFIVS, Fac. Philoſ. Adj. Præſide D. NEVMANNO exhibuit, THOMASIO vnice oppoſitam. Qvidam SCHROERVS, Præpoſitus & Superintendens Cloedenſis edidit Ehrenrettung der Symboliſchen Glaubens-Bücher contra D. SPENERVM & LVTHERVM Redivivum. In qvo fuſe conſiderantur omnes illæ qvæſtiones, qvas & privatiſſimo noſtro qvaſi in compendio exhibui. Vltimo SPENERI ſcripto contra D. SCHELGVIGIVM D. SCHELGVIGIVS ſtatim reſpondit, ſatis moderate & ut ego puto, plane ſolide. Edidit & recentiſſime Dn. BVCHERVS Hauptgründe des Fanaticiſmi. Nimis ſubtiliter videtur incedere, ſuaque longe petere. Wittebergæ inauguralem de *Iuſtificatione* propoſuit Diſputationem D. NEVMANNVS, in qva nonnulla nec noſtri omnino probare velle videntur. Nimium emungendo ſanguinem elicere dicitur. Scripſit contra illum D. ANTONIVS, Halenſis, ſup-

ſuppreſſo tamen nomine ſuo. In hac Academia M. SCHROEDERVS Anclamenſis, diſputationem propoſuit, de iis, in qvibus Diſputatio THOMASII de *Hæreſi* in Philoſophiam peccare videatur. Salſe pro merito profeſſum librorum noſtrorum Symbolicorum hoſtem perſtringit. Quia juſſus erat, aculeata nonnulla verba delere, nec fecerat SCHROEDERVS, Philoſophi noſtri Panico terrore corrrepti, ne a THOMASIO male haberentur, a nullo aut rogati aut juſſi ad THOMASIVM ſcripſerunt, invitis ipſis a SCHROEDERO hoc factum teſtati. THOMASIVS igitur in publici cujusdam ſcripti præfatione publicas egit Philoſophis noſtris gratias & in me impotentisſime invehitur, a quo inſtigatum SCHROEDERVM autumat. Me quidem non nominat, ſed ita deſcribit: man wiſſe wohl, aus was vor einer Fechtſchul dieſe Pfeile geflogen. Idem multis me convitiis infamat. Inprimis cum & KRACKEWIZIVS, cum pro gradu Baccalaureatus Præſide D. QVISTORPIO diſputaſſet, duriter tractaſſe D. SPENERVM & THOMASIVM videretur. Quod & mihi omne adſcribit, cum ne verbum quidem ullum de iſtis diſputationibus vnquam permutaverim. Reſpondebit ei pro merito SCHROEDERVS, vir in ſcribendo adeo argutus, ut nemo Satyras Thomaſianas ipſo pulcrius imitari posſit. Quod unicum mordet

mordet THOMASIVM. Scripſit & paucas ante hebdomadas D. GRVNENBERGIVS noſter Diſputationem, Thomaſio oppoſitam, cui titulus eſt: *DEI miniſter impius.* In qva ſententiam Thomaſianam in hac materia planam ad atheiſmum viam ſternere luculentiſſime probavit. Hanc qvomodo excepturus ſit ſanctisſimus Sycophanta, dies docebit. Longe enim aliter de GRVNENBERGIO perſuaſus fuerat, qvem in præfatione ſupra nominata haud obſcure dixerat, jam multum de auctoritate mea (qvam nullam unqvam mihi arrogavi) detraxiſſe. Sed vero canis ille, univerſum mundum invadens, ſperni facile poteſt. Alteri quoque cani illi rabioſo, qvem non ignoras & in meam famam graſſari coepiſſe, M. GVMMIO, Holſato, capiſtrum iniecerunt Theologi Havnienſes, hominis monſtrum tetro carceri includentes, in qvo jam per aliqvot menſes jacet, donec reſipiat & promittat, ſe non amplius bonos viros allatrare velle. Quod facere hactenus conſtanter recuſavit, crucem ſuam, ob hæretificationem univerſalem ipſi impoſitam, patienter potius toleraturus. Editum eſt his nundinis *Theologiæ Syſtema*, D. W. LYSERI, XI. Alphatis conſtans, a D. NEVMANNO, eum præcipue in finem, ut conſtare posſit, pleraſque qvæ hodie circumferantur, novitates jam

jam olim ab hoc viro damnatos esse. D. BECHMANNI *Theologia Polemica* lucem vidit, anteqvam a nobis abires.

Accepi variarum disputationum fasciculum Argentorato, in qvibus video, Theologos adhuc hodie magna libertate Pontificia dogmata impugnare. Ego nunc publice, quousque me vita manet & corporis vires, controversias recentiores summa brevitate sine omni elencho nominali propono. Privatim Pastorale officium in omnibus partibus delineo & pastorem informo, magna auditorum frequentia. Disputatorium quoque & Examinatorium habeo collegium. His omnibus absolutis circa Michaelis festum ab omni me onere liberabo & tota hyeme Collegium meum Thetico-Antitheticum, olim habitum, in compendium Theologiæ transformabo, detracturus, additurus, mutaturus, ubi necessum fuerit. Nisi tamen consveti corporis mei hostes vitam mihi ademerint. Scr. Rostoch. d. VI. Iul. 1699.



V. MAR-

V.

MARTINI RVARI
ET
IOHANNIS KIRCHMANNI
EPISTOLAE.

Ex musaeo

OLAI HENRICI MOLLERI,

Hist. litter. in Vniv. Reg. Hafniensi Professoris & Scholæ Flensburgensis Rectoris.

I.

IOANNI KIRCHMANNO
V. Cl. S. P. D.

Sicut illi, qui modulatam hominum vocem, aut auium cantum, aut tibiarum flatum, aut fidium pulsum auribus cum voluptate quadam acceperunt, phantasma retinent & memoria quoque soni diu oblectantur; ita mihi, postquam a vobis discessi, nulla dies hactenus effluxit, qua non recorder & quasi ruminem sermones tuos, quos & publice & priuatim nobis serere solebas, tum insignis eruditionis notis, tum humanita-

nitatis ſparſos ſale. In qua cogitatione cum mirifica dulcedine perfundor, quod ea mihi felicitas obuenerit, vt & inter auditores tuos eſſe potuerim & inter amicos: tum vero non paulo illud acerbius accidit, quod altero nunc frui tantum liceat, altero carere neceſſe ſit, cum vtrique pariter asſueuerim. Λύπη δὲ ἐχ ὧν ἄν τις μὴ πειρασάμενος ἀγαθῶν ϛερίσκηται, ἀλλ' οὗ ἂν εθὰς γενόμενος ἀφαιρεθέιη: atque tum demum homines noſtra intelligimus bona, cum quæ in poteſtate noſtra habuimus, ea amiſimus. Beatum fuiſſe *Ariſtotelem* iudico, quod ipſos viginti annos in *Platonis* Lyceo contriuerit, vnde etiam non immerito titulum retulit, vt ἀληθείας φιλόσοφος καὶ νȣ̃ς ab illo vocaretur: mihi bimeſtre ſpatium, quid bimeſtre dico? biduum vix indultum fuit, ſiquidem non longius viſum eſt biennium, quod apud vos exegi. Nunc e coelo decidi, poſtquam in rus abſtractus ſum, de quo non ſatis mihi conuenit cum iis, qui ſeceſſum hunc inprimis commendant. Ego vero, ſi quis ita ſe abdat, vt ab hominum ſocietate veluti Timon quidam μισάνθρωπος exulet, quod in agro fit (neque enim ruſticos ſatis philoſophice homines appellare poſſum), eum non tam fortunatum, quod illi faciunt, cenſeo, quam miſerum potius, aſſentiorque *Ariſto-*

K *teli,*

teli, qui τὸν ἄπολιν διὰ φύσιν, ! 'καὶ ȣ̓ διὰ τυχὴν ἤτοι φαυλὸν ἢ ἀνθρώπȣ κρέιττονα existimat. Placet ille secessus, qui fit a multis ad sapientes, quorum in urbe exiguus est numerus, heic longe minor, pene dicam nullus. Hospite quidem meo familiarissime utor, & est ille cum in iuris studio, tum in ciuili scientia non indoctus, imo multum in ambobus, in hac autem maxime diuque versatus. Sed, quod tu non ignoras, quemadmodum ab uno fonte fluit & diuersis riuulis augetur magnum flumen; ita ab uno incipiendum quidem & pendendum est, ut ideam eruditionis recte concipiamus, nihilo minus tamen plures quoque adhibendum, ut eo locupletius sit bonum, si variis quasi numeris conflatum summam eorum complectatur. Intelligis proculdubio, quantopere ad vos vicissim adspirem, quod quando futurum sit, θεȣ̃ ἐν γȣ́νασι κεῖται: ego certe adhuc cum ignarissimis scio. In quo enim maxime olim acquiescebam, fore, ut post annum ad vos reverterer, in eo numquid spem ita tuto collocare possim, quam Bvssii mihi persuadebant, nescio: neque tamen fidem optimorum iuvenum, mihique suo merito dilectissimorum, in dubium vocare audeo: sed eo dico, quod nihil hactenus istius promissi appareat, neque videntur ipsi mentionem rei, quam

ego

ego potiſſimum ſpecto, apud WEDEMEIERVM meum inieciſſe, ſed conſulto in reditum ſuum reſervaſſe. Quod cum haud obſcuris veſtigiis odoratus ſim, neque ipſe palam καὶ ἄνευ προφάσεως poſcere auſus fui, ne verbis meis inopinato perculſus neget, quod fortaſſis BVSSIORVM interceſſioni aut admonitioni, quæ inter amicos quandam imperii vim obtinet, poſtea largiatur. Sed cum nuper tale quid dicere viſus eſſem, me tamen non nominato, paulo alieniorem ab hac mente, quam putaveram, inveni: præ ſe enim ferebat, quaſi non conſtituiſſet filium vicenario minorem in Academias ablegare, qui nunc eſt primum duodecim circiter annos natus. Si in ea ſententia perſtiterit, de qua tamen melius ſpero, ſatis infeliciter hanc profectionem tentaui, videsque ipſe, quam parum e re mea ſit abiiſſe ex conditione mediocri & certa, qualem Roſtochii poſſidebam, ad ſplendidam hanc & incertam, immo nullam; & non abſimilis videor cani Aeſopico, qui cum offæ in aqua inhiaret, alteram omittebat ex ore. Hoc profecto illud eſt, quod dicunt, lupum auribus tenere. Nunc autem valde te rogo, mi KIRCHMANNE, ut, ſi occaſio aliqua offeratur melius & certius ſpem meam conſtituendi, mihi eam reſervare velis, ne, ſi ab hac excidam, illam quoque amittam, coniungam potius,

etiamsi hæc firmissima sit: non enim metuo, ne nimis profuse, etiam ad necessaria, sumtum suppeditet hospes hic meus, si eius forte liberalitate usurus sum, ut est ad rem suam attentus.

Habebam Wismariæ in itinere sermonem cum IOACHIMO MORSIO, cum quo multa mihi necessitudinis officia Hamburgi primum intercesserunt, postea etiam literis confirmata sunt: delectabar enim ingenio adolescentis & discendi studio, quod in illo præcipue flagrat. Is a me petebat, neque dissuadebat reverendus & doctissimus Theologus, EILHARDVS LVBINVS vester, apud quem nunc ille, ut credo, vivit, ut exacto anno hoc in consuetudinem meam iterum atque etiam disciplinam recipi posset, & offerebat minerval sane non poenitendum. Hunc mihi summa contentione retineri discipulum vellem, neque quoquo modo abalienari, quod per LVBINVM commode caveri posset, cuius exorandi onus libens tibi imponerem. Clam tamen hæc omnia etiam popularibus meis haberi fortasse melius sit, ne, si quid sequius acciderit, inter invidos lætitiam excitem, inter amicos dolorem, simul quia etiam per hos ad parentes meos emanare posset, qui cum omnia mihi nunc ex voto succedere putent, libenter eos in hac persuasione errare patior.

Atque

Atque hæc hactenus: nunc illud te honestissimæ matronæ ELISAE STEINBRINKIAE, matris BVSSIORVM, nomine rogatum volo, vt si centum illos Ioachimicos, qui tibi hinc debentur, in Kalendario scribere velis, patiaris eos apud se foenebres esse per hunc annum. Cum enim nunc multa simul in iter filiorum erogare cogatur, proinde argentum οἴχεται: quod si tamen omnino tibi relegere certum est, ipsa quacunque ut ratione expediat videbit, qua de re certiores a te fieri velimus.

Si quid novi de RITTERSHVSIO & SITZMANNO, libenter sciam: huic enim istinc abiens scripseram.

Principis nostri iunioris adventus ex Anglia propediem expectatur. Pater Princeps adhuc Pragæ est; qua spe, coniectari facile potest: quo eventu non liquet. Rumor heic percrebuit, eum una cum Landgrauio Hassiæ electum esse, qui Saxonem & Brandenburgensem, reliquosque Principes de Iuliaco controversantes inter se componat.

BVSSII nostri Lugduno Batavorum iam abierunt, & fortassis in Anglia sunt cum hæc scribo, quod nuperis ipsorum literis ita compertum habemus.

Carmen in obitum HANNIELIS, quod in coram tibi reddere oblitus fui, nunc transmitto καλόπιν τῆς ἑορτῆς: sed, quoni-

am tu ita vis, fiat, cui ego me & omnia mea probare volo, utinam possim.

Vale, amice magne. a. d. XI Kal. Aug. cIↃ IↃCX. *Eldagiæ* in ædibus præstantissimi viri *Conradi Wedemeieri*.

M. RVARVS.

II.

S. P.

Quod rarius scribo, RVARE ornatissime, facit inopia eorum hominum, quibus litterae tuto committi queant. Has ut ad te darem, summopere a me contendit humanissimus iuvenis IOACHIMVS VARENHOLTVS, Hamburgensis, qui cum perspectam & exploratam habeat eruditionem ac modestiam tuam, Achatem te suum desiderat ac moderatorem studiorum, ad quæ continuanda primo vere Altorphium cogitat. Quod si tuam ipsi operam locare voles, & honeste a præstantissimo WEDEMEIERO discedere poteris, fac ut proximo mercatu verno cum suppellectile libraria Lipsiam te conferas, & ibi VARENHOLTVM, qui cum nostris mercatoribus eo proficisci in animo habet, opperiaris. Sumptus in iter factos tibi bona fide refundet & omnia, quæ ad victum necessaria erunt, abunde suppeditabit. Nollem sane hanc provinciam tibi offerre, nisi ad nos, nescio quibus autoribus, allatum esset, te in unum tantum

tantum annum operam tuam Dn. WEDMEIERO addixiſſe: quod ſi ita eſt, recta poteris Hildeſia Lipſiam proficiſci; ſin minus, non is ero, qui tibi ſuadere velim, vt ſtationem illam, in qua iam es, temere deſeras, & alteram illam amplectare: tu videderis, quid ex re tua futurum ſit. Velim autem, ut quid tibi ſuper hac re animi ſit, primo quoque tempore ad nos perſcribas: auide enim reſponſum flagitat VARENHOLTVS, qui ad XIV. diem April. Deo volente Lipſiæ erit, ubi illum apud noſtros vel Hamburgenſes mercatores facile inuenies. D. CLINGIVS ante ſeptem ſeptimanas diem ſuum obiit, cuius mors D. THEODORO BVSSIO procul dubio valde luctuoſa accidet, ubi de ea certior factus fuerit. Vale, mi RVARE, & reſponſum non diu differ. Dabam Roſtochii XXVI. Jan. anni 1611. quem tibi felicem precor.

T. A. JOH. KIRCHMANNVS.

III.

S. P.

Quod literis tuis ſerius reſpondeo, Cl. Domine, non per ſocordiam meam ſtetit, ſed aurigæ, qui quas a. d. VII. Kal. Febr. acceperat, pridie Kal. Mart. primum reddidit, quæ cauſa etiam fuit, ut tabellarium hunc, quem vides, unice conduxerim, ne videlicet eadem noſtras fortuna, quæ ve-

ſtras retardauit, litteras affligat: neutrum grauius, ut ſpero, feretis. Ad rem. Per mihi gratum accidit, quod ſcribis de conditione ab elegantiſſimo iuuene oblata, neque dubito quin commoda rationibus meis futura ſit, cum per te innoteſcat, quem ſcio ſtudiis meis ex animo bene velle, neque, ſi quid ſequius opinareris, verbum in hanc rem facturum, immo ſummopere potius disſuaſurum. Sed quia tamen non id agitur, quod in faba pueri quærunt & proſperitatis meæ cardo pæne ibi vertitur, nemo profecto æquior vitio mihi dabit, ſi paulo attentius rem omnem prius putavero, expenſis iis, quæ nutantem animi mei, ut ita dicam, lancem, in diuerſas ſæpe partes dubio examine inclinant. Video itaque iuuenem in lauto quidem patrimonio, ſed ætatis lubrico flexu, tum ſtatura eminenti: quæ omnia iſtuc apta ſunt, ut liberiorem vivendi conſuetudinem velint, nec iis continentiæ legibus adſtringi patiantur, quas mihi (præfiscine dixerim) imperavi, præſertim ſi foris accedant magiſtri improbi, quorum incentiuis quam pauci ſatis firmas mentes opponunt, qui vacillantes animos in deteriorem plerumque partem applicant & a ſanctis optimorum præceptorum monitis in quævis potius divortia abducunt & propellunt. Neque eo dico, quod de Joachimo noſtro non ſatis recte ſentiam, eum enim deprehendi hactenus indole ad mode-

modestiam nata & a Musis egregie factum: sed, quia rebus suis nemo nimium cavet, deterrima quæqve mihi propono, ut meliora in lucro habeam, & periculosum alias videretur, si quietem studiorum, quà nunc exoptatissima fruor, temere solicitem. Illud etiam susque deque putandum mihi non videtur, qvod parentibus fato suo functis destitutus, quorum auctoritas forte iuvenantis ingenii fluctus compescere potuisset, sub curatorum multitudine vivat, qvorum, etiam si cetera recte procedant, cum tot sint sensus, quot capita; quis singulis operam se suam ita probare postulet, ut omnium applausum sine pastoritia fistula nanciscatur? Præterea salarii nulla est a te iniecta mentio, sine quo angustiis meis explicandis vix par esse videar. Denique unus restat nodus, cui nisi cuneus aliquis inueniatur, hæret valde tota res. Non dimittet bona me cum gratia hospes, sane, si verum fateri volo, optime meritus, nisi successorem prius nominavero. cuius in his locis ex improviso rara omnino sit copia, præsertim qualem ipse describit, non de trivio diobolarem pædagogum, sed qui virtutibus sit instructissimus, quas in alios obsiturum se profiteatur, nominatim vero innocentis vitæ exemplo & peritia Græcæ latinæque lingvæ utilem pueris operam navare possit. Scripsi de eadem hac re ad VOGELERVM, amicum meum non e multis ex vestris civibus, cui familia-

rius apertos existimo, ut inter æquales fere solet, quinam notas nostras habeant, quibus ipso quis raro insignitior erit. Sed tui tamen iudicii & auctoritatis præcipuæ partes requiruntur, ut pondus habeat negotium & quam citissime expediatur. Nam omnino maturato opus est, optandumque foret, ut aut vestrarum iter litterarum adeo lentum non fuisset, aut protolleretur nostrum; quod qua ratione fieri possit, non video. Sed si detur aliqua, eam utique exosculer, ut omnia rectius interim constituantur, præsertim quod loci mei de quo dixi insessorem attinet, absque illo enim si discesserim, ingens certe damnum discipulorum meorum evitari non poterit, qui plus uno mense dediscent, quam vix anni spatio magna fide denuo inculcetur. Sed omnia sedulitati tuæ reliqua facimus, neque enim, qui ceteras res meas toties tua sponte promovisti, precibus meis impræsentiarum deeris: & ipsa quoque mercimonii nostri probitas emtorem spero facile inuitabit. Veniet enim quisquis erit, cuiatis erit, in messem, cuius alii sementem fecerunt, quam sine rivali non possideret, nisi tam diu inde iam abfuissem, unde ipse nunc primum movet: hospitem habebit, in quo cum eruditione certet humanitas: discipulos morigeros & literaturæ amantissimos, sed & mediocriter scientes: bibliothecam omni librorum genere instructam: stipendium,

dium, si invigilaverit, præter qvam vulgo solet honestissimum, &, qvod caput est, otium studiorum, nisi quatenus ipse sibi turbaverit, profundum. In hæc fidem illi dare meam possem: sed si fortassis Epicharmeum illud nimium alte imbiberit, potius erit, ut in rem præsentem veniat nostris sumtibus quam expedite. Postea, si locus hic arriserit, de suppellectile transferenda per amicos facile curabitur. Satis iam longos sero, clarissime domine KIRCHMANNE, quos in fasciculum ut colligam, illud a te summopere peto aut, si licet, contendo: primum, ut contra eum, qui me torquet, metum instruas præceptis salubribus VARENHOLTIUM nostrum: deinde, ut de honorario aliquo mihi caveatur: tandem, ut egregius & me ipso quoque melior successor vices meas suscipiat. Quæ tria si impetro, tum me quidem Lipsiæ stato condicto tempore, nisi vadimonium differri poterit, futurum spondeo. Sin in aliquo claudicabitur, ne tum quidem emanendum videtur, nec temporis aut locorum ratio permittit, ut de singulis per mutuas disceptationes conveniatur. Illud tamen submoneo, eam sperare me domini WEDEMEIERI erga me affectionem, ut aliquando tam facilis huc regressus patere possit fortassean, quanto cum dolore inuicem nunc discedimus. Ceterum tibi, amicissime domine KIRCHMANNE, pro hac, quam nunc imposui, & aliis innumeris operis,

ris, quas mea causa sumsisti, tam obstrictum me esse fateor, qvam exploratum habeo, Deum, cum ego conturbavero, de sorte simul & fœnore in assem aliqvando satisfacturum. Quin ecce, ne qvid summæ desit, commendatitias etiam literas istuc a te adscribi vellem, quarum interuentu non ad Altorfinos modo, sed & Lipsienses & quacunque transiverimus (neque enim eos nunc, ut olim in transitu salutare vetamur) accessum faciliorem struamus: aut si de tot literis nimium est, viaticam certe salutem non negabis, qua prius te nunc impertior & longum valere jubeo. Eldagiæ in ædibus præstantissimi WEDEMEIERI, a. d. VI. Non. Mart. A. 1611. (Ms. aliud 1610.) T. T.

MART. RVARVS.

P. S. Cum hoc tabellario pacti sumus in grossis Marianis in millaria, id est vestratis monetæ octo solidis Lubecensibus in tria milliaria. Repræsentavimus autem hic quasi legativi nomine tres nostrates, quorum unusqvisque valet XVIII. solidis Lubecensibus: reliqvum Joachimus ibi, si volet, adnumerato, quod non credo tantundem fore. Jussi enim, ut recta Danneburgum iret, atque deinde Gustroviam & ad vos, quod iter, nisi tabularum fides male ambulat, ultra XXXV. circiter milliaria nostratia non porrigitur. Vale & clarissimum Theologum LVBINVM, nisi grave sit, meo nomine quamplurimum saluta.



VI.

VITA
ALBERTI MENONIS VERPOORTEN

SS. Theol. D. Athenaei Gedanensis Rectoris & ad S. Triados Pastoris Sereniss. Ducis Salfeld-Coburg. a Consil. Eccl. (*)

Quum caetera multa lectoribus suis gratissima fecerunt Conditores *Bibliothecae Lubecensis*, quam, vt possumus, imitamur, tum hoc quoque, quod virorum vitas eruditione ac meritis insignium, qui orbis quondam arctoi oras illustrauerant, aliis com-

(*) Vitam hanc damus e biographia, quae hoc titulo prodiit: *Inspector & Professores ciuibus Athenaei Gedanensis s. p. d. eosque ad exequias* A. M. V. - - *Viri meritis, honoribus & senio venerabilis a. d. 22. Jun. A. cIↄ Iↄcc LII. frequentandas amanter inuitant.* Gedani typis Th. J. Schreiberi 4. pl. fol. Cuius auctorem scripti accepimus CEL. GOTTL. WERNSDORFFIVM esse, Gymnas. Ged. P. P. beati VERPOORTENI generum dignissimum. Nec omisit VERPOORTENII memoriam is, qui vitarum colligendarum hominum eruditorum nostro tempore in Europa viuentium auctor exstitit Vir summe venerab. GABRIEL GVILIELMVS GOETTENIVS *im itztlebenden Gelehrten Europa* P. II. p. 333 sq.

O.

commentationibus ſuis quandoque miſcerent, eorumque memoriam hac etiam ratione poſteritati commendarent. Qua & ipſa nos in re quod tam laudabile exemplum conamur ſequi, id, vt ſperamus, minime poterit iis diſplicere, qui intelligunt, quanti in hiſtoria literaria momenti ſit, noſſe vitas hominum eruditorum. Is vero, de quo nunc ad idonei auctoris fidem commentabimur, certe digniſſimus eſt, cuius rerum notitia paullo plenior ad omnes redundet, quorum non ab omni doctrinae cultu animus abhorret.

Natus fuit ALBERTVS MENO VERPOORTEN ad. XII. Oct. A.P.C.N. MDCLXXII. Gothae, vbi gens vna Ducum Saxoniae, quod notiſſimum eſt, ſedem ſuam fixit. Pater eius, WILHELMVS VERPOORTEN, Lubecenſis, S. Theol. D. quum filius iſte naſceretur, praeco primarius fuit verbi diuini in aula ERNESTI PII, Saxoniae tum Ducis Gothani, poſt ad Superintendentis dignitatem Generalis in Ducatu Coburgenſi euectus, cuius e Belgio ductum genus GROTIOS PAVWIOSque ſanguinis propinquitate attigit. Mater vero LVCIA ELEONORA HANNEKENII, Praeſulis quondam Lubecenſium celeberrimi, filia, proauum habuit GERHARDVM D' HANNEKEN, illum, qui emendatis a LV-

LVTHERO ſacris moram nullam fecit, quin e patria, Campania Galliae, vna cum gente ſua emigraret inque tractu Oldenburgenſi conſideret, vbi primus fuit ſacrorum praeco LVTHERI partibus, hoc eſt, veritatis, addictus.

His aliisque maioribus effulgens ALBERTVS MENO, educatus primum in Schola Coburgenſi, in qua peregregiis ingenii dotibus & liberalitate animi adeo eluxit, vt publico praeceptores teſtimonio declararent, neminem vnquam vidiſſe eum aequalem, quem non ſcientia & ardore ſtudiorum ſuperaſſet. Multum hunc praeclara indoles, multum etiam illud, quod mirere forſan, adiuuit, quod pater eius tam mature deceſſerat, quem annum agens tertium & decimum amiſit, parum liberis, praeter gentis ſplendorem & memoriam meritorum, relinquentem. Etenim poſt eius demum mortem ſe agnoviſſe faſſus eſt, in vnius DEI tutela ac patrocinio ſibi acquieſcendum fore, laboreque & virtute paranda in poſterum, quae fortuna ſibi negaret. In hac mente, quam & orbitas ipſi ſua & anguſtia rei familiaris inſpirabat, mater filium omni ſtudio firmavit, *virilis animi & conſilii femina.* Ita enim ipſe in vitae ſuae commentario, quem manu ſua exaratum reliquit,

quit, eam appellauit. Quae quidem ea ſolertia ac ſapientia mores filiorum & ſtudia direxit, vt plura nec a patre exſpectari potuiſſent. Itaque hunc, vt olim philoſophum ſuum (*) Graecia, ſic noſtra aetas Theologum, vidit μητροδίδακτον.

Traditus ab hac poſt patris exceſſum illuſtri, quod Coburgi floret, Caſimiriano, breui quum praeceptoribus caeteris, tum IO. SCHVBARTO, profecit vsque adeo, vt praecocis ingenii iuuenis nondum annos natus ſedecim in academiam euolaret Gieſſenſem, vbi diſciplinae ſe dabat HERTII, BALTHASARIS MENZERI, BALTH. nep. SCHLOSSERI, HANNEKENII auunculi ſui, RVDRAVFFII, viri ſupra quam vulgo credebatur docti, de quo dicere eſt ſolitus, famam quam alii haberent, hunc mereri. Quinque ibidem annos quum exegiſſet bisque auunculo praeſide in cathedra pulcre ſtetiſſet, primum *adverſus MARESIVM*, iterum ſuo Marte *de elapſu regenitorum e ſtatu gratiae* diſſertans, peragrata vtraque Saxonia viſebat Ienam Lipſiamque aca-

(*) ARISTIPPVM iuniorem priſci illius ex ARETE filia nepotem. Vid. DIOG. LAERTIVS in vita ARISTIPPI. h. e. Lib. II. c. VIII. n. 7. ex edit. PAVLLI. DAN. LONGOLII, CuriaeRegnit. 1739. 8 mai.

academias ac ſalutatis Hamburgi cognatis, Lubecae tandem NIC. HANNEKENII, alterius auunculi, liberis praeerat. Profectus Wittebergam annos natus tres & viginti, ſocius idem fuit & moderator ſtudiorum, quum HANNEKENIORVM NIC. filiorum, tum PHILIPPI THEODORI fratris, qui ante ipſum eſt mortuus. Domum vero receptus ac conuictu vſus eſt HANNEKENII eiusdem, quem Gieſſae praeceptorem habuerat, quique Wittebergam paullo ante venerat, a factione eorum, quos *Pietiſtas* vocant, vna cum gente MENZERORVM NITZSCHIORVMque ex Haſſia deturbatus. Velut tum primum adiret academiam, ita diligenter munia quaeuis obiit diſcentis, ſcholas frequentans non modo auunculi, CASP. LOESCHERI, DEVTSCHMANNI, NEVMANNI, Theologorum, ſed eorum quoque, qui humaniores docebant literas, DASSOVII in primis & SCHVRTZFLEISCHII. Quorum altero duce in Rabbinicis & antiquitate Hebraica, altero in hiſtoria graeciſque & romanis antiquitatibus & literatura qualibet elegantiori tantum profecit, quantum ex eo, quod vterque vir in ſuo ſtudiorum genere ſummus, ipſe ingenio &

& industria valentissimus esset, vel coniectura assequi licet. Hic in amicitiam influxit GOTTL. WERNSDORFFII patris, VAL. ERN. LOESCHERI, KLAVSINGII, IO. GOTTL. CARPZOVII, magnorum virorum, sed quorum praeter postremum superstes est nullus. Hic vero vir longe lateque celeberrimus, rerum apud nos sacrarum Superintendens hodie meritissimus & exoptatissimus, vt diutissime laetus intersit coetui diuiniori Lubecensi, immo praesit, quis non ex animo nobiscum precatur?

Iis autem, quae diximus, studiis addebat VERPOORTENIVS Wittebergae disputandi publice duplex, priuatim multo crebrius exercitium, auunculo eodem, quem saepe nominauimus, certamina moderante. Addebat praeterea diligentiam domesticam, qua graeca potissimum historiamque sacram tractauit patresque, quos vocant, Christiani coetus, eo, quo quisque vixit, ordine non percurrit, sed perlegit. Satis his aliisque laboribus ad eam consuetudinem adductus, quae propria est hominis eruditi inque scientiis probe subacti, vicenario maior quadriennio, quum honores petiisset, qui summi in academiis tribuuntur a philosophis, a

V. Cl.

V. CL. WICHMANNSHAVSIO creatus eſt philoſophiae magiſter. Quibus honoribus facultatem docendi alios vt adderet, C. S. SCHVRTZFLEISCHIO praeſide diſputavit *de vrbe Nino* primum. Tum ipſe praeſes iterum *de vrbe Nino* diſſertauit ac bis praeterea *de MARTINO BVCERO*. Inter haec ſcholas non modo aperuit, ſed habuit quoque frequentes.

Maluit tamen ſuaſore auunculo patriae ſe vſibus offerre, quam Wittebergae vitam ſequi academicam. Neque vero prius muneri fuit publico admotus, quam is, in quo tantum ille ad hanc rem ſpei, nec leuibus de cauſis, poſuerat, ALBERTVS, princeps Coburgenſis, viuis eſſet ereptus; vt videatur exemplo eius docere voluiſſe prouidum Numen, a ſe muneri quemque ſuo praefici, non ab hominibus. Eo mortuo A. P. C. N. MDCLXXXXVIIII. Paſtor gregis ſacri Sonnebergenſis in tractu Coburgenſi, ſimulque Adiunctus Ephoralis, quae eſt ibi paullo etiam ſuperior dignitas, conſtituebatur. Sonneberga A. MDCCVIII. Neoſtadium tranſiit, ad Superintendentis ibi munus ſuſcipiendum. Inde A. MDCCXXIIII. Coburgum euocatus, Gymnaſii Caſimiriani regimen, vna cum poteſtate Theologiam Logicamque &

naturae ius docendi, paſſus' eſt ad ſe deferri. Ibi IOHANNES ERNESTVS princeps, ERNESTI PII filius, eum in primis dilexit ſaepiusque in ſocietatem adſciuit conuictus, itinerum, oblectationum, conſiliorum, cultus denique diuini, nec laudari in funere ab alio, quam ab eo ipſo, voluit. Itaque factum eſt. Huius iuſſu principis & reliquorum, quibus ſeruiebat, illius etiam, quem diximus, accedente munificentia, ad petendos, ex legibus Caſimiriani, ſummos Theologiae honores, acceptis quum ab eodem illo principe, tum a FRIDERICO II. Duce Gothanorum, literis commendatitiis, Wittebergam eſt profectus, vbi ita ſe virum praeſtitit, ita diſputauit publice *de fermento Herodis*, vt Praeſes WERNSDORFFIVS finito conflictu feratur dixiſſe, nunquam eruditionis copia VERPOORTENIO parem repugnatum in arenam ſe moderatore prodiiſſe, nec vllus in mora eſſet Theologorum eius academiae, quin mox illi priuilegia ſui doctoris conferrentur. Ad felicitates caeteras, quibus Coburgi fruebatur, hoc etiam acceſſit, quod, quum IOHANNES ERNESTVS, princeps erga eum indulgentiſſimus, A. MDCCXXVIIII. multum eo dolente diem obiiſſet ſupremum, filius eiusdem & ſucceſſor FRAN-

CIS-

CISCVS IOSIAS eodem erat, quo Pater, erga VERPOORTENIVM animo affectus, a quo ipſe non minus multa benignitatis & amoris documenta retulit.

Tandem quum ſuaſore, vt creditum eſt, V. E. LOESCHERO eſſet ab ampliſſimis reipublicae Gedanenſis ordinibus ad implenda Profeſſoris in Athenaeo ſuo eiusdemque Rectoris & ad S. Triados Paſtoris munia euocatus, audientibus Sereniſſimo Principe eiusque vniuerſa domo & comitatu vtriusque ſexus, patrio ſermone vale Coburgenſibus dicto iter aggreſſus eſt Dantiſcum ſalutatisque in itinere Gothae veteri amico E. D. CYPRIANO, Erfurti ac Wittebergae cognatis, peruenit, quo intenderat, A. MDCCXXXII prope ſexagenarius. Eodem, quo alibi, fauore hic exceptus eandem oſtendit eruditionem, fidem, dexteritatem, induſtriam, vigilantiam; valetudine autem benigniore vti ſibi viſus eſt ipſeque beatior ad mare balticum, quam in patria, eſſe. Quare nec Goettingam demigrare voluit, vbi ampliſſimae ſpes fortunae affulgebat, nec ſereniſſimi Principis, de quo diximus, IOHANNIS IOSIAE optatis reſpondere, qui eum annos natum duos & ſeptuaginta lautiſſimis recuperare conditionibus fruſtra quum

quaesiuisset, consiliarium tamen dixit per diploma. Neque vero minus Gedanenses illum honorare, amare, beneficiis mactare. Filio namque WILHELMO PAVLLO ingenii paterni felici aemulo, in academias proficiscenti praesidia studiorum liberaliter repraesentarunt, posteaque anno ante, quam ipse mortuus est, paroeciam pagi Stublauensis in agro Dantiscano contulerunt.

Mortuus est apoplexiae miseriis, quibus anno ante obitum nono primum correptus fuerat, quaeque tertio ante eundem obitum anno muneribus eum valedicere coëgerant. His se iunxerunt tandem marasmus senilis, colica, febris, quibus ingrauescentibus placide exspirauit a. d. III. Iun. A. MDCCLII. Vixit annos LXXVIIII. menses fere VIII. grandaeuitate maiores suos, quin & cognatos omnes, supergressus.

Matrimonio iunctus fuit suadente matre ALBERTINAE ELISABETHAE, IO. BVRC. ROESLERI, ICti, Principum Coburgensium Cancellarii & Consiliarii intimi filiae, Coburgi A. MDCCI. a. d. XXVI. Jan. quam viduam reliquit exactis cum illa annis vno & quinquaginta, mensibus quatuor,

tuor, quamquam ſolemnitatem ſaecularem impediuit mariti ſenis augeſcens quotidie imbecillitas, ſusceptis autem ex eadem vxore liberis nouem, quorum priores ſeptem in ipſa exſtincti pueritia, at ſuperſtites ſunt filius ille, de quo modo dictum eſt, & nata, vxor GOTTL. WERNSDORFFII, GOTTL. fil. Gymnaſ. Gedanenſ. P. P. V. Cl. quo auctore qualiacunque haec ſcripſimus, ex qua VERPOORTENIVS nepotes vidit quatuor.

Calluit vir eruditisſimus non eruditas modo linguas, ſed eas quoque, quae politiores hodie ſunt totius Europae. Graecae, quam tota vita amauit, veneres norat omnes ad Criticen vsque. Noui foedetis corpus multosque veterum poetarum verſus memoriter tenuit. Delectatus eſt plurimum ſtili latini elegantia verſusque condidit, etiam ſenex, ſi quando opus fuit, quum latinos, tum germanicos. Hebraicis Rabbinicisque literis tribuerat multum & temporis & diligentiae. In philoſophia autem & Theologia hiſtoriaque quum ſacra tum profana quam verſatus fuerit vir tantum memoria pollens, quantum iudicio & rerum vſu ſubactus, lectorum eſt noſſe, non noſtrum exponere. Hanc vero eruditionem tam vaſtam atque

variam non modo ſine taedio cum audientibus communicabat, vt qui eſſet in primis diſſertus ac facundus, ſed ardebat quaſi, quae magna eſt in doctore felicitas, diſcendi cupidis impertire, vt ne ſummis quidem moleſtiis poſſet a docendi negotio auocari.

Idem ſine fuco fuit, ſine ſimulatione, ſine dolo; amicus integer & conſtans; prudens in conſulendo ac taciturnus; inter familiares vrbanus, cum grauitate facetus, moroſitatis expers; mitisſimus natura ſua, tum ratione quoque, ac facile placabilis; a vindicta arrogantiaque alieniſſimus; cupidus ſemper laudandi alios, ſe ipſum nunquam; in ſentiendo iudicandoque cautus & continens; amicitiarum collocutionumque, quantam ſtudia ſeueriora negotiaque paterentur, in ſenectute in primis, appetentisſimus; erga auditores aliosque ſibi commiſſos animatus, vt pater.

Domi ſuae viſus eſt ſine ſordibus frugalis, contemtor lucri, liberalis, non prodigus, ſorte ſua contentus, ſereniori ſemper animo, non querulus, non temporis acti laudator, non ſaeculi bilioſus cenſor. Bibliothecam habuit forma ac numero medio-

diocrem, vtilitate eximiam, in qua quidem libros ita ordinatos habebat cognitosque, vt numerum cuiuslibet locumque & ordinem posset memoriter recensere.

Sed ad producenda, quae vir meritissimus reliquit, scripta properandum est, quorum coronidis loco addemus indicem.

SCRIPTA ALBERTI MENONIS VERPOORTEN.

DISSERTATIONES.

Giessae prodiit

Dissert. de lapsu regenitorum.

Wittebergae

Dissert. prima de vrbe Nino.
—— altera eiusdem argumenti.
De MARTINO BVCERO.
—— altera eiusdem argumenti.

Gedani

De Apostolica Theologiae definitione.
De nomine Theologiae.
De scriptura.
De fide ministri ecclesiae duris temporibus probata.

De δοξολογία orationi dominicae subiuncta.
De bello Domini in Amalec.
De iustitia fidei ad Habac. II, 3.
De scripturae S. auctoritate.
Theses de quarto decalogi praecepto.
De altera tertiaque epistola Joannea.
Hypomnemata de Theologia naturali ad reuelatam comparata.

Copulatae prodierunt eiusdem argumenti Dissertt. his titulis:

Analecta ad libros Symbolicos.
PositionesTheologicae ex posterioribus A.C. articulis *cum Praef. filii* de veritatibus fundamentalibus.

PROGRAMMATA

Quae Coburgi scripta sunt, praecipua comprehendit

Fasciculus dissertationum ad Theologiam, maxime exegeticam & philologiam sacram pertinentium, *quem ERN. RVD. FISCHERVS edidit.* Coburgi 1738. 8.

Gedanensia *aliquot Primitiis Gedanensibus inserta sunt. Duo, quae adiecit, separatim lucem adspexerunt, nempe:*

De

De significatu τῦ δικαίωμα.
De Inspectorum apud veteres dignitate.

PRAEFATIONES.

De eclogis maiorum librorum *ad librum* *THOMAE SCHMIDTI* Merckwürdige Geschichte, so sich mit dem N. T. begeben, Altenb. 1720. 8.
De origine & progressu Christianae religionis in Franconia, *ad librum IO. CHR. THOMAE* Histor. Beschreibung des heilsamen Reformations-Werckes des Coburgischen Fürstenthums. Cob. 1722. 8.
De homiliis *ad C. L. HOHEISELII* quatuor selectas orationes sacras. Gedan. 1733. 4to.
De celebrioribus hymnorum sacrorum auctoribus *ad poemata sacra WILH. LVD. NITZSCHII* Geistl. Seiten-Spiel auf die Sonn-und Festtags Evangelia. Gedan. 1734. 8.

CONCIONES SACRAE.

Concio funebris in J. A. EYRINGVM. Coburgi 1724.
Alia duae *leguntur in Collectione Prussica concionum sacrarum.*

ALIAE

ALIAE LVCVBRATIONES.

Sacra ſuperioris aeui analecta. Coburgi 1708. 8.

Commentatio hiſtorica de MARTINO BVCERO eiusque de coena Domini ſententia, Coburgi 1709. 4

Oratio parentalis in funere Ill. CHRISTII, *ab huius filio I. F. CHRISTIO Lipſ. Prof. Lipſiae cum caeteris epicediis edita.*

D. GOTTFRIDI LVDWIGII hiſtoria Gymnaſii Caſimiriani, Pars altera. Coburgi 1729. 8. *ἀνωνύμως & Germanice.*


Primitiae Gedanenſes. Gedani 1736. 4.

Commentatio de G. L. SEIDENBECHERI, vita & inſtitutis cum hypomnemate de origine opinionis Chiliaſticae. Ged. 1739. 4.

Annotationes in N. T. *ſingulis verſibus Bibliorum Vinarienſium, quae auſpiciis FRIDERICI II Ducis Gothanorum ſunt recuſa, eiusdem iuſſu Ducis inſperſae.*



NOVA BIBLIOTHECA LVBECENSIS.



VOLVMEN III.

LVBECAE
SVMTV IONAE SCHMIDII
A. MDCCLIII.

CONTINENTVR

Vol. III.





I.

D. Io. Gottlob Carpzovii (*)

Brevis disquisitio:

Num ſerpens æneus, a Moſe in deſerto erectus, ex diſciplina Ægyptiorum hieroglyphica, ſit arceſſendus?

Io. Geo. Wachtero opposita.

§. I.

VIR apprime doctus, & admirabili mentis acumine pollens, qvi ſuperiori anno, *Naturæ & ſcripturæ Concordiam*, erudito commentario illuſtravit, (*a*) multa, nec poenitenda, ex ultima & recondita eruit antiquitate, nonnulla vero pro ſagacitate ingenii ſupponit, qvæ ſub examen & cenſuram vocari, in ſiniſtram non interpretabitur partem. In his eſt, qvod de Moſe (*b*) tradit, eum, dum juſſu divino ſerpentem æneum, de pertica ſuſpenſum, ſauciis & ex preſterum morſu decumbentibus Iſraelitis, ne mortem oppeterent,

(*) Siehe F.W. Krafftio in der Theol. Bibl. Theil. 84. pag. 346.

(*a*) Lipſiæ, A. 1752. in 4. v. Kraffts Theol. Bibl. Theil. 75. p. 411.
(*b*) Pag. marg. 116 ſq.

terent, signum salutare ob oculos posuit, *Ægyptiorum more, symbolo fuisse usum*, eoque conficere nititur exemplo, ipsum *artem per symbola docendi novis inventis auxisse & sanctificasse.* Præclarum autem istud religionis Israeliticæ documentum, nec ex Mosis ingenio, nec ex magistrorum, qvibus in Ægypto usus fuerat, præceptis, sed ex diserto sanctissimi Numinis instituto, ortum traxisse arbitramur, eoqve nomine ad hieroglyphica Ægyptiaca minime esse referendum.

§. II.

Ut carceres definiamus, intra qvos nostra decurrat oratio, non historiam serpentis ænei texemus, qvam post interpretes ad Num. XXI, 9. JOH. BUXTORFFIUS fil. (*a*) ex Hebræorum mente, & SAM. BOCHARTUS (*b*) ex omni lingvarum orientis penu, copiose exposuerunt; ut eos taceamus, qvi disqvisitionibus Academicis illam discutere aggressi sunt: nec typicam cum Christo, de cruce suspenso, collationem instituemus, qva novissime LAMPIUS qvi ad BOCHARTI ductum, typum & antitypum solicite mutuo contendit, & com-

(*a*) Exercit. VI. p. 457.

(*b*) Hieroz. lib. III. c. 13. p. 421.

commentatores alii ad Ioh. III, 14. 15. qvin & ii, qvi data opera in typos, eorumqve rationes inqvisiverunt (*c*), scite sunt defuncti; sed vestigiis viri docti insistentes, in id cumprimis inqviremus: *num serpens æneus ad hieroglyphicam Ægyptiorum disciplinam pertineat? & num hoc indicio valide evincatur, magnam scriptorum Mosis partem hieroglyphicam esse, qvam in Ægypto inclutus ille hauserat legislator?*

§. III.

Facile largimur, quod urget, suæque præstruit sententiæ, omni Ægyptiorum doctrina probe imbutum, subactumque fuisse Mosen, qvod Stephanus divino comprobat testimonio Act. VII. 22. Nec dubium, qvin qvem filia Pharaonis, sive

 Merris

(*c*) *Petr. Dan. Huetius* Demonstr. Evangel. Propos. IX. cap. 170. §. XI. *Io. Henr. Ursinus* in Passionali, Symbolo VII, p. 296. *Marckius* scriptur. Exercit. VIII. *Fr. Turretinus*, Diss. de serpente æneo, quæ in decade ultima est, *Io. Sigism. Kirchmaier*, Disqv. Academ. Marburgi, A. 1715. *Biermannus* in Mose & Christo Lib. V. cap. VII. p. 777. edit. Belg. *Wilh. Momma* Oeconom. tempor. Lib. II. cap. XIII. §. 5. p. 244. &, qvi primo loco nominari merebatur, Vir doctrinæ excellentia, meritorum gloria, munerum & senii gravitate Venerabilis, *Sal. Deylingius* P. II sacrar. Observ. XV. p. 156.

Merris illa (*a*), ſive Termuthis (*b*) vocaretur, ſibi aſſeruerat, & in ſpem regni educabat, ſumma cura bonis literis imbui curaret. Quæ autem iſta fuerit Ægyptiorum ſapientia, tot veterum fabulis involutum, tot auctorum commentis obrutum eſt, ut ex iſto Democriti puteo veritatem protrahere vix liceat. Quæ enim Coelius RHODIGINVS (*c*) fide antiqvorum ſcriptorum de illa tradit, quæ MARSHAMVS (*d*) in medium profert, ita vacillant, parumque ſibi conſtant, nihil ſolidi ut inde elicias. PLVTARCHVS certe, qvi alias in ornanda & pingenda Ægyptiorum Theologia, multum operæ locavit, tamen fatetur: (*e*): *πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἐπιεικῶς ἱςᾶσι, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχέσης. ante templa Sphinges plerumque collocant: qvo innuunt, ſuam rerum ſacrarum doctrinam conſtare perplexa, & ſub involucris latente ſapientia.* Demus AVRELIO MACROBIO, *matrem artium* fuiſſe Aegyptum; & Apuleio, ut *ſicut* olim *Iudæi ſuperſtitioſi, Nabathæi mercatores, frugum pauperes Scythæ, odorum divites Arabes, ita Ægyptii eruditi* appel-

(*a*) Iuxta *Artapanum*, apud *Euſeb.* lib. IV. de præparat. Evang. cap. XVIII. XXIII. XXVII.
(*b*) Apud *Ioſephum* lib. II. Antiqv. cap. IX. §. 5.
(*c*) Lib. XVI. lect. antiqv. cap. 3. p. 836. F. G.
(*d*) Canon. Chron. Sec. IX. p. 142 ſq. edit. Lipſ.
(*e*) lib. de *Iſide* & *Oſiride*.

appellarentur; demus porro, vetuſtiſſimos ſapientes, Thaletem, Pythagoram, Platonem, alios, Ægyptum adiiſſe, ut ex illo velut ſcientiarum mercatu, copias ſuas locupletarent, nondum tamen vel verum inde intelliges, vel quæ artes ac diſciplinæ, præ ceteris, Ægyptum ea tempeſtate colluſtrarint, cognoſces. Tanto nimirum temporum hiatu, ab ætate Moſis ſcriptores iſti disjuncti ſunt, tantum etiam vel amori gentis ſuæ, vel ingenio ſuo dederunt, ut, quæ explorata ſatis eſſent, nec a majoribus acceperint, nec ad poſteros propagarint. Ut fraudes taceam primorum a nato ſervatore ſeculorum, in ſupponendis ſpuriis & hypobolimæis veterum nomine ſcriptis, alii ut bene multi, at incauti, in errorem iis inducerentur. Et ut ad Moſis revertamur inſtitutionem, exemplum cape a Philone, qvi Ægyptiis non contentus, exteros præterea magiſtros, formando Moſi accitos, tradit (*f*): *διδάσκαλοι δ' εὐθὺς ἀλλαχόθεν ἄλλοι παρῆσαν. οἱ μὲν ἀπό τῶν πλησιοχώρων καὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον νόμων αὐτοκέλευστοι. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς ἑλλάδος ἐπὶ μεγάλαις δωρεαῖς μεταπεμφθέντες. Confeſtim aliunde acceſſerunt præceptores, qvidam ultro venientes e præfecturis Ægypti proximis, alii magnis præmiis invitati e Græcia.* Paulo

 poſt

(*f*) lib. I. de vita Moſis p. 470.

post ita pergit: ἀριθμοὺς μὲν οὖν, καὶ γεωμετρίαν, τήν τε ῥυθμικὴν καὶ ἁρμονικὴν, καὶ μετρικὴν θεωρίαν, καὶ μουσικὴν τὴν σύμπασαν, διά τε χρήσεως ὀργάνων, καὶ λόγων τῶν ἐν ταῖς τέχναις, καὶ διεξόδοις τοπικωτέραις, Αἰγυπτίων οἱ λόγιοι παρέδωσαν. καὶ προσέτι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς γράμμασιν, ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς τῶν ζώων ἀποδοχῆς, ἃ καὶ θεῶν τιμαῖς γεραίρουσι. τὴν δὲ ἄλλην ἐγκύκλιον παιδείαν ἕλληνες ἐδίδασκον, οἱ δ' ἐκ τῶν πλησιοχώρων, τά τε Ασσύρια γράμματα, καὶ τὴν τῶν οὐρανίων χαλδαϊκὴν ἐπιστήμην. κ. τ. λ. *Itaque numeros & Geometriam, universamque Musicam, rhythmicam, harmonicam, metricam, sive contemplativam, sive per instrumenta vocesque promentem se variis modis, accepit ab Ægyptiis doctoribus: & insuper occultam Philosophiam, descriptam literis hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerarentur etiam pro numinibus. Reliquas liberales artes Græci docebant: ex propinquis autem regionibus evocati Assyrii suas literas, Chaldæi sideralem scientiam* &c. Eadem ex Philone hausit ac repetiit CLEMENS ALEXANDRINUS (g). Attamen liqvido falsitatem produnt, cum ea tempestate Græcia literis adeo exculta nondum fuerit, ut idoneos exteris dare posset magistros. Ad fabulas qvoqve spe-

(g) Lib. I. Stromat. p. 343. edit. Sylburgii.

ſpectat, qvod recentiores nonnulli, Moſen Chemiæ apprime peritum inde colligunt, qvod Exod. XXXII, 20. vitulum aureum arte Chemica in tenuisſimam ſcobem, quæ aqvis innataret, & ab Iſraelitis potando hauriri poſſet, redegiſſe memoratur. EDMVNDVS DICKINSON (h) hoc ita demonſtrare operoſe nititur, qvod, qvando idolum igne combusſiſſe, & in tenuisſimam contriviſſe ſcobem legitur, id aliter fieri non potuiſſe contendat, qvam ut igne Chemico in valde ſubtilem atque ſolubilem calcem conflaret aurum, adeo ut in aqua disſolvi, & ad bibendum propinari potuerit. Ut autem calx auri ſolubilis reddatur, arcano qvodam pulvere, vel liqvore injecto opus eſſe, qvi artem viri ſapientisſimi, reſerandæqve naturæ peritisſimi reqvirat, qvæ ſi in Moſe fuerit, Alchemiæ perqvam fuiſſe peritum eum, evictum erit. Qvæ eadem, qva aſſeruntur, facilitate exploduntur. Cenſendum potius eſt, Moſen vitulum iſtum in ignem conjectum, in rudem informemque redegiſſe auri maſſam, ut vitulus igne aboleretur & vitulus eſſe deſineret; hanc porro maſſam illum elimaſſe & in tenuisſimam atteriviſſe ſcobem, qvalem IOSEPHVS (i) memorat, Salomonis eqvites capillis ſuis inſper-

(h) In Phyſica Vet. & nov. cap. XX, §. 4. p. 317 ſqq.

(i) Antiqv. lib. V. cap. 2.

ſperſiſſe, vt ſolis repercuſſu illuminati ſplenderent. Hujus furfuris reliqvæ ſunt gerræ ſiculæ, quæ de vetuſtisſimorum Ægyptiorum ſapientia ſparſæ in vulgus pasſim leguntur. Iſtud autem alienum ab inſtituto non fuerit, inqvirere, unde Moſes notitiam veri Dei, fidemque hauſerit ſalutarem & adeo firmam, ut Paulo teſte Hebr. XI, 24. renueret amplius vocari filius natæ Pharaonis, ampliores ratus divitias probrum Chriſti, qvam temporariam peccatorum fruitionem? A matre, cui lactandus traditus fuerat, puſionem religionis præcepta imbibiſſe, qvod aliqvi perhibent, vix crediderim, qvod illa finito lactationis tempore, triennem forte aut circiter, in aulam deduxerit, & matri adoptatrici reddiderit, qvæ regio more eum educari, avita ſuperſtitione imbui, & ad vitam aulicam ac principe dignam formari curavit, ubi Iſraelitarum, in ſummo contemptu & opprobrio agentium, nullus ſana & divina ipſi dogmata inſtillaret. Verum, ut taceam, quæ de Ioſephi ſtudio, inſtruendi proceres regni, David Pſ. CV, 22. prædicat, cum non tam ad religionem & ſacra, qvam ad gubernationem regni, prudentiamqve civi-

(k) Cum viro de eccleſia Lubecenſi meritisſimo, b. GOETZIO in diſqv. ſacra, *num Pharao opera Ioſephi, ad veram eccleſiam perductus fuerit?*

civilem, qvicqvid eſt iſtius inſtitutionis, referamus (*k*): haud dubie tamen ante dudum, qvam annos natus XL. gentem ſuam inviſeret, aulæqve nuncium mittere conſtitueret, cum popularibus ſuis colloqvia eum miſcuiſſe, & avitæ, patriæqve religionis momenta probe hauſiſſe, perſvaſum habemus. Crebra illa, at ſecreta, inſtitutione ad tantam profecit ſanioris Theologiæ cognitionem, ut gratioſa Spiritus S. operatione, heroicam illam adipiſceretur fidem, qvam Stephanus in Actis, & Paulus ad Hebræos, digna effert laude. Velut enim peregrina latere ipſum non poterat origo, qvam etiam Ægyptii probe habebant compertam, ſic hactenus vivendi rationem ita compoſuerat, ut aulæ uteretur præſidiis, ſuorum tamen inſigni tangeretur cura, eorumqve cum miſertus fortunam, tum magni faciens doctrinam, & cum Deo Abrahami familiaritatem, conſilia de mutando domicilio vitæqve genere ſerio ſecum volveret, donec expleto annorum XL. ſpatio, in eam adolevisset παῤῥησίαν, ut de relinqvendo abominationum Ægyptiacarum commercio, ſerio cogitaret,

rit? §. XIV. p. 15 ſq. & celeberrimo Hildeſienſium Præſule, IO. DIETER. WINCKLERO, *Animadverſion. Philolog. & Criticar. P. II. loc. XXII. p.* 209 ſqq.

& sanctissimo instigante Numine tanti rem perficeret momenti.

§. III.

Sed ut propius ad rem accedamus, urget vir doctus, qvocum nobis disceptatio est (a), *artem symbolicam ab Ægyptiis didicisse Mosen.* Ut vero istud dederim, eximiam tamen sublimemqve inde retulisse sapientiam, persvaderi mihi non patior. Qvia symbolicæ scientiæ summum statuebant pretium Ægyptiorum mystæ, eamqve velut ad disciplinam arcani referebant, excellentibus tantum & selectis tradendam ingeniis, facile inducor ut credam, principem regium eadem probe fuisse imbutum. Nimirum, qvod laudatus supra CLEMENS ALEXANDR. alio loco (b) perhibet, Ægyptii triplicem adhibebant instituendi methodum, ἐπιστολογραφικὴν, qvæ literarum Ægyptiarum vim ac rationem docet, τὴν ἱερατικὴν, qva utebantur sacerdotes, & ἱερογλυφικὴν, qvæ rursus gemina, κυριολογικὴ, qvæ per prima elementa proprie loqvitur, & συμβολικὴ, qvæ per signa significat. Istam velut encyclopædiam Ægyptiacam hauserit licet Moses, tanti tamen posthæc etiam fecisse, ut in codicem divi-

(a) pag. 116.
(b) Stromat. lib. V. p. 555. edit. Sylburg.

divinum illam transferret, credendus non eſt. NICOL. CAUSSINUS (c) ut qvam ornandam ſibi ſumſerat Junonem, majori longe inſtrueret autoritate, ultimam ei antiqvitatem conciliare nititur, qvando ſymbolicæ Theologiæ originem ad Abrahamum, & tempora ipſo priora refert. Velut autem ex ingenio ſolum & conjectura, absqve idoneo antiqvitatis teſte, iſtud aſſerit, ita pari reſpuitur qvoqve facilitate. Qvicqvid demum ejus rei ſit, exiguum ei pretium jure meritoqve ſtatuit WITSIVS (d), primam qvam habemus Ægyptiorum Theologiam, mere hiſtoricam fuiſſe cenſens, qva hominum de republica bene meritorum memoriam coelo intulerint, multis in eam congeſtis fabulis, qvarum cum puderet poſteros, ſenſim coepiſſe myſticos iis ſignificatus affingere, quod ex Euſebio, Oſiridis atqve Iſidis exemplo, probat: hinc non altius eniſam eſſe, qvam ad rerum naturalium & corporalium elucidationem; qvam qvidem rationem noviſſime, doctiſſimus Gallus, PLVCHE (e) prolixe ediſſeruit, & ſcripturam ſymbolicam a primis arceſſens Originibus, ſcita pariter verborum explanatione, ac iconum repræſentatione,

(c) *de ſymbolica Ægyptiorum ſapientia*, ſtatim in limine * 3 b ſq.
(d) Ægyptiacor. lib. II. cap. IV. §. 19 ſq.
(e) *In hiſtoria coeli* P. I. edit. Gall. p. 25 ſqq.

tione, illuſtravit. In hoc autem ſtudio, in naturalibus qvippe adumbrandis, figurandisqve, omnem Ægyptiorum hieroglyphicam ſapientiam, infra Græcanicarum ſolertiam fabularum longisſime ſubſediſſe WITSIVS (*f*), probe & ex vero obſervat, univerſam demum tractationem iſtam hoc demum epiphonemate obſignans: *qvicqvid ſit, adeo perplexa, obſcura, atqve incerta ſunt, ſæpe etiam inepta Ægyptiacæ Theologiæ ænigmata, nihil ut inde ſolidi, & in qvo operæ pretium ſit, extundi queat. Nam qvæ magno volumine in Oedipo ſuo Kircherus congesſit, ea prudentiores inania plerumqve commenta eſſe, hominis ingenio atqve otio abutentis, vident & rident.* Etſi vero IOH. BAPT. CASALIVS (*g*) magnum KIRCHERO ſtatuit pretium, eumqve cum ſacrorum myſteriorum, ſub hieroglyphicis diſciplinis latentium inveſtigationem, tum idiomatis Ægyptiaci antiqvi, qvod Coptum vocamus, reſtaurationem, totius orbis admiratione, ſuppeditaſſe contendit: ſecus tamen viris doctis & viſum, & documentis demonſtratum eſt, velut πολυμαθέστατον WAGENSEILIVM, plus vice ſimplici edixiſſe memini, ſe KIRCHERVM inſignem cenſere impoſtorem. Iſta vero in ſymbolicam doctrinam ἐγκλήματα, adeo certa ſunt & explorata, ut

(*f*) cit. loc. §. 21. 22.
(*g*) *de veter. Ægypt. ritibus* cap. X. p. 21.

ut exemplis, ſi opus foret, ea ſigillatim demonſtrare, in proclivi eſſet. Obſcuritatem & ambiguitatem ſcripturæ huic ſymbolicæ ipſe Vir doctus (*b*) ultro largitur, ut non ſufficeret ad certam & determinatam cognitionem cum altero communicandam, vel ex ſymbolis hauriendam. Et unde eſt, qvod hieroglyphica ſcriptura nulla, in continua ſerie & integro contextu, certum hactenus & indubium nacta ſit interpretem, licet ſingulis notis vel iconiſmis, aliqvam, ſed variam & fluctuantem tribuerint ſignificationem?

§. IV.

Jam qvod ex ſuperiori aſſerto elicere contendit naturæ & ſcripturæ conciliator, *magnam ſcriptorum Moſis partem hieroglyphicam eſſe, h. e. ſymbolis, typis, & umbris rerum præſentium & futurarum refertam*, & qvod denuo (*a*) inculcat, *Moſen artem per ſymbola docendi, non damnaſſe, ſed novis inventis auxiſſe & ſanctificaſſe*, iſtud haud dubie e Kirchero hauſit, qvi (*b*) Moſen omnia per ſymbola tradidiſſe, omnemqve ſcripturam ſ. nil aliud, qvam myſticam rerum doctrinam pandere, unde Chriſtus qvo-

(*b*) Pag. marg. 43.
(*a*) Pag. 118.
(*b*) In Obeliſci Pamphilii lib. II. cap. V. p. 115 ſq.

qvoqve pleraqve ſub parabolis tradiderit, affirmat. Hoc autem eſt qvod negamus, & in ſanctisſima Dei oracula injurium pronunciamus. Symbola qvippe profana & ſuperſtitioſa diſtinxiſſe oportebat a caſtisſimis myſteriorum divinorum ſive typis, ſive vaticiniis: utraqve enim immane qvantum diſtant. Eſt nimirum typus, perſona, vel actio, vel res Vet. Teſtamenti, qvæ aut Chriſtum, aut myſterium Novi Teſt. in imagine ſiſtit & repræſentat. Curate hanc docendi methodum ſolertisſimus ſcripturæ interpres, b. GLASSIVS, tradidit (*c*) dignus, qvi præ ceteris hic evolvatur. Cumprimis ad typum reqviritur, notante DANHAVERO (*d*) ut Spiritus ſ. eum liqvido alicubi indicet, absqve qvo criterio vel nulla, vel incerta ejus ſit explicatio. Qvod SIXTINVS AB AMAMA (*e*) uberius inculcat, Candidatos ſolicite monens, ne pro concione, ex qvalibet perſona, vel re veteris Inſtrumenti, typum ſive Chriſti fabricent, ſive eccleſiæ, ſive aliorum myſteriorum. *Sit aliqvid*, pergit, *in utroque ſimile, hoc typo conſtituendo neutiquam ſatis eſt. Nunquam enim evinces, eſſe typum, niſi ex pagina ſacra oſtenderis, illud a Spiritu S. huc fuiſſe deſtinatum, & ad hanc repræſentationem ordi-*

(*c*) Philol. S. lib. II. Part. II. Tr. 2. ſect. 4.
(*d*) In Idea boni interpr. p. 239.
(*e*) In Anti-Barbaro Bibl. lib. I. p. 168 ſq.

ordinatum. Qvæ eo fine allego, ne in Mosis & Prophetarum volumina nimii intrudantur typi, stylusqve utplurimum, & tantum non ubiqve, fingatur ænigmaticus aut figuratus. Veræ autem adumbrationes ac figuræ in veteri codice, divinam agnoscunt originem, calculum ferunt in reliqvis voluminibus sacris, & consensum divinum, divinam præterea, & humana augustiorem, in attentis lectoribus operationem edunt ac virtutem; non profanos auctorum fallacium & infidelium spirant conatus, non humani ingenii lusus, qvi in hieroglyphicis rerum potiuntur. Qvæ ex sanctissimi Numinis, vel imperio, vel instinctu gesta, dicta, & literis consignata sunt, ea absit, ut aut ex impura Ægyptiorum institutione derivare, aut cum monstrosis eorum simulachris conferre, ausimus. Id non negaverim, qvod αὐτοψία docet, dicendi genus in Scriptura S. ad gentium Orientalium morem attemperatum esse, & similitudinibus, allegoriis, apologis, & figuris rhetoricis refertum, velut ex libro Iobi, ex Iud. IX. ex Ezechielis, Zachariæ, ceterorumqve vatum sanctorum oraculis, maxime ex docendi methodo, Salvatori optimo recepta Matth. XIII. & alias passim obvia, ad oculum patet: inter ista tamen, & inter Ægyptiaca symbola insigne intercedit discrimen. Qvid enim

enim vel perſonis humanis, vel actionibus Propheticis, aut typicis commercii aut paritatis eſt, cum abſurdis iſtis, & hinc ſpurcis, hinc ab omni naturæ lege abhorrentibus hieroglyphicorum figuris, qvæ humano corpori taurinum, aſininum, aut lupinum caput, vel accipitris roſtrum præfigunt, vel capiti & figuræ humanæ avium corpus, pedes & ungulas ſubjiciunt, vel mammoſam ſive Iſidem, ſive Cererem, vel Sphyngis monſtrum, repræſentant? Plane juxta Lyrici Poëtæ delineationem:

Humano capiti cervicem pictor eqvinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undiqve collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Evolvat qvis, & attente contempletur iconiſmos iſtos hieroglyphicos, qvos laudatus PLUCHE *in hiſtoria coeli P. I.* edit. Gall. *p.* 48. de Anubi, *p.* 66. de Serapide. *p.* 72. de magna Dea Syriæ & Epheſi, maxime *n.* 2. *&* 3. *p.* 84. 86. *&* 274. de Horo, *p.* 90. de Harpocrate, *p.* 186. de Iſide armata *n.* 4. rurſus *p.* 308. *n.* 2. de Iſide, & *n.* 3. de Oſiride cum capite lupino, oculis ſubjicit: adjiciat ex KIRCHERI *Obeliſco Pamphil. lib. II. cap.* 6. *p.* 130. alphabetum Ægyptiacum, *lib. III. cap.* 9. *p.* 212. imaginem Hori,

ri, *p.* 213. Osiridis, *cap.* 10. *p.* 222. Iovis, sive Panos, ceterasqve *pag.* 284. 294. 327. 418. 447 sq. 450. 454. 481. 520. obvias: demum apud Io. PIERIVM VALERIANVM *hieroglyphic. lib. XXI. cap.* 3. *pag.* 210. indignum divina majestate, sub accipitris specie, cum effigiem intueatur, tum subjunctam legat interpretationem, qvin & per ciconiam *lib. XVII. c.* 13. *p.* 172. & per crocodilum *lib. XXIX. c.* 2. *p.* 291. repræsentatum intelligat Deum, ideo, *qvod solus inter animalia elingvis esse deprehensus est, qvod divinitatis munus esse perhibent Ægyptii:* qvam male etiam dignitati principum consuluerint, ediscat ex *cap. XVI. cit. lib. p.* 295. ubi insignia ipsis, in suprema parte plumatum ciconiæ caput referentia, inferne autem in hippopotami ungulam desinentia, assignant. Addat ulterius ex Casalio, monstrosas vel ineptas, animæ *p.* 25. Canopi *p.* 30. Isidis *p.* 38. Anubis cum cynocephalo *p.* 41. rursusqve Isidis *p.* 48. *n.* 14. figuras. Hinc itaqve sententiam dicat attentus spectator & lector, num Moses absonam istam, & monstris refertam symbolorum disciplinam in sacrum codicem intulerit, novisqve inventis auxerit & amplificarit? Qvin et, cum hieroglyphica Ægyptiaca de naturæ qvibusdam eventis, de exundatione Nili, de caritate annonæ, de

de tempeſtatum viciſſitudine, aliisqve mortales, ſignorum ejusmodi peritos, inſtruerent; nihil plane divini, nihil religioſi, nihil qvod ad æternam animarum conducat felicitatem, in iis deprehendes, qvo tamen univerſa ſacri codicis in ſolidum ſpectat inſtitutio: nec virtutum ſtudium aut vitiorum & criminum fuga, qvæ in divinis literis proram ac puppim conſtituunt, illis inculcatur, niſi qvod ſeqviorum temporum ſcriptores nonnulli, moralia figuris iſtis affinxerint præcepta, de qvibus veteres Ægyptii ne per ſomnium cogitarunt. Ut inceſtuoſam, ſpurcam, & honeſtis auribus intolerabilem taceamus Theogonian, ſymbolis iſtis pariter comprehenſam, ad qvam pia mens horret & obſtupeſcit: hanc cum caſtis, purisqve Moſis præceptis conferant hieroglyphicorum baſiatores & amaſii, & videant, num qvid paganorum impuris figmentis ſimile eruere ex illis qveant? Num acerbius aliud in ſanctiſſimam fidem noſtram conjici ſcomma qveat, qvam illud auctoris: *nam his* (ſymbolis hieroglyphicis) *univerſe ſublatis, præcipuum Chriſtianæ religionis fundamentum evertitur.* Licet itaqve CYRILLUS ALEXANDRINUS (*f*) ab Auctore in partes citatus, diſerte affirmet, legem in umbris verſari & ænigmatis, qvæ

(*f*) *lib. IX. contra Iulian.* Opp. Iuliani *p.* 299 *ſq.* at Opp. Cyrilli *T. VI. p.* 289. *edit. Pariſ. A.* 1638.

qvæ aliud præferunt, qvam qvod ipſamet eſſe credantur, & exemplo ἱερογλύφων, ſ. artificum illorum declaret, qvi in templis & obeliſcis literas incidentes, notis, tritisqve non utebantur, ſed aliis figuris rerum naturas efformantes, abſtruſam qvandam ſcientiam ſapientioribus ingerebant: id tamen nunqvam voluit aut aſſeruit ſtrenuus ille veritatis adverſus τὸν παραβάτην vindex, qvod libri Moſaici pari, cum hieroglyphicis figuris, obſcuritate laborent, aut qvod univerſe ſublatis e ſacro codice ſymbolis, præcipuum Chriſtianæ religionis fundamentum evertatur. Anne contrarium plane Moſes affirmat Deut. XXX. 22. adſtipulante Paulo Rom. X. 6ſqq. anne decantata, & a Theologis noſtris ſolide vindicata Scripturæ ſ. claritas & evidentia aliud longe evincit? Explicat ſolummodo Cyrillus contra φλυαρίας Iuliani empectæ, typum hirci apopompæi, eumqve figuram Chriſti portaſſe demonſtrat, cujus myſterium ex luculentis novi foederis teſtimoniis illuſtrat; tantum abeſt, ut Moſen paria cum ἱερογλύφοις feciſſe pronunciet.

§. V.

Nunc ad id, qvod caput rei eſt, devolvimur: num ſerpens æneus, a Moſe erectus, ex arte hieroglyphica, in Ægypto

a Mose hausta, promanaverit, *qvia serpens est symbolum vitæ & salutis apud omnes gentes?* Hunc in finem ad nummos provocat Auctor, qvorum aliqvi Græcorum, baculo Æsculapii serpentem circumvolutum exhibent, qvia Medicina maxime est ars salutaris, alii vero Romanorum, in qvibus Dea SALVS plerumqve sit figura stans vel sedens, serpentem manu tenens, vel e patera pascens, unde æneus qvoqve serpens *signum salutare* Sap. XVI. 5. 6. 7. dicatur. Fallor, an Auctori prælusit memoratus supra PIERIVS VALERIAN. (a) ubi de Æsculapio verba faciens, satis frigide de æneo serpente in hunc modum differit: *Inesse qvidem angui remedia multa, experimento compertum est, neqve ullum esse ajunt apud Medicos volumen, qvod angvium in ægritudinibus beneficia non latissime demonstret: ut minus miremur, serpentis effigiem ex ære in contum surrectam a Mose, in qvam populus oculos intendens, ab incommodis, qvæ se in itinere tam longo oggerere potuissent, divino spirante præsidio, liberarentur.* Qvæ verba, uno plura opinionum monstra alunt, curatius examinanda & explodenda, si cum ipso nunc nobis concertatio esset. Sufficiat inde cognovisse, Pierium ex serpente æneo signum hieroglyphicum exsculpsisse. Ad hæc observamus N. serpentis Hieroglyphici

ci

(a) Lib. XVI. cap. 1. p. 158.

ci tam variam ac ancipitem, tam ſibi ipſi qvoqve adverſam fuiſſe ſignificationem, Oedipo ut opus fuerit, qvi ubicunqve delineatus ille occurrit, genuinam ejus mentem hariolando aſſeqvatur. Nil niſi magnificum ac ſalutare ei attribuit KIRCHERVS (*b*), divinitatis ſymbolum, mundi totius indicem, qvatuor elementorum deſignationem, & *ἀγαθοδαίμονος* directionem & auſpicia, ſerpentis effigiem referre, Græcorum & Ægyptiorum fide, ex Euſebio cumprimis teſtatus. Nec inficias ire licet, Æſculapio illum dicatum, cujus inſigne ſerpens erat baculo circumvolutus, & lubricis amplexibus inhærens, VOSSIO (*c*) docente; unde *ὑγίεια ſalus*, qvæ Æſculapii filia fuiſſe fingitur, angvis ſymbolo (*d*) inſtruebatur. Qvin & per ſerpentem, totum hoc univerſum Ægyptios delineaſſe, qvod KIRCHERVS mox referebat (*e*), WITSIVS ex Hori hieroglyphicis edocet, imo divinitatem aliqvam, draconis ſerpentiumqve naturæ Taautes apud Euſebium largitur, unde ALEXANDER M. ſummiqve heroës alii, ſerpente ſe natos gloriabantur,

B 3 ut

(*b*) c. l. lib. IV. cap. XVII. toto. p. 347.

(*c*) lib. IX. de Theol. gent. cap. 32. p. 282.

(*d*) *Voſſ.* ib. cap. 36. p. 293.

(*e*) *Ægyptiac. lib. II. cap. IV.* §. 23. cui *Voſſius* adſtipulatur ex Philone Biblio, *c. l. cap. 2. extr.* pag. 236.

ut auguſtiorem humana ſibi aſſererent originem. Hinc etiam pro Deo cultum fuiſſe ab Ægyptiis (*f*) priſca ætate, recentiore autem ac ſeqviore, a Boruſſis, Samogithis, & Calecutenſibus, VOSSIVS probat, qvin & Babyloniis (*h*) ac Peruanis (*i*) Dei ſymbolum præbuiſſe demonſtrat. Ægyptios æqve ac Phoenices, ſerpentes *ἀγαθοδαίμονας*, *bonos ac felices genios* appellaſſe, EVSEBIVS autor eſt (*k*). Idqve non adeo mirum, cum ſerpentium nonnullos, innoxios, qvosdam etiam *φιλανθρώπυς*, laudatus toties VOSSIVS (*l*) commemoret. Hinc TRISTANVS (*m*) eos, ceu genios felicitatis, magnitudinis, potentiæ, victoriarum, ſalutis, tutelæ, prudentiæ, fidelitatis, philanthropiæ, concordiæ, vigilantiæ, caſtitatis & divinitatis, celebrat. Hactenus qvidem notiones hujus ſigni benignæ. Sed tot etiam præſto ſunt infeſtæ, qvando CASPAR GEVANTIVS (*n*) ſerpentem hoſtilitatis, diſſidii, ſeditionis, belliqve ſignum

(*f*) *Voſſ.* lib. IX. cap. 11. init. p. 235. & cap. 14.
(*g*) lib. IV. c. 63. p. 163.
(*h*) lib. IX. cap. 10. p. 233.
(*i*) lib. III. cap. 13. extrem.
(*k*) lib. I. de præpar. Evang. cap. VII.
(*l*) lib. IV. p. 112.
(*m*) ap. LAURENT. BEGERUM *de nummis Cretenſium ſerpentiferis p.* 11.
(*n*) *In triumpho Auſtriaco Ferdinandi*, *in urbem Antwerpiam*, apud cit. BEGERUM p. 8.

gnum esse late probat, ac velut in Mercurii caduceo, pacis insigni, angves gemini, virga media divisi, hostes sejunctos, pacemqve factam esse designant, ita & in nummo AVGVSTI GEVANTIVS arbitratur, per geminos angves, geminas & exitiales Romani imperii factiones designari, qvæ victoria media dirimantur, Antonio scilicet Augusti armis ad Actium superato, adeoqve *Asia*, cui Antonius præfuerat, *recepta*, ut nummi habet epigraphe. Istud vero, qvod de caduceo Mercurii afferebatur, in qvo serpentes hostium divisorum gerunt figuram, Plinii qvoqve confirmari testimonio (*o*) potest. Hinc ἔρις, *discordia*, viperis capite redimita (*p*) pingebatur: fraus pariter, hominis justi imagine, reliqvo corpore serpentino, cauda in scorpii aculeum abeunte (*q*) repræsentabatur. In tanta jam rerum adumbratarum confusione & turba, viso serpentis symbolo, lector vel spectator, dispiciat, num inveniat, qvo pedem figat? ב. Nihil autem ambiguitatis vel tricarum in æneo, qvem de pertica suspendit in castris Moses, deprehendet. Nihil hic ex arbitrio Mosis, nihil ex superstitiosorum magistrorum institutione, nihil ad imitationem Ægyptiorum, sed


(*o*) Lib. XXIX. H. N. cap. III.
(*p*) VOSS. lib. IX. c. 38. p. 300.
(*q*) VOSS. c. l. c. 37. p. 299.

divinis geſta omnia auſpiciis, divino juſſu peracta, reperies. Habes occaſionem, immiſſos in tumultuantem, & contra Deum rebellem populum preſteres, magnam in populo ſtragem edentes v. 5. 6. habes diſertum ſupremi Numinis mandatum, de conflando, & in ſublime erigendo æneì ſerpentis ſigno, ejusqve aſpectu & uſu v. 7. 8. ubi cave, vim qvandam magicam, æneo ſerpenti, ad exemplum Ægyptiacorum formato ſymbolorum, cum MARSHAMO tribuas, qvod viri docti commentum, poſt WITSIUM (r) et BASNAGIUM (s), laudatus ſupra DEYLINGIUS (t) ſolide profligavit. Ac ne, cum JEAN D'ESPAGNE, BURMANNO & VITRINGA hæſites, num Chriſtus ipſe ſigno æneo iſthoc adumbratus fuerit, cum preſteres ſimulacra geſſerint Diaboli? idem vir doctiſſimus dextre expedivit. Habes deniqve ſignificationem myſticam, a Servatore ipſo luculenter expoſitam, Io. III. 14. 15. qvæ Iſraelitarum ſimul edocet piam, fiducialemqve recordationem, qva ſalutem non modo corporis icti & ardentis, ſed conſcientiæ cumprimis ſauciæ reqviem & medelam, in Meſſia adipiſcebantur. Age ergo & ediſſere, qvæ vola, qvod veſtigium, ex impura Ægyptiorum

(r) In Ægyptiac. p. 114.
(s) Hiſt. Iudaic. To. II. Lib. II. c. 19. §. 27. p. 933.
(t) c. I. §. XIX. p. 165.

rium doctrina, vel profana ceterarum gentium superstitione, circa sanctum hoc ac divinum animadverti qveat symbolum? Witsio potius adstipulamur, cujus verbis dicendi facimus finem: *qvis non indignetur, tantum religionis nostræ sacramentum, tam foetum mysticis significationibus, tam plenum salutaris doctrinæ, cum impiis vanissimæ artis præstigiis, qvocunqve demum modo, comparari?* Coronidem adhuc imponere liceat, ex Aringhi *Roma Subterr. T. II. Lib. V. c.* 4. §. 3. *f.* 453. qvi, fragmina serpentis ænei, qvem in pulverem contudisse & abolevisse Hiskiam, regem Judæ, sacra pagina 2 Reg. XIIX. 4. memorat, ab Arnvlpho Mediolanensi Archiepiscopo, ex dono Nicephori Constantinopolitani, templo s. Ambrosii ibidem illata hodie prostare refert. Qvin & superstitionem feminarum Mediolanensium, qvæ ægrotantes infantes suos fer. II. Paschatis ad hunc serpentem, spe restitutionis sistunt; notatum a Mabillonio vide *Musei Italici* p. 16.

TANTVM.



II.

Coecus in Via ductor Ignorans & Heterodoxus.

ad

Matth. XV. 14.

IOH. HERMAN. BECKER.

Doct. & Past.

§. I.

Reviviſcit in vicinia, ſopita aliquamdiu, de efficacia miniſterii impiorum, controverſia, quae olim non minus, quam ab his quinquaginta annis, eccleſiæ purioris doctoribus copioſisſimam tribuit anſam, imo præcepit neceſſitatem contra *Donatiſtas*, *Quackeros*, & *Fanaticos* quosvis, *Dippelium* præſertim, ut & *Pietiſtas*, veritatem explicandi tuendique. Numeramus, alios inter fere innumeros, præſertim BAIERVM *de efficacia miniſterii per malos adminiſtrati*, HANNECKENIVM *ad A.C. art. V. n. 6. pag.* 185. FECHTIVM *Theſ. Moral. 7. & de oratoris eccleſiaſtici virtutibus*, nec non *de falſa irregenitorum circa res ſacras notitia.* QVISTORPIVM, *colleg. diſp.* NEVMANNVM,

de

de audiendis doctoribus, etiam hypocritis. GRÜNENBERGIUM *de Dei ministro impio*, & ex recentissimis BAUMGARTEN *de pietate ministri ecclesiæ ab auditore caute examinanda*, & alios bene multos. Quibus omnibus curæ cordique fuit Separatismum cavere, conscientias piorum consolari, & id maxime cavere, ne quis suam salutem ex doctorum pietate suspenderet. Novimus quidem, quod convitiandi libido hosve illosve permoverit pugnantes, pro efficacia ministerii impiorum, puriores Theologos acerbissime calumniari, quasi statum suum impium & carnalem legere solummodo annitantur, metuque, ne quid ipsi ex sua perdant auctoritate, impiorum doctorum existant defensores. Sed sunt ferendæ pia patientia & vincendæ hæ cum aliis iniuriæ, quas contra dissentientes fortissimas allegare poteris testes, non amore Christi, sed fastu suo regi eosdem atque impelli. Gravissimæ enim adsunt causæ tuendi doctrinam, non, quod ministerium impii doctoris effectum eundem semper & ubique actu producat, quem pii doctoris producit ministerium; quis enim de effectu, qui per innumera impedimenta, non minus ex parte auditoris, quam ex parte docentis facile prohibetur, statuet? sed quod ministerium impii, doctrinæ coelestis gnari, non heterodoxi, nec studio veritatem evertentis

tentis aut celantis, efficacia polleat eadem, qua officium pii miniſtri, nimirum non-converſos convertendi, converſos in fide roborandi & ſpirituale incrementum promovendi. Ecquis enim de fide ſua aut gratiæ ſtatu certus erit, ſi impii miniſtri miniſterium ad fidem perducere nequit omnino. Vtimur omnes miniſterio aliorum. Quis vero ita audax, ut tuto pro doctore vel uno ſpondeat eundem vere pium & converſum? Nemo certe niſi Deus virtute pollet hypocritas a vere fidelibus ſecernendi. Fallitur homo non minus in iudicio amoris, quam in iudicio cautelæ. Fluctuans igitur & incertus de ſtatu ſuo gratiæ relinquitur, qui theſi ſubſcribit: impium miniſtrum convertere non poſſe & ad Chriſtum perducere.

§. II.

Controverſiam quidem ipſam ſub incudem revocare nec operæ pretium eſſe opinamur, nec huius fori, ubi prolixioribus diſputationibus locus non relinquitur. Abundant bibliothecæ ſolidiſſimis iisque eruditiſſimis, hujus quæſtionis diſcuſſionibus. Vnum ſolum, ad quod provocare diſſentientes ſedulo ſolent, ſcripturæ teſtimonium illuſtrabimus, inquiſituri: *utrum Chriſto teſte fieri nequeat ut impius miniſter impium*

pium alium cônvertat, & ministerialiter ad salutem perducat. Hac enim de re quæstio solummodo existit. Neutiquam de eo: vtrumne impius per scandala vitæ destruat plerumque quod doctrina struit. Neutiquam de eo: utrumne in vulgus nota ministri impietas obicem ponat assensui auditorum. Nec de eo, utrumne impius, cui conscientiæ nulla cura, dolose doctrinam dispensandi ansam ex propria turpitudine, aut aliis causis desumere queat. Etenim, qui inter disputandum ad has exceptiones refugiunt, statum controversiæ deserunt, & studio emolliendi, quæ durius ab his vel illis prolata erant, fucum solum vendunt. De sola possibilitate quæritur, utrum per ministerium impii possit converti alius, adeoque ministerium impii efficax sit in se & sua natura.

§. III.

Non aliud quoddam scripturæ testimonium fortius contra hanc efficaciam ministerii impiorum, & quidem ratione possibilitatis convertendi, pugnare videtur, illo Christi effato Matth. XV. 14. *ἀφετε ἀυτȣς. ὁδηγοι ἐισι τυφλοι τυφλων. τυφλος δε τυφλον ἐαν ὁδηγη, ἀμφοτεροι ἐις βοθυνον πεσȣνται.* Dissentientibus igitur idem illud semper in ore esse solet. Equidem a partium studio

ſtudio alieni, facile largimur, quod non omnibus, in ſubſtrata cauſa hoc dictum allegantibus, propoſitum ſit ſimpliciter efficaciam omnem miniſterio impiorum denegare, tamen ſtrenuo adfirmamus, quod omnis ad hoc dictum in ſubſtrata cauſa provocans, neceſſario teneatur impoſſibilitatem convertendi aſſerere, ni ſurda ratione ſe hoc dictum allegaſſe confiteri voluerit. Vti enim ſumus proni, ut quemvis, ſuas hypotheſes explicantem & emollientem, tanquam optimum propriorum verborum interpretem audiamus, ita, ſi quis ſolam difficultatem & impedimenta, ex miniſterio impii oriunda, aſſerere ſe profitetur, non poſſumus non eundem præſumere vel callide ſeſe tegentem, vel de re diſſerentem, quam non intelligit ipſe, quoties ad allegatum dictum in hac cauſa provocat. Haec enim eſt emphaſis hujus effati, ut, ſuppoſito quod de impiis impiorum doctoribus hic agatur, ſimpliciter ipſa poſſibilitas negetur, quod impius impium ducere poſſit ad ſalutem.

§. IV.

Adagium eſt allegatum noſtrum dictum, ſcriptoribus etiam profanis non inſolens, ut habent SCHOTTVS *de adagiis N. T.* TERTULLIANUM allegans *adverſus haereticos*

c. 14.

c.14. adversus Marcionem l.3.c.7. & l.4.c.46. FABRICIVS *ad sex. Emp.* p.732. GATACKERVS *de Antonini l. V.* 29. *p.* 154. RAPHELIVS *annot. Xenoph.* quos excitat WOLFIVS *in curis Phil.* ad h. l. Adagiorum autem, vere talium iste est usus, ut axiomatum vices expleant, recte observante SCHOTTO l. c. *praef. de adagiorum nomine & usu.* Est enim adagium non quodvis populari sermone tritum, sed quod antiquitate pariter & eruditione commendatur, inde maiestatem & pondus addit sermoni, fatente ERASMO *in proleg. in suas chiliades proverb.* Sicuti etiam DRVSIVS in admonitione ad lectorem, proverbiis præmissa bene monet: *proverbia esse alia vere talia, alia proverbiis solum similia.* Et cum classem suam primam proverbiis vere talibus destinat, dictum nostrum ad hanc classem refert. l. III. n. 12. Ex his consequitur, cum omne axioma de re non nisi certa, indubia, necessario vera, non vero de re aliquando solum & ex accidente affirmanda vel neganda, probabili & dubia agat & agere possit, ut ea res quæ per proverbium nostrum insinuatur, ex mente loquentis non ut contingens, probabilis tantum & ex accidente vera, sed de re indubia, semper & necessario vera intelligi debeat. Asserit igitur Salvator ducem in via coecum, alium coecum ducere simpliciter non posse, quia semper

ſemper & neceſſario uterque in foveam delabitur. Hoc ſi de impio miniſtro explicaretur, veritatem introducit: impius impium alium in via ſalutis ſimpliciter ducere nequit, quia ſemper & neceſſario perire uterque debet, ducens nimirum coecus, una cum eo, qui alio duce non uſus eſt. Axiomaticus ille allegati proverbii uſus manifeſto intelligitur, ex propoſitione univerſali, qua Chriſtus utitur: coecus coecum ſi quando ducit, uterque in foveam delabitur. Sic & interrogatio μητι δυναται τυφλος τυφλον ὁδηγειν; ουχι αμφοτεροι εις βοθυνον πεσουνται. Luc. VI. 39. neceſſitatem hujus eventus & impoſſibilitatem auxilii a coeco expectandi inculcat. Et hæc eſt cauſa, quare miſſos facere iubet ſalvator Phariſæos, nimirum quia uſus ad ſalutem plane nullus ab iis eſt expectandus.

§. V.

Nolunt autem diſſentientes concedere, quod ſimpliciter efficaciam omnem denegent impiorum miniſterio. Vt ut enim SPENERVS, confeſſus in dem thätigen Chriſtenthum pr. II. p. 166: quod miniſter verbo virtutem non porrigat vel addat, ſed quod habeat verbum virtutem ſuam in ſe ipſo, dein addat: es könne derjenige, ſo ſelbſten den Weg zur Seligkeit nicht verſtehet

het im Geist, selben anderen nicht nach Nothdurft zeigen; es sey so viel als unmöglich, daß er bey dem Sinn der Worte der Schrift sollte bleiben können, adeoque justissimam ansam ipse præbeat venerabili Theologo ERDMANNO NEVMEISTERO in dem Auszug der Spenerischen Irthümer p. 166. de Donatismo SPENERI conquerendi; siquidem qui impossibile dicit, ut impius vero sensui verborum scripturæ adhæreat, recte præsumitur omnem efficaciam ministerio impiorum eripere; seduli tamen fuerunt complures ut hanc maculam SPENERO abstergerent. Dabimus igitur KOPKENIO in der reinen Lehre und Unschuld Speners, SCHWENTZELIO in Luther Speners Vorgänger, und Spener Luthers Nachfolger, quod mens hæc SPENERO non fuerit; fidem præbebimus omnibus, qui unquam asseruere, quod sola obstacula & impedimenta ab impiorum ministrorum impietate timenda esse adfirment: tunc vero penes omnes iudicium esto, quo iure hoc effatum Salvatoris in causa sua allegare possint. Aut enim de ministerio impiorum loqvitur Christus, aut non. Si prius, quare pudet eos omnem efficaciam ministerio impiorum denegare, quare Donatismum declinare seduli allaborant. Christo enim teste usus plane nullus a coeco in via duce, quem

C

quem illi volunt miniſtrum impium, expectandus eſt, ſed animæ certum periculum. Sin poſterius, quare obtorto collo rapiunt effatum ſalvatoris ad ſuas hypotheſes. Fidi ſimus ſcripturæ interpretes, nec ſcripturæ ſenſum ut naſum cereum fingamus, ne obtrectatoribus & anti-ſcripturariis veritatem coeleſtem eludendi præbeamus occaſionem.

§. VI.

Quantum quidem ad ſignificatum coecitatis, fatemur omnino, quod ille in translatione ad ſtatum hominis ſpiritualem intellectus non minus quam voluntatis caliginem inſinuet & quidem uſu biblico. Ita recte DRVSIVS l. c. " *Coecus eſt omnis improbus, nam improbitas nihil aliud eſt quam „coecitas mentis, ex quo illud: via improborum quaſi caligo - - - Rurſus coecus eſt imprudens. Hoc probandum venit. Ergo Salomon ait ſapientem oculos geſtare in capite, unde „ſequitur ſtultum hominem oculos non geſtare in „capite, hoc eſt captum oculis, plane coecum eſſe, „videlicet propter imprudentiam. Nam oculus ſymbolum prudentiæ. Coecus præterea appellatur indoctus & ignorans, quod primo „loco dictum oportuit, quia coecitas in animo „eſt error & ignorantia, principium & radix „omnis peccati.* " Addimus his, quod cœcus

cus dicatur, qui non illuminatus eſt ſenſu ſcripturæ, id eſt emphatice, & quod perverſio voluntatis cum ignorantia in ſcriptura permutetur. Provocamus *ad 2 Petr. I. 9.* ubi qui cognitione Ieſu ſalutifera, id eſt vera & viva fide præditus non eſt, vocatur coecus, pariter atque *Apoc. III.* 18. *Eſaiæ XLII.* 19. De errore intellectus, & mentis perverſione legimus hoc vocabulum Eſ. XLIII. 8. ubi gentes idololatricæ & idolorum oraculis fidem præbentes provocantur. Eſaiæ XXIX. 10, 14. ubi inſipientia ſapientiæ carnalis, quæ repugnat ſapientiæ revelatæ, eamque ut verbum fatuum retrudit, caſtigatur. Porro 2 Cor. IV. 4. ubi infideles arguuntur, quod propter inſignia præiudicia mentis, quibus a Satana imbuti, non posſint perſpicuum lumen evangegelii percipere. De errore vero intellectus & malitia voluntatis ſimul adhibetur locutio cæcitatis Epheſ. IV. 18. ubi ignorantia & coecitas mentem obfuſcans, & a vita, quæ eſt ex Deo, alienans coniunguntur, Rom. II. 25. ubi de induratione Iudæorum ſermo. Voluntatis perverſionem coecitatem appellat Iohannes 1 Epiſt. II, 11. Ignorantiam & ſtultitiam, Chriſtus Matth. XXIII. 17. 19. 26. Flacium quidem ſi audire cupis in *Clave ſcr.* ita ille: Coeci, *qui carent vera,*
„*viva & practica notitia Dei, utcunque aliquam*
„*ſpeculativam & ſemimortuam habeant. Sic*

„ *Chriſtus dicit de ſeductoribus Phariſæis Matth.*
„ *XV. coeci ſunt, id eſt ignari veritatis coele-*
„ *ſtis.* Reſpondent hæc iis, quæ ſupra de non illuminatis ſenſu ſcripturæ monuimus, ſed applicatio ad Matth. XV. non quadrat. Præterea non unicus hic eſt, quem FLACIVS allegat, ſignificatus, nimis igitur anguſtus eſt coecitatis conceptus. A RAVANELLO autem in *Bibliotheca* multa quidem congeſta, pauca vero ordine diſtributa hic exſpectabis. In adeo diverſo uſu huius vocis translatæ, idem ſubiectum, diverſis in locis diverſo reſpectu coecum dici poteſt. Habito nimirum reſpectu modo ad intellectum, & ejus vel perverſionem, vel præiudicia, vel ignorantiam vel imprudentiam; modo ad voluntatem, eiusque malitiam; modo ad intellectum & voluntatem ſimul. Nulla autem eſt conſequentia, quod aliquod ſubiectum, quod omni in reſpectu coecum dici poteſt, toties tanquam omni reſpectu tale notetur aut excitetur, quoties coecum appellatur. Potius pro ſubſtrata materia iudicium eſt inſtituendum, quonam ſenſu & reſpectu hoc, & quonam alio loco eodem nomine idem ſubiectum inſigniatur.

§. VII.

De Phariſæis ad quos Chriſtus digitum intendit, dubium eſt nullum, quin omni re-

respectu coeci iidem, quoad spiritualia, dici possint. Illi enim prosus ἄπιστοι Ioh. VII. 48, malitiosi hostes Iesu Io. IX 22, & gratiæ ipsius contemtores Io. III. 19, legis divinæ frivoli transgressores Matth. XV. 3, hypocritæ pessimi Matth. XXIII. 27, omnem religionem in ἐθελοθρησκειαν convertentes Matth. XV. 8. 9, Matth. V. 10. & opus operatum Luc. XI. 46, scripturæ male fidi interpretes, & verum eius sensum partim ignorantes Matth. XXV. 46. partim studio corrumpentes Luc. XI. 52. Concurrunt itaque in ipsis mentis præiudicia gravissima, ἀπιστια, ignorantia tam vera quam affectata, animi malitia, hypocrisis, & quidquid ad excoecatum a diabolo & intellectum & voluntatem referri potest. Inde consequentia, quod semper in illos quadret translatum coecorum nomen, quali etiam in respectu de iis prædicetur. Vehementer autem erraret, qui ex usu huius vocabuli ad Pharisæos applicati affirmaret, toties eosdem omni in respectu dicier coecos, quoties hoc nomine laudantur. Obstat fortissime effatum Salvatoris ab operum imitatione, non vero a præceptorum & agendorum inculcatione cavere docens Matth. XXIII. 2. 3. Quæ sane adhortatio prorsus esset intempestiva, si in omnibus tanquam coeci, id est inidonei doctores essent conconsiderandi. Est potius coecorum nomen,

men, Pharisæis tributum, semper respectivum, modo ad errores mentis, modo ad ignorantiam, modo ad malitiam redarguendam iis impressum. Imo si certo respectu vel doctrinæ, vel notitiæ, vel malitæ iis adscribitur, non tamen ad omnem doctrinam coelestem, sed certa hujus doctrinæ capita; non ad omnimodam & universalem, sed ad specialem harum illarumve veritatum ignorantiam; non ad omnes hypotheses, sed ad præjudicatas, non ad omnem omnis generis malitiam, sed pro re nata, modo ad hanc modo ad illam conceptus coecitatis est restringendus.

§. VIII.

Suadent hactenus dicta, ut diligenter inquiramus in locum nostrum explicandum, investigaturi, quo igitur sensu coecos in via coecorum duces Pharisæos appellet Christus. Totus nexus capitis XV docet, motam fuisse Christo a Pharisæis controversiam de discipulis placita maiorum eludentibus, illotis manibus comedendo. Regerit Iesus duplicem responsionem, alteram ad Pharisæos directam, eamque epanorthoticam, alteram ad circumstantes, eamque doctrinalem. Prior sermo epanorthoticus a crimine imputato solum liberat discipulos, monstraturus: non adeo accusandos

ſandos eſſe qui placita maiorum non obſervant, quam qui præcepta Dei, propter placita maiorum ſusque deque habent. Atque ita iniquitatem cenſuræ Phariſæis exprobrat, qui rectius ſe ipſos, quam alios vocare ſub cenſuram debuiſſent a verſu 3-6. Accuſat eosdem proinde hypocriſeos v. 7. & evincit quod laudata hæc placita maiorum nil ſint niſi ἐθελοθρησκεια v. 9. Alter Salvatoris noſtri ſermo doctrinalis v. 10 & 11. reſtituit conceptum verum de iis, quæ reddunt hominem immundum. Corrigit hac doctrina errorem & præiudicium, quibus laborabant Phariſæi; quaſi per res externas homo reddi poſſit coram Deo immundus, & contra, quod per lotiones externas conſcientiæ puritas reſtituatur. Errorem, inquam, ex interpretatione perverſa legis Leviticæ, hasve illasve res prohibentis, ne contrahatur immundities, hasve illasve lotiones & ablutiones expoſcentis ut reſtituatur munditíes, oriundum. Siquidem immundities levitica non erat niſi ſymbolica, animam per ſe non contaminans, ſed de immunditie conſcientiæ cavenda, veraque puritate procuranda ſubinde monens. Id quod nec Talmudicis doctoribus fuit ignotum vid. LEIDECKERUM *de republ. Hebr. l. V. c. V. n. V. pag.* 234. *& l. XII. n. IX. n. III. p.* 687 *ſeq.* Corrigitur itaque hac doctrina Chriſti Phariſæorum error in expli-

canda lege commiſſus, ignorantiæ veri ſenſus legalis ſuperſtructus. Quod enim Phariſæi in externis deſudarent & interna negligerent, manifeſto teſtatur ignorantiam legis vel veram vel affectatam, & ex hac ignorantia prodeuntem heterodoxiam. Siquidem ea quæ aliena prorſus erant a mente divina, quæ ſpuria, erronea, & verbo Dei non conſentanea, tanquam veritates divinas & doctrinas cœleſtes obtrudere plebi conabantur.

§. IX.

Ad hanc legis divinæ ignorantiam, & inde redundantem heterodoxiam reſpicit citato loco ſalvator, non ad malitiam aut ſtatum incredulitatis. Neque enim de malitia aut incredulitate ullum verbum in toto colloquio, ſed ſolum de errore illo, quod traditiones præceptis Dei æquiparare imo anteferre non dubitent, & legis verum ſenſum ignorent. Hanc propter ignorantiam coecos eosdem vocat, & quia heterodoxa ſua doctrina alios inſtruere & erudire audebant, ipſi neſcientes veritatem, coecos coecorum hodegos appellat. Imo vero, quia ſcandalum accipiebant Phariſæi ex doctrina Chriſti, & ita obſtinatos & moroſos in ſua ignorantia & heterodoxia ſeſe gerebant, diſcipulos conquerentes, quod

tanto-

tantorum virorum auctoritatem destruere, & doctrina sua dare eos in pudorem non dubitaverit Iesus & ad iram commovere, avocat salvator ab omni erga Pharisæos & eorum doctrinam de puritate acquirenda & impuritate vitanda, æstimio. Vult, ut nihili faciant eos quoad hanc rem; siquidem nil nisi seductio ab his, præiudicio ita crasso sciènter & morose laborantibus, possit expectari. Insuper oratio illa Iesu contra Pharisæos Matth. XXIII. testimonium perhibet optimum quo sensu coecos in via ductores eosdem dicat. Frivolam nimirum viæ salutis eversionem & occultationem castigat v. 13. hypocrisin in orando, ut tegant nequitias v. 14. ementitum studium alios convertendi v. 15. In his omnibus autem coecitatem non exprobrat. Sed cum de legis explicatione absurda v. 16-26. & traditionibus loquitur, *coecos in via duces*, *stultos & coecos* eosdem subinde nominat. Ad ignorantiam itaque hoc titulo potissimum respicit. Forte non sine allusione ad Pharisæos *coecutientes* dictos, qui, ne prava adspicerent præter opinionem, mulierem forte aut virginem in via obviam, oculis clausis incedebant, ubique impingentes stultorum more, & frontem ad parietes allisam cruentam reddebant & sauciam. Conf. LEVSDENII *Phil. Hebr. mist. disp.* 18. *p.* 129. Nec hoc negligendum

existimo, quod Iesus Sadducæos incredulos & malitiosos corrigens subinde, nunquam coecos eosdem dicat, sed coecorum nomen Pharisæis solum tanquam distinctivum & proprium tribuat. Hi enim Pharisæi sibi potissimum datum credebant traditionibus viam aperire, & placitis maiorum, *ut legi faciant sepem.* Hi, arcana coelestis doctrinæ suæ potissimum fidei concredita existimantes, hac arrogantia capti, eo magis temerarios in detorquendo legem secundum placita maiorum sese gerebant, verum eius sensum negligentes & ignorantes. Et hoc ipsum per etymon vocis Pharisæi subindicari existimo. Vt enim non satis tuto affirmaveris פרושים dictos eos in significatione *exponendi* & *explicandi* quam habet פרש quasi sese ipsos *κατ' ἐξοχὴν legis* vocaverint *explanatores*, sed rectius a *separatione*; tamen, pro mea quidem sententia, non tam *separatistae* aut *separati*, quam *separantes* aut *separatores* dici voluerunt. Separatistarum nomen enim aliquomodo mihi videtur ignominiosum & plus contemtum quam honorem, saltem ex sententia vulgi, indicans. Honoris autem nomen erat quo vehementer superbiebant huic sectæ addicti. Qua propter, salva auctoritate virorum eruditorum, quibus me parem nullatenus iudico, *non ob separationem sui ab aliis, sed ob separationem legis*

gis per ſepem traditionum, ne licentioſius in eandem involet hic & ille; ob ſtudium legem cuſtodiendi, *Phariſæos* eosdem honoris cauſa dici voluiſſe, exiſtimo. Sed nil quidquam aliter ſentientibus oppono. Adeat lector I. F. BVDDEI *Hiſt. Eccleſ. V. T. Tom. II. P. II. S.* 7. *p.* 1201 *ſq.* LEVSDENIVM *l. c. p.* 127. & quem primo loco nominaſſe debebam *ſumme venerabilem Lubecenſium Præſulem D. I. G. CARPZOVIVM in App. Antiqu. Hiſt. Crit. p.* 173 ſq. ubi collectas inveniet & examinatas variorum ſententias.

§. X.

Fluit ex adlatis prona conſequentia, quod eo ſolum reſpectu, quo Chriſtus Phariſæos coecos in via ductores dicit, efficaciam alios in via ducendi iisdem deneget. Sed vero reſpicit ad ignorantiam & heterodoxiam tantum. Igitur in quantum ſunt ignorantes & heterodoxi, omnis iis denegatur efficacia alios in via ducendi. Removendus igitur hoc loco erit conceptus malitiæ & impietatis, cuius cæteroquin recte arguebantur Phariſæi. Hi enim impii non quatenus impii, ſed quatenus coeci ex mente Salvatoris, id eſt, quatenus ignorantes & heterodoxi, inidonei ſunt duces. Fert ita natura ignorantiæ. Concipe


cipe tibi ignorantem & heterodoxum, ſed virum cæteroquin non flagitioſum, quid ex eo uſus erit expectandum? niſi forte quod modeſtia vitæ ſuæ ad modeſtiam incitet & adſuefaciat alium. Aſt docens & ductor in via ſalutis non erit. Ipſe enim veritates neceſſarias non novit. Fac alium ſcientem & orthodoxum, ſed impium & flagitioſum, viam ſalutis non calcantem. Hic forte flagitioſo exemplo alios trahere poterit ad conſortium vitiorum: forte in gratiam vitiorum propriorum reticebit aut evertet veritatem coeleſtem; ſed non ſequitur quod non poſſit non celare aut evertere. Contra inſtuere recte & conſilium de ſalute, licet non ſequatur ipſe, rite aliis proponere poterit omnino. Poteſt ergo ducere alium, modo voluerit, hic, ſed non poteſt, etſi voluerit, ille. Itaqve prior, ignorans, coecus eſt & inidoneus dux ſimpliciter, alter vero non inidoneus ſimpliciter, ſed tunc demum, quando fraudulenter agens, veritatem tegit ob propria vitia. Atque hac ratione miniſter impius non ex mente Salvatoris in allegato dicto dicitur coecus, nec eidem ex mente Salvatoris omnis efficacia alios convertendi eripitur. Sed doctori ignoranti & heterodoxo efficacia omnis in via ſalutis alios ducendi denegatur.

§. XI.

§. XI.

Plura ut in præſenti themate adferamus neceſſitas exigit nulla. Scopo præſtituto nos ſatisfeciſſe opinamur. Erat ille ſola probatio, quod in laudata de efficacia miniſterii impiorum controverſia, hoc dictum allegari nec poſſit nec debeat. Exceptiones iam de illuminatione irregenitorum occupare, & in theſin inquirere: utrumne omnis irregenitus ſit ignorans? ab inſtituto noſtro alienum iudicamus. Hoc enim thema toties in eccleſia excuſſum eſt & explicatum, ut in iis, quæ adtulerunt NEVMANNVS, LOESCHERVS, WERNSDORFFIVS, KRACKEVITZIVS & alii, a LILIENTHALIO *in Archiv. Theol. Hom. p.* 291 *ſq.* excitati, acquieſcere poſſimus. Reliquum, ut omnes eccleſiæ doctores ſint tales, qui viam ſalutis & cognoſcant & ſequantur ipſi, gregemque commiſſum una cum ſe ipſis ad ſalutem perducant, hoc eſt quod ardentiſſimis precibus a Deo rogamus.

FAXIT.



III.

III.

M. IOACH. HENR. OSTERMEIER,
V. D. M. in Ecclesia Travemundana,

DISSERTATIO EXEGETICO - THEOLOGICA

ad querelam Propheticam

de fidei & revelationis Brachii Iehovae defectu.

Ies. LIII. 1.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. *I. Nexus dicti ostenditur.*

§. *II. Dictum ex fonte & Versionibus FRANC. IVNII τῶν ό* & paraphrasi Chaldaica *allegatur.*

§. *III. Objectum querelæ indicatur & PHIL. LIMBORCHIVS notatur.*

§. *IV. Idem argumentum continuatur & personæ loquentes significantur.*

§. V. *Ad Iehovam hanc querelam dirigi observatur.*

§. *VI.*

§. I.

§. I.

Cum constitutum nobis sit, hanc illustrem & arduam qverelam propheticam considerare, id nobis negotii primum datum esse credidimus, ut nexum ejus indicaremus. Ediderat nimirum sanctissimus Propheta capite præcedente LII ejusqve v. 10. 11. 12. de præconii evangelici incrementis inter gentes magnificum vaticinium, ac nomen Christi ubique divulgandum gentibusque longe lateque dissitis manifestandum esse dixerat. Sub finem autem hujus capitis v. 13. 14. 15. Deum Patrem introducit loqventem de obedientia Messiæ in statu exinanitionis declarata, eamque exceptura exaltatione, ceu fundamentis regni Christi inter Iudæos & gentes erigendi. Hac itaque opportunitate Prophetam ὑπο πνευματος ἁγιȣ φερομενον usum animadvertimus sequente capite LIII vaticinari de humili & afflictissimo Messiæ statu, addita tamen v. 8. assumtionis Messiæ in gloriam & v. 10. gloriosæ eius post mortem resurrectionis & regni successus mentione, & adjunctis v. 11. 12. nobilissimis passionis Messiæ sequelis & fructibus inde tam ipsius personæ Messiæ quam hominum credentium respectu promanaturis. Qvia vero hujus loci non est solicitos nos esse de inanibus & levissimis recutitorum eorum

rumque vestigia prementium detorquendi rationibus, quibus insigni prophetiae toto Cap. LIII. traditae post tantam lucem tenebras offundere temere moliti sunt, dum nonnulli eius subjectum ad gentem Iudæorum, alii ad Iosiam, alii ad Ieremiam, alii ad Zorobabelem, alii ad Mosen, alii ad quemlibet pium justumque obtorto, quod ajunt, collo trahere conati sunt; præstantes quosdam auctores hic laudasse sufficiat, qui nebulas hasce feliciter discusserunt. Præclare hanc provinciam administrarunt: Io. MVLLERVS in *Iudaismo detecto* p. 800 sqq. Io. THILO in *medulla Theolog. V. T.* p. 937. CONSTANT. L'EMPEREVR in *tractatu ad h. cap. contra Abarbinelem & Mosen Alschech.* AVG. VARENIVS *Comment. in Iesaiam P. III. p.* 294 sqq. ANT. HVLSIVS *Theol. Iud.* l. I. p. II. p. 318 sqq. ABRAH. CALOVIVS *in Bibliis illustratis ad h. cap.* CAMP. VITRINGA *Tom. II. Comment. in Ies.* p. 658 sqq. & cel. TH. CHRIST. LILIENTHAL, qui nuper in praeclaro opere, cui nomen: *die gute Sache der in der heiligen Schrift A. und N. Testaments enthaltenen göttlichen Offenbahrung*, P. II. cap. VI. p. 734 sqq. optimam causam optime contra ANT. COLLINVM & SAM. PARVISIVM defendit. Quibus facili negotio plures addere possemus,

mus, nisi hac opera jam persunctus esset AVG. PFEIFFERVS in *Dub. Vex.* p. 723.

§. II.

His igitur præmissis, ad præfationem pericopes propheticæ cap. LIII. propositæ propius considerandam nos convertimus, quae in fonte hebræo sic legitur: מי האמין לשמעתנו וזרוע יהוה על־מי נגלתה: h. e. interprete FR. IVNIO: *Quis credit prædicationi nostræ: & brachium Iehovae in quo revelatur?* Textui authentico subjungimus translationem τῶν ό: *κυριε τις ἐπιϛευσε τῃ ἀκοῃ ἡμων; και ὁ βραχιων κυριȣ τινι ἀπεκαλυφθη;* & IONATHANEM UZIELIDEM paraphrasten Chaldæum: מן הימין לבסורתנא דא ותקוף דרע גבורתא דיי כדו דעל מן אתגליאת h. e. *Quis credit huic annunciationi nostrae, & robur brachii potentiae Domini super quem jam revelatur?*

§. III.

Verbis hisce Propheta non queritur de sui temporis hominibus, quod nonnullis interpretibus & PHIL. LIMBORCHIO persuasum est 1), sed vaticinium hic extat de incredulitate temporibus Messiæ jam præsentis & sub oeconomia N. T. detegenda. In-

Indicat enim Propheta v. 2. occasionem hujus incredulitatis, humilem scilicet & contemtum Messiae adspectum: *Non est forma ei neque decor: & quando intuemur eum, non inest species, cur desideremus eum.* Cum igitur tam antecedentia, quam consequentia illa respiciant, quæ temporibus N. T. usu venerunt, hæc quoque verba in sensu genuino ad futura N. T. tempora spectabunt. Quamvis interim Propheta verbis præteriti temporis utatur, non tamen hinc colligas, illum res suo tempore existentes & transactas indicare. Notum enim est, Prophetas propter certitudinem eventus res futuras verbis præteriti temporis efferre 2).

1) Comment. in Epist. ad Rom. Cap. X. 16. p. 422 & 428.

2) Vid. GLASSII Phil. S. L. I. Tract. IV. Sect. 1. cap. IV. pag. 318. & Io. GERHARDI Harmon. Evang. Cap. CXLVII. p. m. 151.

§. IV.

Querulam hanc & admirabundam exclamationem propheticam respicere incredulitatem magnæ partis Iudaicæ gentis ex tota orationis serie constat. Cum enim v. 14. cap. præced. LII. de Messia exinanito asseratur, quod objectum stuporis magnæ Iudæorum partis futurus sit, & v. 15. Messias exaltatus & ad gloriosum statum erectus dicatur *aspergere multas gentes*, virtutem sci-

licet ſanguinis a ſe fuſi ad purificationem animarum multarum gentium a civitate Iſraelis alienarum applicare 1 Petr. I. 2. Hebr. X. 22, ut adeo gentes, quod ipſis narratum non fuit, viſurae, & quod non audiverant, intellecturæ eſſent 1): v. 1. cap. LIII. fidei gentium opponitur incredulitas & pervicacia magnæ Iudæorum partis, quibus ex ſtatuto divino primo Evangelium annunciandum erat Act. XIII. 46. Clariſſime hoc liquet ex immediate ſeq. v. 1 & 2, in quibus pravum Iudæorum de humili Meſſiæ ſtatu ejusque graviſſimis paſſionibus præjudicium ceu præcipua incredulitatis eorum cauſa allegatur. 2) Obſervandum præterea eſt, hanc Iudæorum incredulitatem hic imprimis argui, quam Apoſtoli & primi Evangelii præcones peracto jam a Chriſto redemtionis opere eoque exaltato experti ſunt. Horum enim ore Propheta queritur, quod & ex mentione præconii, & ex nexu hujus querelæ cum proxime ſequente ſermone innoteſcit. Immo Apoſtolorum & primorum Evangelii miniſtrorum partes ſuſcipiens Propheta Iudæorum incredulitatem fidei gentilium opponit, cuius paulo ante Cap. LII, 15. meminerat 3). Cum vero jam tempore Miniſterii Chriſti, quo inter Iudæos functus eſt, clariſſima incredulitatis Iudaicæ indicia, & futuræ renitentiæ præludia extarent, S. Iohannes Cap. XII,

38. hæc verba prophetica apposite etiam ad illorum Iudæorum incredulitatem applicat, quæ tempore ministerii ipsius Salvatoris detecta est. Accedit quod hoc ipso auditus Evangelii, & revelatio brachii Jehovæ jam tum inciperet, qvia omnium Evangelii præconum coryphæus, isque summa miraculorum gloria fulgens, doctoris munia obibat 4).

1) Conf. VITRINGA l. c. p. 654.
2) Addi hisce possunt, quae CALOV. Bibl. illustr. ad h. l. & ALEX. MORVS cit. POLO ad h. l. recte monuerunt.
3) Leg. quæ de scena prophetiæ Cap. LIII. traditæ constituenda VITRINGA docet l. c. p. 657. Observavit quoque dudum LVCAS OSIANDER in Paraphr. ad h. l., Prophetam hic Apostolorum personam sustinere, quod etiam ex antiquissimis interpretibus ORIGENI placuit cit. ESTIO ad Rom. X. 16.
4) vid. VITRINGA l. c. & LAMPE Comment. in Ev. Ioh. ad h. l. Tom. II. p. 897.

§. V.

Dirigi hanc Apostolorum & Evangelistarum querelam ad Iehovam, indubia & divina auctoritate munita interpretatio duorum Apostolorum IOHANNIS & PAVLI probat, qui in illis locis, in quibus hæc ex Iesaia proferunt, Io. XII. 38. Rom. X. 16. vocem κυριε præponunt, quam, sicubi de Deo sermo est, hebræo nomini divino יהוה in Versione

ſione LXX & N. T. reſpondere notum eſt 1). Quamvis autem nomen יהוה in textu hebræo querelæ non præmittatur, ſed tantum apud LXX legatur, quorum interpretationem hic ratam habuere divi Apoſtoli, textui tamen apprime convenit, Prophetam Apoſtolorum loco loquentem compellare Deum Patrem, quem verbis proxime antecedentibus Cap. LII, 13. 14. 15. loquentem introduxerat. Docent nos tabulæ N. T. Apoſtolis ſolenne eſſe, invocationem Dei interdum dirigere ad Patrem Gal. I. 5. Hebr. XIII. 20. interdum ad Spiritum S. 1 Petr. V. 11. Notandum autem eſt, hanc invocationem unius Perſonæ S. S. Trinitatis non ita fieri, ut una perſona citra vel extra reliquas invocetur, quod ſcripturæ ſ. contrarium eſt, qui enim *non honorat Filium, non honorat Patrem.* Io. V. 23; ſed ita, ut omnes Trinitatis perſonæ includantur, cum ad unam Perſonam oratio vertitur. Quæ aureis incomparabilis Theologi MARTIN. CHEMNITII verbis illuſtrabimus: *Eccleſia in invocatione aliquando diſerte mentionem facit trium perſonarum, aliquando duorum, aliquando unius: & tamen ſemper invocationem dirigit ad unicam veram divinam eſſentiam, & ſimul ad omnes perſonas. Quia reſpectu noſtri tres perſonæ ſimul, & unaquæque ſeorſim, eſt unicus, verus & indiviſus Deus: ut, cum columba deſcendit, vere dixeris: Hic eſt*

est unicus verus Deus, & extra hunc non est alius juxta dictum: Io. XIV. 10. Hinc intelligitur, quomodo Ecclesia orationem dirigat aliquando ad Filium, aliquando ad Spiritum S. Quia credit & in invocatione profitetur, non tantum, quod tres illæ Personæ sint unicus verus Deus, sed quod unaquæque Persona non sit pars illius unicæ divinæ essentiæ, sed sit tota essentia divina: id est unus ille verus Deus, extra quem non sit alius Deus. Nam qui unam personam citra vel extra reliquas velut separatam & divisam invocat aberrat a vero Deo juxta dictum Ioh.V.23.& Ioh.VIII. 54 55. 2) Apud Iehovam Dominum messis Matth. X. 38. sanctissimi viri querelas effundunt, & apud illum de incredulitate potioris Judæorum partis conqueruntur, de cujus sententia ac auctoritate suas partes summa fide egerant, cujus æquissimis & justissimis judiciis omnia committenda erant. Testatum vero simul reddunt ad Iehovam querelam dirigentes Apostoli, eorum animis flagrantissimo amore inhærere populares pertinacis pervicaciæ homines, quorum vices miserantur Rom. IX. 1. 2. 3, ac simul ardentissimum demonstrant zelum, quo toti ad Numinis gloriam hominumque salutem flagrabant.

1) ED. LEIGH Crit. S. & I. C. DIETERICI Ant. Bibl. N. T. ad voc. κυριος.

2) L. L. Comm. de tribus Personis p. 39.

§. VI.

Conſtat exclamatio hæc in utroque hemiſtichio interrogatione, quam ſæpe abſolute negare ex inductione locorum SS. diſcimus Pſ. XCIV, 16. Pſ. CVI.2. Pſ CXIII. 5. Ieſ. LI, 19. Ieſ. LIII. 8. Hebr. I.5. Rom. VIII. 31. eandem tamen ſæpe paucitatem & raritatem indicare, ut pronomini *quotus qvisque* conveniat, ſequentia exempla evincunt Pſ. CVII. 43. Ieſ. L. 10. Prov. XX. 6. Pſ. XL. 11. Hoſ. XIV. 20. Luc. XVIII. 1. 1) Hoc vero ſenſu exclamationem interrogationis forma propoſitam in noſtro loco intelligendam eſſe, ut & paucitas & raritas Judæorum, qui Chriſto nomina dederint, indicetur, ſi comparate reſpectu majoris Judaicæ gentis partis conſiderentur, quæ in incredulitatis vitio obſtinata malitia perſtitit, & res ipſa & Propheta luculenter docet. Multos enim Judæos ſub initium ſolennis præconii N. T. Hieroſolymis & in circumjacentibus regionibus, immo etiam in diſſitis provinciis ad fidem Chriſti perductos eſſe, Hiſtoria Apoſtolica & epiſtolæ Apoſtolicæ multis locis comprobant. Quamobrem animadvertas, ipſum Prophetam chorum converſorum Judæorum proxime, commate ſcilicet 2ſqq. loquentem introducentem veræ eorum in Meſſiam fidei documenta proferre. Quod ſi vero hæc converſo-

versorum Judæorum multitudo cum majore gentis parte in Judæa vicinisque regionibus commorante, & in plurimas orbis provincias dispersa conferatur, quæ veritati coelesti morem gerere detrectavit, ad paucitatem oppido referenda erat. Perhibuerunt Scriptores sacri N.T. tristissimæ incredulitatis potioris Judæorum partis multis in locis testimonia, & EVSEBIVS potiorem Judæorum partem intelligit, dum memorat, omnes ubique Judæos pariter & uno consensu christianæ doctrinæ contradixisse 2).

1) Vid. GLASS. l. c. p. 20. 28 sq.
2) Comment. in Iesaiam, quem BERNH. de MONTFAUCON in Collect. nova Patrum & scriptor. Græc. Tom. II. p. 357. edidit cit. S. R. I. G. WALCHIO H. Eccl. N. T. Sec. 1. Cap. IV. p. 533. Add. CHRIST. KORTHOLT Dissert. de Christo crucifixo Judæis scandalo.

§. VII.

Continet exclamatio hæc querelam de defectu fidei ex pervicacia Judæorum oriundo, quæ ita constructa est, ut defectus ille in priori hemistichio proponatur, & in altero uberius amplificetur. Querela de defectu fidei his verbis in priori hemistichio constat: מי האמין לשמעתנו *Quis credidit præconio nostro?* שמועה phrasi hebræa omnem sermonem notat, qui auri-

D 5 bus

bus percipi poteſt. Sic 2 Reg. XVI. 7. Ier. X. 22 ſignificat nuntium ſeu rumorem de hoſtium irruptione, & 1 Sam. IV. 19. rumorem de arca foederis capta, Pſ. CXII. 7. nuntium ſeu famam malam 1). Hoc vero loco שמועה ἀκοὴ *ſermo*, qui credendi objectum ſtatuitur, doctrinam Evangelii prædicatam auribusque perceptam notat, quod Apoſtolus Rom. X, 16. diſertis verbis declarat: *At non omnes obedierunt Evangelio, Ieſaias enim dicit: Domine, quis credidit τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;* Recenſet inſignis quondam Vitembergenſis Philologus Erasm. Schmidius ad Matth. IV. 24. ſeptem vocis ἀκοὴ ſignificationes, e quibus quarta ſignificatio, qua rem ſeu doctrinam auditam ipſumque auditus objectum denotat, hic in cenſum venit, ac ab Apoſtolo l. c. Rom. X. 16. locisque parallelis Gal. III. 2. 5. Hebr. IV. 2. Ioh XII. 38, innuitur. Ceterum iſtam ſignificationem recipere vocem ἀκοὴ ex phraſi hebræa, & modo loquendi Græcis ſcriptoribus incognito recte obſervavit Io. Vorstius 2). Quamvis enim Seb. Pfochenius 3) ex Platone, Thucydide ac Suida recte oſtendat, hanc vocem apud optimæ notæ Scriptores Græcos *famam* ac *rumorem* ſignificare, nemo non tamen videt diſtare inter ſe *famam*, & *doctrinam prædicatam*, licet in hoc tertio conveniant, quod ſint res, quæ auribus percipiuntur.

A

A vero quoque hic non abludit *Paraphrastes Chaldæus*, qui effatum propheticum: Quis credidit לשמעתנו præconio nostro לבסורתנא *annunciationi nostræ* παραφράζει. Respondet enim Chaldaicum בסר *nunciavit*, unde בסורא & בסורתא *nuncium* seu *annunciatio* derivatur, hebræorum illi בשר, quod excepto uno loco 1 Sam. IV. 17. in omnibus aliis SS. locis læta, grata & salutaria nunciare significat 4), & hinc etiam vox hebræa בשורה 2 Sam. XVIII. 20. 22. 25. *lætum nuncium* notat. Spectat huc imprimis & τὸ שמועה seu *præconium*, cujus Apostoli ore Iesaiæ mentionem faciunt, egregie illustrat, quod Prophetæ Hebræo בשר συνεκδοχικῶς utantur pro ipsa prædicatione Evangelii sive beneficiorum Christi annunciatione Ps. LXVIII. 12. Ies. XL. 9. Cap. LII. 7.

1) Conf. GVSSET. Comment. Ling. Hebr. ad radicem שמע, & LEIGH Crit. Sac. ad voc. שמועה.
2) Phil. S. de Hebraismis N. T. Cap. III. p. 63 sqq.
3) De Græc. Ling. in N.T. puritate Diatr. XLIV. pag 21.
4) Vid. GVSSET l. c. ad vocem בשר & FLAC. Clavis ad vocem Evangelium.

§. VIII.

Patet igitur ex hac genuina interpretatione vocis שמועה hunc auditum non ad ipsos

ipsos Apostolos audientes, quid in se Dominus loqueretur, referendum esse. Placuit hæc sententia nonnullis interpretibus, e quibus ex antiquioribus AMBROSIUM seu potius Auctorem Commentariorum in Epistolas Paulinas, qui Operibus AMBROSII inserti sunt 1) producimus, qui ad Rom. X. 16. notat: *Hoc est, quis credidit, quae audivimus abs te*, & NONNUM in Paraphr. Evang. Ioh. canentem: Κοιρανε τις μετα τοσσα τεῃ πιςευεν ἀκȣῃ *Domine, quis post tanta tuo credidit auditui* 2). Ex sententia quidem ALEX. MORI & IO. MARCKII 3) SYRUS interpres videtur hanc interpretationem comprobasse, quia ad Rom. X. 16. verba τῃ ἀκοῃ ἡμων reddidit לברת קלן *filiæ vocis nostræ*, adeoque ad coelestem illam vocem, qua Deus se patefecerit, postquam Prophetæ esse desierant, allusisse videtur. Verum judice LAMPIO 4) Syri verba commode etiam ita intelligi possunt, ut doctrinam Apostolorum ore prolatam *filiam vocis* appellet. Licet autem vox שמועה in loco nostro prophetico prædicationem Evangelii notet, quod probavimus, res tamen ipsa longe verissima est, Apostolos illud, quod in præconio Evangelii proposuere, a Deo per internam inspirationem, & interdum per loquelam externam prius audivisse, nec sua figmenta, sed veritates divinitus revelatas prædicasse. Hinc videas,

Pau-

Paulum proteſtari, ſe Evangelium non accepiſſe ab homine, ſed per revelationem Dei & Ieſu Chriſti. Gal. I. 12. 15.

1) Vid. AMBROS. Opp. Tom. V. p. 219. Adhuc autem ſub judice lis eſt, an hi Commentarii genuinis Ambroſii ſcriptis, utrum quod multis placet ſuppoſititiis annumerandi ſint. Vid. A. RIVETI Crit. S. L. III. Cap. XVIII. Tom. II. OPP. p. 1115. & DU PIN Biblioth. Nov. Auct. Eccleſ. Tom. II. P. II. p. 507.

2) p. m. 117 coll. DAN. HEINS. Ariſtarch. S. p. 923.

3) Vid. POLI Synopſ. Crit. ad h. l. & I. MARCKII Analyſis Cap. LIII. Ieſ. p. 6.

4) l. c. p. 894.

§. IX.

Verbi האמין nota eſt ſignificatio, qua recumbentiam in alicujus veritate, benevolentia & potentia deſignat, adeoque acquieſcentiam in promiſſis, certitudinem & πληροφοριαν omnem dubitationem excludentem complectitur Gen. XV. 6. Deut. IX. 23. Ieſ. XXVI. 19. 1). Objectum igitur credendi, quod eſt Evangelium, cujus modo mentionem fecerat Propheta, clare indicat, de fide per verbum Evangelii excitanda hic agi, qua homo ex agnitione unius veri Dei, & miſſi ab eo Salvatoris humani generis promiſſis divinis aſſenſum præbet, ac certa & explorata fiducia confidit, quod propter Chriſtum gratis habeat remis-

remiſſionem peccatorum, juſtus reputetur in judicio Dei ac haeres ſit æternæ ſalutis Io. XVII. 3. 6. 8. Io. VI. 40. Epheſ. I. 13. 14.

1) Conf. COCCEIUS in Pſ. LXXVIII. 32. p. 337.

§. X.

Quantumvis autem Apoſtoli eorumque cooperarii omnem moverent lapidem, ut omnium animis veritatem Evangelii commendarent: præconium tamen Evangelii apud potiorem Iudæorum partem ſalutari fructu caruiſſe Propheta docet, Apoſtolorum & Evangeliſtarum nomine ingemiſcens: *Quis credidit præconio noſtro?* Verbis hiſce paucitatem eorum ſignificari, qui veritati locum dedere, & ad fidem perducti ſunt, ſupra obſervavimus, quibus addimus, iisdem verbis Prophetam clariſſime indicare, cauſam incredulitatis culpamque inde redundantem ipſis & ſolis refractariis Judæis tribuendam eſſe. Cum enim hoc præconio Evangelii Deus refractariis Judæis benignam ſuam & propitiam voluntatem de eorum ſalute vera in Chriſtum fide obtinenda manifeſtaret, eosque ad fruitionem tantorum beneficiorum invitaret, vocationem hanc ad Iudæos per præconium Evangelii directam, & ſufficientem, & ſeriam & efficacem fuiſſe conſtat. Illa autem voca-

vocatio dicitur ſufficiens, quæ ad finem obtinendum idonea eſt. Sufficientia igitur divinæ vocationis, quæ contumacibus Judæis obtigit, inde elucet, quia per præconium Evangelii facta eſt, quia nitebatur univerſali merito Chriſti Ieſ. LIII. 6. 1 Ioh. II, 2. & ſimul enarrationem omnis conſilii Dei de ſalute hominibus conferenda complexu ſuo continebat Act. XX. 21. 26. 27. Act. XIII. 46. Act. III. 26; immo quia præconium Evangelii præditum erat efficacia divina ſupernaturali ad producendam illuminationem regenerationem & ſanctificationem apta. Cum enim verbum Dei ſit medium ſalutis univerſale, & ad omnes homines ex ſeria Dei voluntate omnium mortalium ſalutis cupida pertineat 1 Tim. II. 4. 2 Pet. III. 9. Ezech. XVIII. 23. 32. Ioh. XX. 31, cujus ſeu præconio ſeu lectione Deus omnium auditorum & lectorum illuminationem & converſionem ſerio intendit Act. XVII. 30. Apoc. III. 20. ſemper quoque vehiculum eſt gratioſæ potentiæ Dei, quæ ad producendam converſionem adeoque ad accendendam fidem apta & ſufficiens eſt, niſi libera & malitioſa contumacia ab homine obex ponatur. Vis enim illa infinita & ſupernaturalis ad mutationes ſupernaturales in hominum animis producendas apta ex liberrima Dei ordinatione ita communicata eſt verbo, ut ſemper

&

& indivulſo nexu eidem juncta ſit Io. VI. 63. 68. Rom. I. 16. Hebr. IV. 12. 1 Pet. I. 23. Pſ. CXIX. 105. 1), nec unquam ab eo ſeparata ſit, ſed una actione cum verbo ad illas concurrat 2). Hæc igitur vis divina & efficacia ſupernaturalis verbo non ambulatorie & ex prævиſione temporis congrui competit, quo Deus verbum electis proponit non reprobis & moroſe reſiſtentibus, ſed omni tempore etiam tempore minus congruo, quo prævidit, eos illud eſſe repudiaturos, nam & illud tempus, quo reprobi vocantur, opportunum appellatur 2 Cor. VI. 2. Hebr. III. 7. Luc. XIX. 44. 3). Quoniam vero Deus ex lege infinitæ ſapientiæ ſemper rebus convenienter agit, nec proinde operationibus gratiæ libertatem humanam infringit, ac voluntatem ineluctabili modo ad unum oppoſitorum determinat, vis illa divina & ſupernaturalis verbo Dei intime communicata non agit abſolute, neque eo modo, ut nemo ei reſiſtere queat. Ieſ. LXV. 2. 3. Luc. VII. 30. Act. VII. 51. ſed ordinate operatur, & ita, ut natura mentis humanæ permittit, ac conditiones quasdam nimirum actiones pædagogicas exigit, quæ viribus naturalibus præſtari poſſunt, quales ſunt e. g. auditus verbi & externum ſtudium illud expendendi 4): id quod moralis hominum conditio requirit, ſine qua nullus imputationi locus foret.

Cum

Cum igitur vis divina verbi ſit ordinata, ſequitur ejus operationem ab hominibus impediri poſſe, adeoque reſiſtibilem eſſe. Reſiſtit autem homo vi ſupernaturali verbi Dei non tantum, cum verbum Dei audire, ejusque argumentum percipere plane detrectat, & hoc modo medium, cui ſe vis divina alligavit, plane reſpuit; ſed hac quoque ratione, cum illud quidem legit & audit, præjudiciis tamen intellectus & inordinatis voluntatis motibus indulgens obicem obvertit, ac impedit, quo minus vis divina verbo connexa ſeſe in ejus animo cum fructu exſerat. Licet enim requiſitis pædagogicis admiſſis verbum inſita hac ſupernaturali vi hominis animum commoveat, adeoque ratione primorum motuum vis illa irreſiſtibilis ſeu inevitabilis ſit, cujus luculentum exemplum in Agrippa Iudæorum Rege conſpicitur Act. XXVI. 28. 5): poteſt tamen homo motibus ab efficacia verbi ſupernaturali oriundis obicem ponere, eorumque ulteriorem progreſſum & fructum impedire. Hæc etenim animæ humanæ conditio eſt, ut & aliæ per alias heterogeneas ideas majori claritatis gradu gaudentes poſſint obſcurari & extingui, cum vel habitus admiſſa negligentia & oſcitantia pedetentim excuti queant. Quod reſpectu divinæ efficaciæ per verbum in

E animo

animo hominis se exserentis accidit, si homo mox præjudiciis mundique illecebris captus sua culpa salutari operationis divinæ progressu caret.

1) vid. HULSEMANNUS *Prælect. in Form. Conc.* Art. VIII. Sect. I. Part. II. p. 436. & cel. S. Iac. BAUMGARTEN *de Efficacia Scripturæ Naturali & supernaturali* §. XLVI. p. 37.

2) vid. IO. MEISNERI *Examen Catech. Palatini* Quæst. XIX. p. 234sq. & quæ adversus Iuricum monuit ZACH. GRAPIUS in Differt. *de verbi divini influxu in Conversione* §. 17.

3) vid. WILH. LYSERI *Comment. in Iob.* ad Cap. 6. §. LXX.

4) vid. *Declarat.* F. C. p. 671. & ÆGID. HUNN. Tom. I. Opp. p. 481.

5) vid. FECHT. *de ordine & modo gratiæ divinæ* Aphor. VIII.

§. XI.

Nec minus hanc vocationem Iudæorum seriam fuisse patet. Seriam appellamus vocationem, cum externa declaratio voluntatis cum intentione consentit. Fingas igitur declarationem externam voluntatis divinæ, qua Iudæis promissiones Evangelii obtulit, eosque ad fidem salutemque vocavit, non consentire cum ejus intentione: sic sequeretur, eum externe quidem significasse, se fore benevolum, interne autem & vera voluntate nunquam voluisse illis fidem ac salutem largiri. Contrariæ autem hoc modo in summo Numine statue-

ſtatuerentur voluntates, ſi in promiſſione & oblatione ſalutis eidem objecto externe ſignificaret, ſe fore benevolum; interna vero voluntate contrarium vellet, & re ipſa ſe præſtaret malevolum. Immo hac ratione benignæ invitationes & promiſſiones ad reprobos quoque directæ Matth. XXII. 3ſq. merae ludificationes creaturis nocivæ forent, adeoque ſimulatio mala & hypocritica Deo adſcriberetur, quam a natura Dei æternum eſſe alienam & notionibus divinæ Sanctitatis, Bonitatis, Sapientiæ, Iuſtitiæ & Æquitatis directe adverſari certi ſumus, cum exploratum ſit, Deum ſemper juſtificari in ſermonibus ſuis, & purum eſſe, cum judicat Pſ. 51. 6. 1). Subjungimus hiſce, quæ SIMON EPISCOPIVS nervoſe contra CAMERONEM urſit: *Hypocrita quin & Tyrannus foret* (Deus), *ſi videri vellet ſerio cupere ſalutem eorum, quos ſcientia voluntatis ſuæ prorſus ex ſe inefficace donat, cum eos ſcientiæ iſtius auxilio non modo non velit juvare ad ſalutem eorum promovendam, ſed contra ea uti velit ad damnationem eorum aggravandam* 2.) Seriam hanc contumacium Iudæorum Evangelii præconio compellatorum vocationem egregie docent inſignia & tenerrimi amoris plena Salvatoris verba Matth. XXIII. 37. propoſita, quibus Hieroſolymitanæ urbis cives, & generatim univerſum populum Iudaicum, ad quem ſub

Oeconomia N. T. Apoſtolos, & ante illam Prophetas miſit, ſibi refragantem alloquitur 3): *Ieruſalem, Ieruſalem, interemptrix Prophetarum, & lapidatrix eorum, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gallina aggregat pullos ſuos ſub alas & noluiſtis.* Virtutem, quam ad permovendos animos habet hæc optimi Salvatoris alloquutio, elegantiſſimis hiſce verbis SOVTHIVS expresſit: *O quam mollis tenera & flexibilis exprobatio! O quam incitata & vibrans communis doloris declaratio! O quam lamentabilis doloris expreſſio in hac Magni Doctoris, & Salvatoris animorum, elucet vituperatione* 4). Voluntatem Chriſti θεανθρώπȣ refractariis Iudæis declaratam præconio Evangelii, miſſione Apoſtolorum, Evangeliſtarum v. 34, & ante Prophetarum v. 35. 37. ſincerum & maxime ſerium eos congregandi ſtudium involvere, elegantiſſimum ſymbolum a naturali ϛοργῇ gallinæ, pullos ſuos non ſigno ſolum glocitationis, ſed ex intimo affectu congregantis & ſub alis protegentis, petitum luce meridiana clarius eloquitur 5). Vis quoque vocis ἐπισυναγαγεῖν hic non exteriore congregatione abſolvitur, ſed vel maxime congregationem ſpiritualem, cum ſtatu gratiæ conjunctam, quam ſalus æterna ex ſeria intentione divina ſubſequi debebat, indicat, quæ ſignificatio vocis συναγειν etiam

Io.

Io. XI. 52. obtinet 5). Ejusmodi enim congregatio hic intelligitur, quæ instituenda erat sub alis Domini per gratiam Salvatoris, quæ animis securitatem & quietem præstabat, & cum summa necessitudine singularique favore Dei ejusque præsidio, tutela & protectione credentibus propria conjuncta erat 7). Cum vero talis congregatio nemini nisi per fidem obtingat, seria simul voluntas Salvatoris hinc elucet, qua fidem in omnium Iudæorum animis verbo gratiæ accendere paratus erat, quos præconio evangelico donabat. Idem etiam ex Petri verbis, quibus Iudæos Act. III. 26. alloquitur, clarissime perspicitur: *Vobis primum Deus suscitans Filium suum Iesum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.* Quodsi igitur Iudæis, inter quos plurimi in incredulitate perseverarunt & reprobi fuere, Christus missus est ad benedicendum: ergo etiam missus est ad donationem seu collationem fidei, qvæ omnino ad hanc benedictionem pertinet, & salutare illud organum est, quo benedictionem per Christum partam nobis applicamus Gal. III. 9. Notandum denique est in verbis Matth. XXIII. 37. voluntatem humanam Christi a divina minime distinguendam esse. Si enim voluntate humana tantum Judæorum salutem voluisset, eandemque voluntate divina no-

luiſſet, voluntas humana Chriſti a divina ejusdem voluntate non tantum diverſa ut Matth. XXVI. 39, ſed quoque contradictorie ei adverſa fuiſſet, quod & clarisſimis Scripturæ ſacræ effatis contradicit Ioh. VII 16. 17. 28. Cap. XII. 49. 50. Cap. XIV. 10. & gloria Salvatoris indignum eſt, cui hoc modo peccaminoſa affingeretur voluntas, quæ ſcienter voluntati divinæ obſtrepuiſſet, cum tamen Chriſtus optime conſilia & decreta Dei noverit 8). His autem obſervatis ex hoc alloquio Salvatoris legitima & invicta conſequentia colligimus: Quicunque præconio Evangelii, quo Apoſtoli & Evangeliſtæ functi ſunt, ſerio intendit & voluit eorum etiam Judæorum congregationem ſpiritualem, cum fide & ſubſequente ſalute æterna conjunctam, qui noluerunt congregari & in incredulitate perſtiterunt, ille per hoc præconium Evangelii illos etiam, qui noluerunt congregari, & in incredulitate perſtiterunt, ad fidem & ſalutem ſerio vocavit. Atqui Chriſtus præconio Evangelii, quo Apoſtoli & Evangeliſtæ functi ſunt, ſerio intendit & voluit eorum etiam Judæorum congregationem ſpiritualem, cum fide & ſubſequente ſalute æterna conjunctam, qui noluerunt congregari, ſed in incredulitate perſtiterunt. Ergo Chriſtus per præconium Evangelii, quo Apoſtoli & Evangeliſtæ functi ſunt, illos

illos etiam Judæos, qui noluerunt congregari, & in incredulitate perſtiterunt, ad fidem & ſubſequentem ſalutem ſerio vocavit. Ratio connexi majoris propoſitionis hinc clara eſt, quia natura ſeriæ vocationis ad fidem & ſalutem in eo conſiſtit, ut externa manifeſtatio voluntatis divinæ de fide & ſalute eorum, quibus illa declaratur, (quæ hic Iudæis præconio Evangelii obtigerat) cum intentione & voluntate Dei approbante conſentiat, quæ ſub initium hujus paragraphi docuimus. Minoris propoſitionis veritas in dicto Chriſti proxime declarato continetur.

1) Egregie hanc cauſſam contra diſſentientes Reformatos plurimi noſtratium Theologi proſecuti, ſunt ex quibus IO. TAUFRER Diſp. IV. *Apolog. contra Piſcatorem* Theſ. 1 ſqq. IOH. GERHARDI *Diſp. Acad.* Diſp. VI. p. 120. IO. CONR. DANNHAUER. *Hodom. Spir. Calvin. Phantaſm.* III. p. 794. IOH. MUSÆI *Colleg. Controv.* p. 247. Theol. Darmſtad. *deductionem fundament.* pag. 66 ſq. PETR. HABERKORN *Admonit. contra Syncret.* P. II. Diſp. XV. ſqq. p. 329 ſqq. & cel. Theolog. Iulium J. E. SCHUBERT Diſſ. *de Volunt. Dei contra Wyttenbachium* p. 20 ſqq. producimus.

2) Vol. I. Opp. P. p. 307.

3) Non enim repetito verbo ἱερȣσαλημ primores tantum Judæorum & honeſtioris ordinis viros a Chriſto compellari, ſed generatim incolas urbis & omnes alios Judæos, qui ad illam ceu metropolin & ſacrorum ſedem confluxere, adeoque univerſum refractariorum Judæorum coetum intelligi IO. GERHARD. ſolide probavit

 bavit

bavit *Harm. Evang.* Cap. CLVIII. p. m. 435. Addatur IO. DALLÆUS *Apol. pro duabus Syn.* p. 145 sqq, qui hanc a Franc. Gomaro P. I. Opp. Theol. p. 85. assertam interpretationem merito vocavit novam, nullis exemplis firmatam, nullis rationibus fultam expositionem, & Celeb. nuper Remonstrant Theologus IOH. DRIEBERGE *de Prædest. & Gratia* cap. X. §. XXIII seq. p. 147.

4) *Sermon.* Vol. V. p. 496. cit. ab ANT. BLACKWALL Crit. S. N. T. ex edit. cel. Chr. Wolle pag. 169.

5) illustravit hoc symbolum præter S. BOCHART. *Hieroz.* P. II. cap. 18. p. 126. & cel. ELSNER *Observ.* S. P. I. pag. 107. ven. H. SCHARBAU rev. Min. Lub. Senior multis meritis & rara eruditione insignis Obs. S. p. 50.

6) Conf. eruditissimus LAMPE ad h. l. l. cit. p. 813.

7) vid. GLASS. l. c. p. 1608.

8) vid. DANNHAW. *Hodosoph. Phaen.* VII. p. 279. & *Dissert. IS. FAUSTII* ad Matth. XXIII. 37. quae extat in vol. Dissert. *Dannhaw.* p. 82 sqq.

§. XII.

Quoniam igitur in clara luce versatur, vocationem divinam præconio verbi gratiæ ad Judæos directam & sufficientem & seriam fuisse, eandem etiam simul efficacem fuisse liquet. Quodsi enim illa quoque voluntas divina merito efficax salutatur, quæ finem serio intendit, & huic obtinendo media idonea & sufficientia adhibet, quamvis simul ordinata sit, ordinem a Deo

a Deo sapientissime constitutum respiciat, a quo libertatis abusu creaturæ rationales recedere possunt: hæc vocatio χριστομαχων Judæorum hoc sensu omnino efficax fuit, quia Deus illa & fidem & æternam beatitatem Judæorum serio intendit (§. XI.), & media ad hunc finem sufficientia adhibuit. (§. X.) Sin autem eo sensu vocationem renitentium Judæorum inefficacem diceres, qvia finis ille particularis (nimirum conversio & salus eorum) a Deo serio intentus apud plurimos existentiam minime nactus est: equidem largior, hæc sano sensu dici posse, si ita intelligantur, ut ratio inefficaciæ minime in Deum derivetur, sed tantum in homine sita sit (Quia Deus in oeconomia gratiæ nihil ad existentiam perducit, quod eius ordini sapientissime constituto adversatur.) Meminimus etiam eodem sensu acutissimum Theologum BALTH. MEISNERVM termino *gratiæ inefficacis* uti, quæ scilicet, cum sortiri posset suum eventum pro innata vi & ἐνεργεια, non tamen actu ipso sortitur 1). Consultius tamen est ob ambiguitatem termino *vocationis inefficacis* abstinere, quod etiam ex hac ratione maxime decet, quia in omni vocatione divina, quæ præconio verbi gratiæ peragitur, etiam quoad eventum se efficacia gratiæ semper cessante libera & voluntaria resistentia exserit. Liceat nobis haecce con-

ſummatiſſimi noſtri DORSCHEI verbis illuſtrare: *Efficax*, inquit, *eſt voluntas decernens & operans, ſi de determinatione ultima, & fine immutabili, quem univerſim in rerum ſerie poſuit omnipotentiſſimus, accipias. Impediri Dei voluntas proprie nequit. Poteſt tamen ordinem rerum conſtituere, & ad illum ampliſſimas beneplaciti divini ſignificationes alligare, cui dum pertinax malitia refragatur, moraliter impeditur, dum propter illam renitentiam ſe non applicat ſubjecto, quod nova excitata pertinacia extra ordinem deſcriptum moratur. Efficax ergo eſt voluntas Dei non tantum actu primo ſed & actu ſecundo, dum motibus & ſuggeſtionibus excitatis ſubjectum propoſitum afficit. Non igitur in officina ſua ſubjectis ordini ſuo applicandis caret ἐνέργεια, immo etiam ad ἐνέργημα quodpiam non raro progreditur, licet malitia ἀποτέλεσμα oriri non permittat.*

1) vid. *BALTH. MEISNER Anthrop. S.* Diſp. XI. §. 40. p. 25.

2) *DORSCH. de Volunt. Dei contra Triglandium* p. 15.

XIII.

Accedimus tandem ad conſiderationem poſterioris hemiſtichii, quod querela interrogatione de defectu manifeſtationis brachii Jehovæ abſolvitur. Quærit nimirum Apoſtolorum perſonam induens Propheta: וזרוע יהוה על־מי נגלתה: *Et bra-*

brachium Domini in quo revelatur? Pervulgatum quidem eſt, brachium in Scriptura S. Deo idcirco translata locutione tribui, ut potentia eius innuatur, cum in hominibus præcipue per brachia corporis robur exſeratur: Ex. XV. 16. Iob. XL. 4. Pſ. LXXVII. 16. Ier. XXXIII. 17. 1) & obſervatu imprimis dignum eſt, frequentioris uſus hanc phraſin Jeſaiæ eſſe, eademque ſæpe divinam Meſſiæ potentiam notari, Ieſ. XL. 10. LIX. 16. LXIII. 5. Sed tamen non continuo, ut hæc verba prophetica percipimus, quid proxime iisdem deſignetur nobis conſtat. Denotari ſimul hoc loquendi modo divinam Meſſiæ potentiam tota textus *συνάφεια* nos docet, & ex infra dicendis luculentius apparebit. Quæritur autem, an etiam hæc phraſis præterea divinæ Meſſiæ perſonæ περίφρασις ſit. Prius igitur quam noſtram ſententiam proferamus, varias eruditorum interpretationes indicabimus. GLASSIVS noſter clariſſimi nominis Philologus & Theologus *Brachium Iehovæ* hoc loco doctrinam Evangelii notare exiſtimat, quod videlicet *potentia Dei ſit ad ſalutem omni credenti.* Rom. I. 16. 2) Præivit Glasſium BEZA in Io. XII. 38. & FR. IVNIVS ad h. l. Commendatur eadem interpretatio ut ſimpliciſſima ab AND. RIVETO 5). Doctiſſimo etiam Reformatæ Eccleſiæ Theologo C. VITRINGÆ eadem placuit ſententia.

tia. Cum enim voce שמועה præconium Evangelii in priori hemistichio significari probasset: *Idem*, inquit, *hic intelligitur per brachium Iehovae. Est enim Evangelium Christi potentia Dei ad salutem cuivis credenti Rom. I. 16, hunc ipsum locum ut videri queat respiciens* 4). Io. Marckio omnia facilius fluere videntur, *si brachium simpliciter de potentia Domini irresistibili exponatur* 5). Illam autem hic notari potentiam Dei existimat, quæ in conversione hominum ad fidem necessaria est. Cum igitur existimet ex hac phrasi hypothesin gratiæ irresistibilis, infelicis illius absoluti decreti surculi, legitime colligi: in rationes ejus hic disquirere ab instituto nostro alienum non erit. Urget nimirum I. hanc esse primam loqvutionis figuratæ *brachii Iehovæ* significationem, ut potentiam divinam absolutam & insuperabili modo agentem indicet. II. Allegat dictum Ies. LII, 10. ex quo constare autumat, potentiam, qua Deus in convertendis hominibus utatur, esse insuperabilem. III. Idem ex loco Ephes. I, 19. inferri. IV. Objicit conversionem *vivificationis*, *generationis*, & creationis nomine venire. Cum vero duabus posterioribus rationibus a nostris Theologis solide satisfactum sit 6), duas priores paucis expendemus. Notamus igitur ad N. I. Quamvis diffitendum non sit, hanc phrasin insupe-

ſuperabilem potentiam inferre, cum de ejus generis miraculis, quæ et ſupernaturalis & ſimul abſolutæ potentiæ opera ſunt, uſurpatur; falſum tamen eſt, hanc ſignificationem obtinere, cum ad deſignandum gratiam convertentem transfertur. Haec enim interpretatio per alia clariſſima Scripturæ S. loca pro illegitima habenda eſt, quæ nos docent, gratiæ in ſe efficaci reſiſti poſſe, eandemque a pertinaci reſiſtentia liberi in malo arbitrii ſæpe impediri, ut effectus ſalutaris ordinato agendi modo produci intentus non obtineat Matth. XXIII, 27. Ioh. V. 34. Luc. VIII,30. Ierem. VIII, 25. Ezech. XVIII, 31. Eſt ſane converſio ſolius Dei opus, nec homo quicquam ad eandem ex ſuis viribus conferre poteſt. Ier. XXI, 18. 2 Cor. III. 15. Epheſ. I. 15, ac a Deo ſolo & vires poenitendi & credendi donantur, & ab eodem in ſubjecto convertendo in actum deducuntur Phil. II, 13: immo ipſa ceſſatio ab exercitio naturalis reſiſtentiæ eſt effectus gratiæ prævenientis per inſitam verbo vim ſe exſerentis, qua homini vires ſuppeditantur, ut poſſit non reſiſtere, & actu etiam, quantum ad ineptitudinem naturalem ſpectat, non reſiſtat. Quia tamen gratia præveniente non habitus tollitur, ſed ſolus actus cohibetur, hinc etiam reſiſtere poteſt homo poſt hanc ceſſationem a gratia profectam, & libera ac volun-

voluntaria contumacia impedire, quo minus conversionis ἀποτέλεσμα in actum deducatur 7). Sic Ies. XL. 11. Christus pastor Israëlis dicitur *brachio suo colligere agnellos*, h. e. providentia & gratia tenellos credentes & infirmos in fide sustentare. Quoniam vero hanc gratiam in regno gratiæ non absolute sed ordinate per organa salutis excercet, admodum perspicuum est, voce *brachii* potentiam etiam ordinatam, talemque, quæ insuperabilem agendi modum non observat, indicari. Præclare ad hunc locum b. LVTHERVS commentatur: *Magna autem hæc consolatio est, quod omnes, qui quoquo modo verbo adhæserint, quantumvis infirmi in regnum Christi recipiantur, & soli increduli excludantur* 8). Fidelissimus scilicet Ecclesiæ pastor ex divitiis gratiæ suæ sufficientia credentibus auxilia præbet, auget, eaque semper augere paratus est; hoc tamen ordine in largiendis gratiæ thesauris progreditur, ut illos per organa salutis, verbum nimirum gratiæ & sacramenta dispenset, nec irresistibili agendi modo utatur. *Non enim placuit Deo omnem suam potentiam in hoc negotio adhibere: placuit funibus nos trahere non vitulinis, sed humanis Hos.* XI. 4. 4). Accidere nihilominus potest, ut fidelis organa salutis negligat, & sua culpa denuo sub peccati dominium redigatur, adeoque brachio pastorali obnitatur. Moni-

Monita enim divina ad perſeverantiam, dehortationes a ſecuritate inania & mera fulgura ex pelvi eſſent, ſi credentes gratia excidere non poſſent 10). Accedit, quod ſimilis loquutio, qua *manus* Deo in Scriptura S. tribuitur, itidem ſæpe potentiam Dei abſolutam & inſuperabili modo agentem indicet, quod præter alia loca ſequentia docent: Num. XI. 23. Iob. X. 8. Deut. IX. 26. 29. Act. IV. 30. Sed tamen manibus Domini expanſis Judæos reſtitiſſe Ieſ. LXV. 2. 3. edocemur. In hoc enim loco expanſione manuum Domini ſerium Dei ſtudium Judæos ex miſeria ſtatus peccati eripiendi denotari, & ſufficientem gratiæ oblationem indicari, qua converti & ſalvari potuiſſent, ſole meridiano clarius apparet. Imprimis igitur in metaphoricis loquutionibus illud obſervandum eſt, propter quod & in quo ſimilitudo conſiſtit. Cum ergo miracula divina in Ægypto edita & operationes Spiritus S. in animis peccatoris effecta brachii Dei dicuntur, hunc in modum hæc intelligenda ſunt, quod miracula Ægyptiaca abſolutæ quidem & irreſiſtibilis potentiæ opera ſint, ſed operationes Spiritus S. ſint ordinatæ & potentiæ non inſuperabili modo agentis opera, nihilominus tamen in eo omnia hæc effecta exacte convenire, quod ſint ſupernaturalia. II. Nec quicquam præſidii gratia irreſiſtibilis in verbis pro-

pheti-

phetis Ief. LII, 10. invenit: *Iehova nudavit brachium ſanctitatis ſuæ coram oculis omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.* Graviſſimo hoc & inſigne pondus habente loquendi modo, quo Deus dicitur nudaſſe brachium ſanctitatis ſuæ in oculis omnium gentium, innumera gratiæ & potentiæ Dei effecta indicari, modo maxime glorioſo & illuſtri patrata, equidem non negaverim. Clariſſime enim hiſce verbis ad profectus & incrementa Evangelii inter gentes reſpicitur, & innuuntur ſimul ſupernaturales effectus in ſignis & prodigiis præconium Evangelii comitantibus, ac in ereptione hominum ex poteſtate Satanæ, ſuperſtitionis, erroris & ſcelerum demonſtrati, ut adeo metaphora ducatur a ſtrenue laborantibus quibus ſolenne eſt brachium exſerere, illudque interdum ad removenda veſtium impedimenta nudare. 11). Depingitur ergo magnifica phraſi prophetica ἐνεργεια potentiæ divinæ πολυμερῶς & πολυτροπως ſub Oeconomia propagationis Evangelii agentis, operantis ſcilicet *abſolute* reſpectu ſtupendorum & extraordinariorum miraculorum, & *ordinate* per præconium Evangelii reſpectu effectuum gratiæ in converſione gentium, quarum animi non irreſiſtibili modo ad credendum flectebantur. Sed de MARCKII ſententia, qua τῃ ὑποθεσει δυλευειν ſtuduit nobis

nobis dicta sunto. Superest, ut hic etiam F. A. Lampii, Theologi quondam Ultrajectini & Bremensis doctissimi, mentionem injiciamus. Observat autem, *brachio Iehovae* respici ad Iehovam a Iehova, quem chorus alloquitur, distinctum, Filium nempe Dei, cuius potentia divina brachii voce in Scripturis insigniatur. Ex. XV. 16. Iob. XL. 4. Ps. LXXI. 18. LXXXIX. 11: illam denique potentiam hic intelligendam esse, quam in regno gratiæ per operationes Spiritus S. exserat, & hinc conjicit proxime sub hoc emblemate Spiritum S. designari 12). Licet autem non eamus inficias, Lampium singulari studio sententiam suam expolivisse, ex dicendis tamen apparebit, illam emphasi dictionis *brachii Iehovæ* in nostro loco non satisfacere. Nec præterea dissimulandum est, eo simul spectare orationem Lampii, ut absoluti decreti indeque derivatæ gratiæ irresistibilis paroxysmi purpurea chlamyde obtegantur.

1) Conf. FLACIUS & RAVANELLUS ll. cc. voce brachium.
2) Phil. S. l. V. Tract. 1 Cap. VII. p. 1542.
3) RIVETUS in Cap. LIII. Ies. T. II. Opp. p. 815.
4) VITRINGA l. c.
5) vid. *ejus Analysis* Cap. LIII. Ies. p. 11 sq.
6) Conf. ad locum Ephes. I. 19. CHRIST. FRANCKII *Exercit. Anti-Wendelin.* Exercitat. VI.

VI. §. XIV. p. 338, & MOEB. *Differt. Theol.* p. 484. Quartam Marckii rationem, qua ex nominibus Converſionis, *generationis*, *vivificationis*, & *creationis* ad gratiam irreſiſtibilem temere concluditur, luculenter refellit b. HULSEMANN. *Vindic. SS.* Artic. XXII. p. 80 ſqq. cui addatur cel. CANTZIUS *Conſenſus Philoſ. Wolfianae cum Theologia* l. 1. Pſychol. n. XI. p. 396.

7) vid. b. DORSCHEI *Pentadecas Diſſ.* IX. p. 317.

8) *Opp. latin. Tom. III.* Jen. p. 5736.

9) Sunt verba b. DANNHAWERI *Hodoſ. Phoenom.* IX. p. 433.

10) Leg. quæ ſolidiſſimus DANNHAW. *Hodom. Sp. Calvin.* Phantaſm. IX. p. 2013 ſqq. præclare tradidit.

11) vid. FLACIUS V. brachium & GLASSIUS l. c.

12) l. c. p. 894 ſq.

§. XIV.

Subjungamus autem variis hiſce phraſeos *brachii Iehovae* interpretationibus hucusque a nobis allatis noſtram ἐπικρισιν. Quod igitur eorum attinet ſententiam, qui hanc dictionem per Evangelium explicant, nihil quidem incommodi hanc expoſitionem habere fatemur, ſi hypotheſis gratiæ irreſiſtibilis cum illa non conjungatur, quod Reformatis interpretibus in more poſitum eſt: illam tamen nec connexioni textus ſatisfacere nec allegationi S. Iohannis convenire exiſtimamus. Si enim connexionem textus conſulamus, emphatica hæc dictio hoc loco omnino complectitur divinam potentiam aſſumtæ humanæ Chriſti naturæ communi-

municatam, qualis videlicet ad opus redemtionis perficiendum neceſſaria erat. Quamvis enim ſponte ſe abdicaverit Salvator patiens exercitio illius roboris divini, quod expiationem peccatorum impedíviſſet, non tamen vel in ἀκμῃ diriſſimorum dolorum conſtituti unio perſonalis ſoluta, & quæ hinc indivulſo nexu ſequitur communicatio idiomatum divinorum ſublata eſt; ſed tum quoque erat *Dominus gloriæ* 1 Cor. II, 8. pollens infinita vi, quæ & animam ad ſuſtinendam iræ divinæ molem ſuſtentabat, eamque in ſumma ſanctitate conſervabat, ut adeo par eſſet Meſſias peccatorum humani generis oneri ferendo, ac ſacrificio infiniti valoris iratum Deum placaret. Clariſſime hoc ex oratione recens converſorum Judæorum immediate ſequente, capitis ſcilicet hujus v. 4. 5. 6. colligitur. His enim eo ipſo *brachium Iehovae* manifeſtatum erat, quia & finem & effectum paſſionis roburque Meſſiæ in redemtionis opere lucens ſalutariter intelligebant. Allegatio quoque commatis noſtri prophetici, quæ Io. XII, 38 extat, evincit, hac phraſi divinam potentiam aſſumtæ humanæ Chriſti naturæ communicatam indicari. Cum enim divus Apoſtolus commate præcedente 37 dixiſſet, pauciſſimos Judæorum poſt tot divinæ virtutis Chriſti ſpecimina crediſſe, v, 38, affirmat, eveniſſe ita, quod

Jesaias prædixisset; paucissimos scilicet cognovisse brachium Domini, seu divinam & Messiæ propriam virtutem in istis signis se exserentem i). Ex hisce, quæ modo diximus, patet, interpretationem etiam Ioh. Marckii gratiam convertentem irresistibilem ex hac dictione exsculpentis a vero abludere, nec Lampii sententiam, qua *brachium Iehovæ* symbolum hic esse Spiritus S. asseritur, rem acu tangere. Quia emphatica hæc loquutio hic etiam vel maxime indicat potentiam Filii Dei relate consideratam & robur in redemtionis opere quoad acquisitionem spectato, talesque potentiæ effectus, qui ab operationibus Spiritus S. oeconomicis distinguendi sunt.

i) Conf. IOH. TARNOV. *Comment. in Cap. LIII. Ies.* qui *Comment. ejus in Psalmos passionales* additus est p. 425, W. LYSERI *Disput. in cap. XII. Job.* §. LX, & IO. GERHARDI *Exeges. Loc. IV. de persona & officio Christi* §. 250. p. m. 1415.

§. XV.

Haud obscure tamen ex oratione Prophetæ immediate sequente apparet, in querela hac prophetica phrasi *brachii Iehovæ* non tantum potentiam divinam sed simul subjectum ipsum seu personam illam indicari, cujus humilis ac miserrimus status & assumtio in gloriam mox describitur. Repetimus hic, quod Propheta in loco nostro Apostolos primosque Evangelii præcones loquentes introducat, qui de Judaicæ gentis

tis incredulitate conqueruntur, & quod inde v. 2. 3. 4. a choro recens converſorum Judæorum incredulitatis cauſa allegetur, quæ erat præjudicium Judæorum de ſtatu humili & diriſſimis Chriſti paſſionibus, quas auguſtiſſimæ Perſonæ Meſſiæ minime convenire opinabantur 1). Sed hanc orationem recens converſorum Judæorum hunc in modum decurrere videmus, ut v. 2. usque ad finem v. 10, quo terminatur, ſubjectum perſonale non expreſſis verbis efferatur, verum affectiones Meſſiæ, & quæcunque ipſi evenere, enarrentur. Cum vero oratio recens converſorum Judæorum querelam Apoſtolorum excipiat, & ceu reſponſum ad eandem reſpiciat, ſimillimum omnino veri erit, ſubjecti perſonalis περίφρασιν dictione brachii Jehovæ contineri. Aptisſime profecto ad *brachium Jehovæ*, cujus v. 1. mentio facta eſt, verba Prophetæ referuntur, quibus v. 2. orditur: ויעל כיונק לפניו *Atqui aſſurgit ut tenera planta coram ipſo* &c. Quamvis enim doctiſſimus LAMPIUS nihil obſtare arbitretur 2), quominus ad *Servum Jehovæ*, de quo ſub finem Cap. LII, 13. dictum erat, referantur; longe tamen probabilius aſſeritur ויעל ad *brachium Jehovæ* ſpectare, quia oratio hæc cum qverela immediate præcedente arctius cohæret, & ceu reſponſum eandem reſpicit, quam cum oratione Dei Patris Cap. LII. 13. 14. 15. tradita. Ut

vero prætermittam. minime a magnifico S. Iesaiæ ſtylo alienum eſſe, ſubjectum perſonale figurata oratione deſcribi; dixerim tamen eodem jure hoc loco phraſin *brachii Iehovæ* περιφρασιν eſſe Filii Dei, quo Luc. I. 78. ἀνατολη ἐξ ὕψους & Hebr. I, 3. ἀπαυγασμα της δοξης appellatur. Accedit, Filium Dei in Scriptura S. vocibus aequipollentibus deſcribi. Sic enim Luc. I. 35. δυναμις ὑψιστου. 1 Cor. I. 24. θεου δυναμις ſunt deſcriptiones Chriſti 3). In hac denique figurata periphraſi perſonæ Filii Dei, qua *brachium Iehovæ* vocatur, ſimilitudo ſibi ſatis concinne conſtat. Sicut enim brachium ex corpore quaſi egreditur, ſic Chriſtus per æternam nec rationis ſibi relictæ decempeda dimetiendam nativitatem a Patre egreditur Mich. V. 1. Quemadmodum homines per brachium opera edunt, ſic Deus per Filium omnia operatur Ioh. I. 3. 4). Non igitur ex eo capite ab hac interpretatione alienum nos gerere animum cum ALEX. MORO 5) decet, quia Hæretici Trinitatis myſterium inficiantes inde errori ſuo quæſiverunt patrocinium. Nonne enim multa alia ſacrarum litterarum effata nobis ex eadem ratione intacta relinquenda eſſent, quæ errorum promachi præter fas in rem ſuam vertere ſolent? Quodſi præterea loquendi modus, quo Filius Dei brachium Jehovæ appellatur, ab Anti-

Anti-Trinitariis arripiatur, non alia ratione id evenire potest, quam si omnimoda similitudo in translato dicendi genere urgeatur. Insulse autem hoc fieri & invitis justis interpretandi regulis clarissime constat. Hinc AVGVSTINVS, cum aliquando Sabelliani ex hac phrasi inferre studerent, Patrem & Filium non esse distinctas personas, futilem hanc objectionem proponit & solide his verbis refutat: *Ecce videtis, quia solus est Pater, si brachium ejus est Filius. Non enim duæ personæ, sed una Persona est homo & brachium ejus; non intelligentes neque advertentes quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur propter aliquam similitudinem etiam in loquutionibus quotidianis de visibilibus & notissimis rebus, quanto magis, ut nobis ineffabilia qualitercunque dicantur, quæ dici sicuti sunt omnino non possunt. Nam & homo alterum hominem, per quem solet agere, quicquid agit, brachium suum appellat* 6). Observatu præterea minime indignum est, non hoc tantum loco, sed & in illustri dicto Ies. LI. 9. phrasi *brachii Iehovæ* Filium Dei indicari, de quibus luculentius in proxime sequenti Volumine Fasciculorum horum litterariorum agemus. Ceterum interpretatio nostra, qua dictionem hanc in querela nostra prophetica περιφρασιν Filii Dei esse arbitramur, quamque quantum fieri potuit ornare studuimus,

mus, antiqua eſt, & præſtantisſimis Eccleſiæ antiquæ Doctoribus EVSEBIO 7), ATHANASIO 8), AVGVSTINO 9), HIERONYMO 10) aliisque placuit, immo etiam pari incomparabili Eccleſiæ noſtræ Theologorum MART. CHEMNITIO 11), & IOH. GERHARDO 12), ac ex Reformatis FR. GOMARO 13) & CAPELLO 14) ſeſe commendavit. Minime vero negandum eſt, cauſſam hanc ſatis bonam non ſemper optime defenſam eſſe. Sic enim CAPELLVS probaturus, Filium Dei quoque alibi *brachium Domini* appellari, minus recte ad Ieſ. XL. 10. provocat, cum ex connexione textus conſtet, Dominum, a quo brachium diſtinguitur, eſſe Paſtorem Iſraëlis ſeu Mesſiam, adeoque ibi hanc phraſin non ſubjectum perſonale ſimul indicare, ſed tantum potentiſſimum ejus dominium, quod in regno gratiæ exercet, deſcribere 15).

1) Conſentit nobiscum *VITRINGA* l. c. p. 657.

2) Loc. cit.

3) Diverſa quidem dictionis δυναμις ὑψιςȣ explicatio eſt, aliis Spiritum S. aliis in genere omnipotentiam Dei intelligentibus. Conf. b. *WOLFII Cur. Philol. Crit.* ad h. l. Placet autem nobis, Filium Dei hoc loquendi modo deſcribi, quam interpretationem ex antiquioribus ſuam fecere *IVSTINVS MARTYR Apol.* II. Opp. p. m. 75. edib. Francof. *TERTVLLIANVS contra Praxeam* cit. *DANNHAW. Dram. S. Phoen.* VIII. p. 255. *DAMASCENVS de orthodoxa fide.* l. III. cap. II. p. 166. edit. *Baſileenſis*, & ex recen-

recentioribus inter alios b. *IO. FEURBORN Fascic. III. Dissert.* Disp. VII. n. 7. p. 300. *IO. ERN. GERHARDVS Diss. ad Luc. I.* 35. & *VITRINGA Observ. S. l. I.* p. 145. Præferendam hanc esse sententiam hinc patet, quia 1) in Scriptura S. frequens est, filium imprimis primogenitum nomine *virtutis* venire Gen. XLIX. 3. Deut. XX. 17. Act. VIII. 10. 2) Qvia alias angelus nec quæstioni Mariæ nec sequenti propositioni, quam ex hac infert, satisfecisset. Prædixerat angelus Mariæ, quod Filium paritura esset, qui esset *filius Altissimi* Luc. I. 32. Commate autem 35 Mariæ nuntium hoc demiranti angelus respondet. Quodsi tantum angelus indicaret, hunc partum supernaturali modo efficiendum esse, nondum quæstioni Mariæ satisfactum esset. Immo etiam exinde non posset inferri, quod angelus hinc colligit, dicens: διο και το γενωμενον ἅγιον κληθησεται υἱος Θεȣ. Nec enim Isaacus, nec Iohannes Baptista ex hac ratione Filii ὑψιςȣ appellati sunt, quod eorum matres supra ordinem naturæ pepererunt. Ex ipsa igitur cohærentia orationis angelicæ conficitur, phrasi δυναμεως ὑψιςȣ Filium Dei indicari.

4) vid. *IO. GERHARD Harmon. Evang.* Cap. CXLVIII. p. m. 152.

5) *Not. ad Ies. LIII.* cit. a *WOLFIO* in *Curis Phil. ad Ioh. XII.* 38.

6) *Tract. LIII. in Ioh. Tom. IX. Opp.* p. 470. edit. Lugdunensis.

7) *EVSEB. Demonstr.* Evang. lib. III. cap. 2. cit. Riveto.

8) *Athanas. Tract. de communi essentia Patris Filii & Sp. S.* Tom. I. Opp. fol. 230. edit. Commelin.

9) Tom. IX. Opp. p. m. 469. l. c.

10) Tom. V. Opp. p. 165. *Comment. in Ies.* ad h. l.

11) De duabus naturis in Christo c. 28. p. m. 165.
12) l. c. 13) Opp. p. 351.
14) cit. a LAMPIO l. c.
15) Conf. *VITRINGA* ad h. l. & *LAMPIVS* l. c.

§. XVI.

His igitur consideratis, ad ea, quæ in expositione huius hemistichii restant, pergimus. Queritur autem Propheta: על־מי נגלתה *super quem*, sive *cui revelatum est*. Dicitur autem radix גלה in sensu proprio de revelantibus seu velum alicujus rei devolventibus Lev. XVIII, 6. Ies. XLVIII, 3. & hinc tropice perinde ut Græcorum ἀποκαλυπτειν & Latinorum *revelare*, *detegere* ad quamcunque patefactionem & manifestationem defertur 1). Sic 1 Sam. III. 7. Amos III. 7. de divina rerum futurarum revelatione, quæ Prophetis obtigit, legitur. Ies. XL. 5. revelationem gloriæ Iehovæ cap. LVI, 1. & Ps. XCVIII. 2. revelationem Iustitiæ divinæ notat. Voces etiam græcas ἀποκαλυπτειν & ἀποκαλυψις in N. T. adhiberi, cum de viva & salutifera Christi notitia adeoque illuminatione cum vera fide connexa sermo est, sequentia loca testantur. Matth. XVI, 17. 1 Corinth II. 10. Ephes. I. 17. Facili proinde negotio genuinum posterioris hemistichii sensum perspiciemus, si collationem prioris hemistichii *Quis credidit præconio nostro* cum posteriori *Brachium Iehovæ cui revelatum est*, instituamus. Hinc enim clarissime constat,

Pro-

Prophetam Apoſtolorum loco loquentem de raritate vivæ notitiae Chriſti ſeu fidei inter Iudæos, in animis eorum mediante *præconio* Evangelii ceu divitus ordinato medio Rom. X. 17. accendendæ queri. Quod enim antea Propheta dixerat: *Quis credidit*, in poſteriori commatis hemiſtichio his verbis explicat: *Cui revelatum eſt*. Hæc igitur vera poſterioris hemiſtichii ſententia eſt: Quam pauci ſunt ex gente Iudæa, a quibus Chriſtus objectum illud fidei primarium ac divina ejus & invicta virtus in redemtione generis humani lucens ſalutariter & ita cognoſcitur, ut ex præconio Evangelii ad fidem perducantur. Chriſtus ſcilicet ejusque virtus ex opere redemtionis conſpicua minime vera fide a magna Iudæorum multitudine, qui in incredulitate perſeverabant, agnoſcebatur, cui propter obedientiam in ſtatu exinanitionis præſtitam ex accidenti ſcandalo erat Ieſ. LII, 14. 1 Cor. I. 23. Obſtinatæ enim contumaciæ indulgentes, & præjudiciis capti vocationi divinæ non obtemperarunt, nec patientem aurem præconio verbi commodarunt, ordinemque ſalutis ingreſſi ſunt, ac hinc *brachium Iehovæ* (Chriſtus cum beneficiis iisdem oblatus) non fuit illis revelatum, ut fide nimirum illud amplecterentur. Quemadmodum proinde ratio incredulitatis Judæorum non in inſufficientia gratiae oblatæ

tæ quærenda est, quod supra occupavimus, cum vocationem Iudæorum refractariorum sufficientem, seriam & efficacem fuisse demonstravimus (§. X. XI. XII.); sic quoque ratio non factæ revelationis ex sola Judæorum malitia gratiæ divinæ obstrepenti derivanda est. *De tali enim revelatione* (utor verbis b. GERHARDI, quæ hic extent, longe dignissimis) *hic loquitur Propheta, quæ consideratur non tantum ratione termini a quo, respectu Dei vocantis & invitantis omnes ad Christum Ies. LXV. 2: sed etiam ratione termini ad quem, respectu hominum vocationem illam amplectentium. Ibi vero mira paucitas occurrit eorum, quibus hoc modo brachium Domini est revelatum. Plerique enim oculos suos claudunt, quo minus brachium Domini videant, fide illud amplectantur & ad salutem perducantur. Hoc sensu sumitur, verbum* גלה *1 Sam. III. 7. Ies. XL. 5. & vox* ἀποκαλύψεως *Matth. XI. 25. Cap. XVI. 17. Luc. X. 21. 1 Cor. II. 10. Gal. I. 16. Ephes. III.* 2) Verbis igitur *cui revelatum est* indicatur actionis divinæ universaliter operari intendentis receptio ab ipsa hominum voluntaria, libera ac evitabili pertinacia ad tantum actualiter conversorum paucitatem redacta 3).

1) Leg. *CASP. NEVMANNI Exodus Ling. S.* voce גלה. 2) *Harmon. Evang.* l. c. p. 152.

3) Conf. *DANNHAW. l. c. Phantasm.* IX. p. 1929, cui add. *W. LYSERI Dissert. in Cap. XII. Ioh.* §. LX.



IV.

IV.

ORACULUM
Epist. ad Hebr. c. IX. c. 11. 12. illustratum,

autore

ANDR. GOTTL. MASCH.
P. A.

§. I.

Epistola ad Hebræos perscripta, quamvis & Judæis convincendis & jam convictis in agnita veritate confirmandis maxime inserviat, nec non optimum inter V. & N.T. nexum & harmoniam commonstrans typos V.T. authentica expositione explicet, varios tamen nacta est, vel studio novitatis, vel erroribus & præconceptis opinionibus ductos adversarios, qui vel de auctore & auctoritate ejus canonica, vel de lingua authentica, vel de scopo & vero epistolam interpretandi modo, varia disputarunt. Jam olim Patrum ecclesiae tempore, qui de eo, an S. *Paulus* auctor scriptorque sit, dubitarunt, non defuerunt: quorum alii epistolam apocrypham, h. e. cujus auctor incertus

certus ſit, nuncuparunt, alii vero eandem ob cauſam auctoritatem ejus canonicam plane negarunt. *a*) Lingua hebraica epiſtolam primo conſcriptam fuiſſe, plures asſerunt antiquitatis teſtes, ſibi tamen parum conſtantes, quos ex recentioribus nonnulli ſequuti ſunt, qui a plurimis diſſentire, & cum pluribus ſentire malunt *b*). Sunt denique, qui Auctorem Epiſtolæ, non *Chri-*

ſti

a) Quæ huc in cenſum venire poſſunt, omni ſtudio excusſit *IOSEPH. HALLETVS*, jun. in Diſſert. de auctore & lingua authentica Epiſt. ad *Hebr.* adjuncta *IAC. PEIRCEI* paraphr. & not. in Epiſt. *Lond.* 1724. quam nobis latinam dedit cl. *IOH. DAV. MICHAELIS*, *Halæ Saxon.* 1747. 4. Diſſertationem *Halleti* latina veſte donatam adjecit *I. C. WOLFIUS* tom. 4. Curar. Conf. quoque *FR. SPANHEMIUS* de auctore Epiſt. ad *Hebr.* tom. 2. op. p. 171. *PETR. DAN. HUETII* demonſtr. evangel. propoſ. I. pag. 39. edit. 1694. 4. *RICH. SIMONII hiſt. crit. du T. du N. T. ch.* 16. p. 171. *IOH. GEORG. PRITII* introd. in N. T. c. 4. p. 37. edit. *Hoſmanniana.* Id unicum addam, editorem anonymum N. T. *in greek and Engliſh. Lond.* 1729. in notis vol. 2. p. 838-857, eo omnem intendere nervum, ut auctorem Epiſtolæ Judæum quendam helleniſticum fuiſſe, evincat, qui dogmata Chriſtianæ religionis ſecundum morem interpretandi allegoricum Judæorum & inprimis *Philonis* expoſuerit: quorſum ſequentia tendunt: . . . *the myſtical divinity was ſo much in vogue in his time that the apoſtles thought it proper to accommodate themſelves to the genius of the age; and probably the author of the epiſtle to the Hebrews, whoever*

sti Servatoris nostri meritum & satisfactionem vicariam cum sacrificiis V. T. comparare, sed οικονομιαν N. T. per accommodationem, desumtis a cultu levitico formulis loquendi, explicare & ad captum Judæorum accommodare, sibi persuadent *c*). Sed quidquid adversarii huic epistolæ obvertant; antiquitatem tamen Iudaicam huic Epistolæ maximam lucem foenerari, nemo unquam negabit.

§. II.

whoever he vos, gave into the allegorical way with less reluctance for having read Philo's writings. Quid vero de auctoritate canonica sentiat, ex dictis non difficile est dijudicatu.

b) Lingua hebraica originalis visa est quibusdam antiquis ecclesiæ doctoribus, ut *CLEMENTI ALEXANDRINO, EVSEBIO & HIERONYMO*, quos sequitur modo laudatus *HALLETVS*, cujus vestigiis inhæret *CL. MICHAELIS* tum in notis ad *PEIRCEUM* tum in *Einleitung in die göttl. Scrifft. des N. T.*, §. 145. p. 583.

c) Spectant huc verba *TH. EMLYNI* in *Answer to Mr. Leslie on the satisfaction of I. C.* Sect. 4. tom. 2. op. p. 79. . . . *In the Epistle to the Hebrews where there is no such thing, but only some allusions of Christ's oblation to the legal offerings, making the latter to be resemblances, types or figures of the other.* Qui cum negare haud possit, satisfactionem *Christi* in multis locis comparari typico sacrificiorum V. T. usui, comparationem voluntati auctoris Epistolæ adscribit, eumque ad sacrificia V.T. alludere contendit, ne ipsi concedendum sit, sacrificia V. T. typice sacrificium a Servatore nostro oblatum adumbrasse.

§. II.

Effatum ſ. Apoſtoli *Pauli*, quod legimus capite IX. com. 11. 12. non ſolum maximas graviſſimasque veritates fidei noſtræ exponit, adeoque dignum eſt, in cujus ſenſum inquiratur, ſed & ex antiquitate judaica lucem potiſſimum ſuam accipit. Inſunt enim huic dicto nonnulla momenta, quæ aliqua difficultate laborare videntur, quamvis per ſe omnino clarum ſit, redemptionem per *Chriſtum* partam cum ſolemnibus Diei expiationum eccleſiæ judaicæ comparari. Antiquitates itaque ſacræ genuinam hujus dicti interpretationem nos docebunt. Præſupponit enim ſ. Apoſtolus lectores, qui cultum ſecundum legem ceremonialem peragendum norunt; ſcribit ad Chriſtianos e Judaiſmo converſos, qui legem leviticam non ignorabant. Quo vero illos præmuniret, ne a veritate agnita de-

d) Exinde, quod *Chriſtus* ſacerdos dicitur ſecundum ordinem *Melchiſedeci*, concludit *EMLYNUS* l. c. p. 72. quod *Chriſtus* Deo non ſatisfecerit pro hominibus: *he was a Prieſt indeed, but it was of the order of Melchiſedec, who did not ſacrifice, that we find, only officiated by benediction and interceſſion.* Verum quomodo unquam *Melchiſedec* appellari potuiſſet ſacerdos, niſi munere ſacerdodali, adeoque & oblatione ſacrificiorum functus eſſet? Sed ſit ita, ut vult *EMLYNUS*, tertia tunc comparationis conſulenda ſunt, in quibus *Chriſtus* *Melchi-*

descifcentes ad priorem cultum Dei Leviticum redirent, *Christum* & oecononiiam novi foederis præstantia longe anteire sacerdoti summo & oeconomiæ V.F. ubique fere demonstrat. Comparat itaque officium sacerdotale Servatoris nostri cum officio sacerdotis summi ecclesiæ Judaicæ, & quidem 1) *Psalmum* CX. *Christo* applicat, ad demonstrandum, quod sit sacerdos summus secundum ordinem *Melchisedeci d*) longe præstantior sacerdotibus summis ecclesiæ judaicæ. c. VII-VIII. 13. 2) Gravissimam officii sacerdotalis functionem considerat, ingressum nimirum in sanctissimum ad expianda hominum peccata in die expiationis c. IX-X. 18. Comparat cum hac functione functionem sacerdotalem similem Servatoris nostri, atque α) sacerdotis summi levitici ingressum c. IX. 1-10. β) similem Servatoris nostri introitum in sanctissimum c. IX. 11-X, 18. describit, ita ut א) introitum ipsum

Melchisedeco comparatur: nimirum quod fuerit & Rex ac sacerdos simul, & sine antecessore & successore, unicus ergo in suo genere, & præstantior sacerdotibus leviticis; & denique hominibus solemniori modo benedixerit. In his momentis *Melchisedec* typus fuit *Christi*, sed ita ut, tum non omnia quæ in *Christo* sunt observanda & in typo esse debeant, tum alia in typo esse vel desiderari queant, quæ in antitypo vel sunt vel observari nequeunt.

ipſum v. 11. 12. ב) ejus valorem & præſtantiam, & ג) fructum ejus uberrimum deinde exponat.

§. III.

Verba, in quorum ſenſum genuinum nobis inquirendum eſt, ſunt ſequentia: *Χριϛος δε παραγενομενος ἀρχιερευς των μελλοντων ἀγαθων, δια της μειζονος και τελειοτερας σκηνης, ου χειροποιητου, τουτεϛιν, ου ταυτης της κτισεως, ουδε δι᾽ αἱματος τραγων και μοσχων, δια δε του ἰδιου αἱματος εισηλθεν ἐφαπαξ εις τα ἁγια, αἰωνιαν λυτρωσιν εὑρομενος.* Quorum ut ſenſum ordine eruamus juſto, ſummam dicendorum ſequenti ſciagraphia delineabimus. Duabus propoſitionibus totum argumentum proponitur. Prior deſcribit actionem Chriſti ſacerdotalem, cujus 1) ſubjectum α) nominatur, β) deſcribitur, & quidem א) ab officio ב) ab adjuncto duplici. 2) Prædicatum ſiſtit α) ipſam functionem ſacerdotalem, β) præparationem ſacerdotis ad munus fungendum, & γ) rationem quomodo functus ſit munere ſuo, tum negative, tum poſitive. Poſterior propoſitio finem, ſcopum & effectum hujus functionis indicat.

Quæ

§. IV.

Quæ Servator noſter tanquam ſummus ſacerdos, ſeu ut ſummi Pontificis levitici antitypus egit, Apoſtolus ita exprimit: *Chriſtus intravit in ſanctiſſimum.* Perſona,de qua hic ſermo, χριςος vocatur, nomine, quod tum ab officio deſumtum eſt, ungi enim ſolebant ſacerdotes & imprimis ſummi pontifices, tum hebræorum משיח optime reſpondet. Pſalm. II. 2. Dan. IX. 25. 26. Docet itaque D. Auctor hoc nomine, ſe loqui de perſona 1) quæ per ipſum officium ab aliis diſcerni, adeoque & ab officio denominari poſſit; 2) quæ per vaticinia V.T. tanquam unctus Dei ſeu *Meſſias* & *Chriſtus* deſignata & deſcripta ſit; 3) quæ viribus ſufficientibus inſtructa ſit ad obeundum officium tam ſacerdotale quam regium & propheticum, in eundemque finem uncta ſit. Pſalm XLV. 8.

§. V.

Cum itaque *Chriſtus* ad triplex munus unctus ſit, adeoque ex ſolo nomine diſcerni non queat, de quonam officio Apoſtolus loquuturus ſit, triplex addit *χριvoμενον*, unde appareat, ſe non de omni eius officio, ſed tantum de ſacerdotali, neque de omnibus hujus officii functionibus, ſed

ſolummodo de ſacrificio expiatorio per ſolemnia diei expiationis adumbrato, eſſe acturum. Vocat itaque *Chriſtum* primo *ſummum ſacerdotem*, nomine a functionibus ejus ſacerdotalibus deſumto, quo frequentius in hac epiſtola ac in aliis utitur Apoſtolus. c. IV. 14. V. 5. VI. 20. VII. 26. 27. VII. 1. & paſſim. Αρχιερευς principem ſacerdotum, ſeu ſacerdotem ſummum denotat: ſed in N. T. non ſemper hunc ſervat ſignificatum *e*). In V. T. vero ſecundum legem divinam

e) Etiamſi non niſi unicus ſummus ſacerdos ſecundum legem Dei eſſet, qui officio ſuo præerat; plures tamen in N. T. ſæpiſſime commemorantur ſummi ſacerdotes, ut Matth. II, 4. XVI. 21. XX. 18. XXI. 10. 15. 23. 45. & alibi. Cujus quidem rei triplex potiſſimum datur ratio. Primo; ſummi Pontifices adhuc ſuperſtites in alios munus ſuum transferre ſolebant, vel amicitia & favore in alium ducti, quemadmodum *Hannas* munus ſuam primo in filium *Eleazarum* & deinde in ſocerum *Caipham* conſentiente Satrapa Valerio Grato dignitatem ſuam transtuliſſe videtur, Ioh. XVIII. 13. vel cum reges & ſatrapæ ſacerdotem dignitate ſua exuerent, cujus exempla ſuggerit *Joſephus* antiquit. Jud. lib. 15. c. 3. p 744. lib. 18. c. 5. p. 804. lib. 20. c. 9. pag. 978. edit. *Havercamp.* Quo facto dignitate orbati nomen tamen in memoriam priſtinæ dignitatis gerebant. Secundo quilibet ſummus ſacerdos vicarium aliquem habebat *Sagan* dictum, qui græcis quoque ἀρχιερευς nuncupabatur, qui vel ægrotante vel maculato ſacerdote vices ejus gerebat. vid *IOSEPHVS* antiqu. lib. 17. c. 6. p. 844. Tertio denique omnes ſacerdotes

nam unicus tantum erat ſummus ſacerdos, cujus officii erat, in die expiationis animas hominum coram Deo expiare. Remittit vero Apoſtolus hac appellatione nos ad comma præcedens 7, ubi de ſacerdote ſummo commemoraverat 1) eum ſolum in ſanctiſſimum templi vel tabernaculi foederis intraſſe; 2) ingreſſum quotannis fuiſſe repetendum 3) non ſine ſanguine ſacerdotem in ſanctiſſimum venire licuiſſe 4) eum peccata & ſua ipſius & populi totius expiaſſe: quippe hæc officia ſacerdotis ſummi ſunt in die expiationis *f*). Graviſſimum hoc negotium univerſum populum expiandi ſe-

 cun-

dotes in XXIV claſſes ſeu cuſtodias erant diviſi, quibus ſingulis præpoſitus præfuit ἀρχιερευς dictus. vid. *IOSEPHVS* antiquit. lib. 7. c. 15 p. 408 Conf. *IO. LEVSDENII* philolog. hebr. mixt. Diſſ. 27. p. 184. *GROTIVS* ad Matth. II. 4. Cl. *NATH. LARDNERI Glaubwürdigk. der evangel. Geſchichte* vol. I. lib. I. c. 7. §. 6. p. 261.

f) Conf. *IOMA*, codex talmudicus ex verſione *Rob. SHERINGHAMI*, *Londin* 1648. 4. *MAIMONIDES* hilchot iom Kippur in Jad chaſ. vol. 1. *JOH. LEUSDENI* phil. hebr. mixt. Diſſ. 40 pag. 281. *JOACH. HILDEBRAND* antiquit. ex univ. SS. p. 29. edit. 1740. 4. *J. H. von BASHUYSEN* antiq. hebr. lib. 1. ſect. 2. c. 9. *JOSEPHI* antiquit. lib. 3. c. 10. p. 172. *ABARBANEL* ad Levit. XVI. fol. 202. edit. *BASHUYS. Algem. Welthiſtorie* tom. 3. p. 71. quibus jungi poſſunt interpretes c. XVI. Levit. nec non *SPENCERVS* de legib. ritual. hebr. lib. 3. Diſſ. 7. p. 1425. edit. *Lipſ.*

cundum *Maimonidem* ſequenti ordine peragebatur: Præmiſſis ſolitis præparationibus, ut ſacrificio juge, jejunio ſacerdotis, precibus, lotionibus aliisque his ſimilibus ritibus, ſacerdos ſummus ad juvencum mactandum accedebat, manibusque capiti ejus impoſitis peccata ſua confitebatur. Deinde ſortes duorum hircorum poſtquam duxerat, ad juvencum rediens peccata ſua, familiæ ſuæ, ſacerdotum & totius populi confitebatur. Mactato juvenco thuribulum igne ex altari repletum & ſuffimentum in ſanctiſſimum portabat, & inde rediens ſanguinem juvenci in ſanctiſſimum delatum ibi coram facie Dei adſpergebat. Iugulato deinde altero hirco, ſanguinem ejus exceptum etiam in ſanctiſſimum detulit adſpergendum: alterum vero hircum, poſtquam impoſitis manibus peccata populi confeſſus erat, in deſertum emitti juſſit. Denique in ſanctiſſimum rediit ad efferendum thuribulum. Quater itaque ſummus ſacerdos in quolibet die expiationis ſanctiſſimum templi intravit. Cum hoc ſacerdote Apoſtolus ſervatorem noſtrum comparat, atque nos docet 1) *Chriſtum* ſingulari Dei conſenſu & beneplacito muneri ſacerdotali præeſſe; 2) eum graviſſimum munus per ſolemnia diei expiationis adumbratum ſuſcepiſſe, 3) muneri ſuo omni ex parte ſatisfeciſſe, eumque eſſe ſacerdotem πιϛον. Hebr.

II.

II. 17. g) 4) eodem animo benevolo, quo ſacerdos ſ. Leviticus ignorantiam populi expiaverat, & noſtram expiaſſe ignorantiam. 5) ſacrificium expiatorium Deo obtuliſſe acceptiſſimum; 6) officium ejus ſacerdotale abſolvi functionibus per operationes ſacerdotis ſ. levitici typice repræſentatis.

§. VI.

Non vero ſolum ſacerdotem appellat ſervatorem noſtrum D. Auctor, ſed graviſſimum & foecundum addit ἐπιθετον, nimirum quod ſit ſummus ſacerdos παραγενομενος. Παραγινεσθαι denotat non ſolum *adeſſe*, ſed & *venire*, *accedere. Matth. III.* 1. Vi compoſitionis παραγενομενος eſt, *qui præſens factus* eſt, obſervante Bengelio *h*). Unde ſequitur 1) *Chriſtum* ſibi ſacerdotium non ſumſiſſe, ſed a Deo muneri fungendo miſſum eſſe. c. V. 5. 2) divina operatione eum præſentem factum eſſe; 3) præſentem eſſe ſacerdotem, a ſacerdote levitico ut futurum adumbratum; 4) Judæis non eſſe rationem, quare de ſacerdote levitico glorientur, aut in illo amplius confidant, cum ille non niſi typus fuerit ejus, qui ſe omnibus ut præſentem & verum ſacerdotem ſummum præſtet. Atque inde 5) ſacerdo-

g) Conf. C. L. Schlichteri decim. ſacr. obſ. 48. p. 516.
h) Gnom. N. T. in loc.

cerdotem leviticum ſ. non dici poſſe *præſentem factum*, integrum cum munus ejus nihil valoris haberet, niſi quatenus futurum ſacerdotem ſummum repræſentabat, omnino apparet. *Chriſti* ergo munus ſacerdotale præſtantia ſuperat munus leviticum.

§. VII.

Ultimo ſubjectum deſcribitur atque determinatur, quod ſit ſacerdos μελλοντων ἀγαθων. Ἀγαθον quodcunque bonum, tam phyſicum & temporale quam morale & æternum denotat. Salutatur *Chriſtus* ſacerdos ſ. bonorum, quia tum bona omnia hominibus fungendo munere ſuo acquiſivit, tum bona ipſe poſſidet non ſibi ipſi acquiſita, eaque ſuis diſtribuit; atque hac ratione a ſacerdote ſ. levitico diverſus eſt, qui bona non proprie acquiſivit, nec aliis diſtribuere potuit. Bona vero futura dicuntur 1) ratione temporis Apoſtoli, tunc temporis enim, cum calamitates ſævire inciperent, bona per *Chriſtum* parta tanquam futura exſpectanda erant; 2) ratione hominum in hac vita, quibus, dum inter vivos agunt, maxima bona ſunt futura; 3) ratione durationis, quia & in futura vita beneficia per *Chriſtum* parta erunt futura, ut in æternum usque nullum omnino finem habere queant; 4) ratione exſpectationis Judæo-

Judæorum, qui ſub regno Meſſiæ plurima bona futura exſpectabant; 5) denique ratione bonorum, quæ ſummus ſacerdos leviticus in die expiationis a Deo petere ſolebat, quæ potiſſimum præſentia ſeu hanc vitam concernentia. *i*) Unde colligimus 1) *Chriſtum* eſſe verum ſacerdotis ſ. levitici antitypum; ſed 2) ſacerdote illo longe præſtantiorem, cum ſit fons & ſcaturigo bonorum omnium,

G 5 quæ

i) Triplicem confesſionem ſacerdotis ſummi memoriæ prodidit *MAIMONIDES* l. cit. c. 4. & codex *JOMA* c. 6. nec non *FAGIUS* ad *Levit. XVI.* Ultimam formulam ita latinis verbis expresſit *SHERINGHAMUS* p. 128. *Obſecro Domine, deliquerunt, rebelles fuerunt & peccaverunt coram te populus tuus Iſrael; obſecro Domine, remitte nunc delicta & rebelliones & peccata, quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt & quæ peccaverunt coram te populus tuus domus Iſrael, ſicut ſcriptum eſt in lege Moſis ſervi tui, dicendo: quia in die hoc expiabit.* Cum hac confeſſione conjunxit ſacerdos ſummus alias preces, referente *Maimonide* l. c. c. 3. quibus tum pro populo, ut Deus illum ſalvum & incolumem præſtet, neque regem e medio illius aufferat, tum pro ſacerdotibus, ut ſacrorum adminiſtrationem benigne acciperet, orabat. Et aliam idem *Maimonides* c. 4. ſuppeditat precandi formulam, hujus tenoris: *Fac Domine Deus noſter, ut annus hic ſit pluvioſus; & ſceptrum in domo Judæ permaneat; remove omnem annonæ caritatem, & preces viatorum exaudi.* Non alia ergo bona ſpiritualia ſacerdos ſ. precibus ſuis efflagitavit a Deo, quam quæ in confesſione nominantur; reliqua temporalia & præſentia fuere bona.

quæ ſacerdos leviticus tanquam futura & per meritum *Chriſti* acquirenda annunciarat; 3) In Chriſto Judæis omnia illa bona, in æternum duratura, quæ vel ritibus & ceremoniis ſacris, vel vaticiniis V. T. exſpectare juſſi erant, offerri. Quæ cum ita ſint, quare uſitatiorem vocis μελλοντων ſignificatum deſerentes, *optimum*, *ſpirituale*, *coeleſte*, cum cl. STARCKIO intelligamus, nihil eſt rationis: omni enim jure beneficia per *Chriſtum* ſacerdotem noſtrum parta ſunt futura. *Syrus* interpres addit his verbis, *quæ fecit* דסער, atque ita *Chriſtum* auctorem μελλοντων ἀγαθων conſtituit.

§. VIII.

Prædicatum huic ſubjecto junctum deſcribit ipſam functionem muneris ſacerdotalis: *intravit in ſanctiſſimum*. Solius ſacerdotis ſummi erat, in ſanctiſſimum, in quo erat arca foederis & propitiatorium, intrare, & quidem nomine totius eccleſiæ judaicæ, cujus locum occupabat *k*), non veſtibus aureis ſed lineis albis indutum *l*), ad expianda

k) Conf. *SPENCERUM* l. c. lib. 3. c. 5. p. 1449.

l) Lineæ veſtes omnino animum humilem, ſicut albedo illorum innocentiam ejus indicare videtur, qui homines cum Deo expiat. Splendidas itaque veſtes ſacerdos ad ſanctiſſimum accedens exuit.

anda totius populi peccata. Quod negotium tum perdifficile, mors enim violenta ſacerdotem ſummum manebat, ſi quædam obſervanda neglexerat, tum ſumme neceſſarium fuit ad expiationem faciendam pro animabus hominum. Solus itaque 1) *Chriſtus* in ſanctiſſimum intravit, neque ullum in officio ſacerdotali habuit ſocium; Eſai. LXIII. 3. 2) In ſtatu exinanitionis & forma

exuit. Quod ſi *JOSEPHO* credendum eſſet, omnino adfirmandum foret, ſacerdotem tunc temporis quoque veſtibus aureis indutum fuiſſe. Poſtquam enim Veſtimenta ſacerdotalia deſcripſit, addit: *ταύτην μὲν οὐν τὴν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δ᾽ ἀνελάμβανεν, ὁπότε δὲ εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον, εἰσῄει δ᾽ ἅπαξ καθ᾽ ἐνιαυτὸν μόνος.* De Bell. Jud. l. 5. c. 5. pag. 336. Qui locus, ſi non depravatus eſt, & IOSEPHUM aliquid humani paſſum eſſe, probat. Octo enim ſacerdoti erant veſtes, quatuor auratæ, quatuor albæ e lino contextæ, & quidem e lino Peluſiaco, quod candidisſimum & omnium pretioſisſimum fuit. vid. SHERINGHAMI not. ad Joma. c. 3. §. 7. p. 58. SPENCERUM lib. 3. Diſſ. 1. c. 5. p. 838. BUXTORFII lex. talmud. rabbin. p. 1748. Ultimo veſtimentorum genere veſtitus fuit ſacerdos ſummus in ſanctisſimum ingreſſurus, quod teſtatur Maimonides l. c. 4. §. I. *lavatis manibus atque pedibus veſtes aureas exuebat, deinde corpus abluebat, & veſtes albas induebat,* & in *Kele Hamickd.* c. 8. §. 3. *Candida veſtimenta fuerunt quatuor, quibus induebatur ſacerdos ſummus munere ſuo in ſolemni die expiationum fungens.* Conf. *CUNÆUS* de rep. hebr. lib. 2. c. 1.

ma ſervili & humili, innocens tamen ipſe, officio ſuo functus eſt: 3) Rem totius humani generis coram Deo egit, atque humanum genus repræſentavit, 4) hominum omnia peccata expiavit; 5) ut ſacerdos ſummus ſacrificium expiatorium obtulit; 6) graviſſimum & maxime neceſſarium munus, ut Deo homines reconciliaret, in ſe ſuſcepit.

§. IX.

Locum quem intravit *Chriſtus*, ſ. Apoſtolus nominat τα ἁγια, ſancta, ſeu ſanctisſimum, ab ἁγιαζειν, ſegregare aliquid a communi uſu, atque ad uſum divinum deſtinare, interdum, & pro ſancto agnoſcere *m*). Indicatur ergo locus, qui & peculiari modo Deo ſacer eſt, & ab hominibus pro ſancto agnoſcendus eſt. Sunt qui hic vel enallagen numeri *n*), vel heteroſin *o*) ſtatuunt; ſed reſpondet pluralis numerus hebræorum קדשי הקדשים, ſummamque ſanctitatem & præſtantiam denotat *p*). Ad quemnam vero locum Apoſtolus

m) vid. *WOLFBURGII* obſerv. ſacr. p. 3. 4.

n) vid. *DAN. HEINSII* exercit. ſacr. l. 17. c. 3. p. 563. edit Cantabr. 4.

o) vid. *P. H. FRIEDLIEBII* theolog. exeget. tom. 2. pag. 310.

p) vid. *FRANC. WOKENII* Enall. N. T. exterm. p. 126

lus digitum intendat, definiunt eruditi fere omnes ita, ut per ſanctiſſimum (τα ἁγια) coelum, coelum ſummum, coelum majeſtatis intelligant *q*). Non impugno hanc ſententiam, quam Apoſtolus ipſe com. 24, comprobat, nam ſacrificium *Chriſti* Deo, qui eſt in coelis, eſt oblatum, neque eſt terrenum ſed ſpirituale & coeleſte; ſi modo per introitum in coelum non aſcenſio *Chriſti* in coelum poſt reſurrectionem intelligatur *r*). Sacrificium enim *Chriſtus* obtulit in

q) Conf. *GROTIVS*, *BENGELIVS*, *STARCKIVS* in loc. Cl. *JOH. CHAPMANNUS* in *Euſeb. or the true Chriſtian's defenſe* Vol. 2. ch. 4. pag. 334. eandem ſententiam ſuo ſuffragio combrobat: *the Apoſtle compares the holy of holies in the Jewish temple with the Heavens above, of which, as he ſays N. 24. the other was the figure or repreſentative Emblem only.*

r) Ejusmodi quid ſibi imaginantur Sociniani, inprimis *JOH. LUD. de WOLZOGEN* in *Unterweiſung wie die Oerter der heil. Schrift A. und N. T. ſchrifftmäſſig zu verſtehen* 1684. 4. pag. 229. qui locum noſtrum ita interpretatur, quod *Chriſtus* in ſanctiſſimum intraverit, *indem er ſich ſelbſt in den blutigen tod dahin gegeben, und nach dem tode, als ihn Gott daraus auferwecket, ſich ſelbſt in der himliſchen Hutte aufgeopffert habe.* Nec non *CRELLIUS* op. exeget. tom. 2. p. 153. *Chriſtus non ſanguinem ſuum poſt mortem, ſed ſe ipſum & quidem jam immortalem depoſitis carnis & ſanguinis exuviis . . . in coeleſti illo tabernaculo obtulit . . . manifeſtum eſt, pontificis noſtri oblationem & ſacrificium non in cruce ſed in coelo peractum eſſe &*

in ſtatu exinanitionis; adſcenſio in coelum verum ad ſtatum exaltationis refertur. Sed ſi typum, ſeu ſanctiſſimum tabernaculi vel templi conſideramus, quid per coelum intelligendum ſit, ſine obſcuritate patebit. Sanctiſſimum, ſeu ſancta ſanctorum locus erat, in quo Deus non ſolum ſpecialiori modo præſentiam ſuam manifeſtabat, ac in ſancto templi, ſed & in die expiationum judicium divinum quaſi habebatur, ita ut ſacerdos eccleſiam judaicam repræſentans in foro divino ſe reum confiteretur, ſed ſanguine ſacrificii oblato in loco judicii divini abſolveretur. Quemadmodum introitus ſacerdotis levitici itaque actio erat cum Deo in ſanctisſimo præſente de hominum & reatu & abſolutione; ſic *Chriſti* introitus in ſanctum eſt actio Servatoris noſtri cum omnipræſente Deo de hominum peccatorum ſalute æterna. *Syrus* itaque interpres optime expreſſit *τα ἁγια* per בית קדושא domum ſanctam, hoc eſt locum ubi ſanctiſſimus Deus peculiari modo præſens eſt *s*).

§. X.

& adhuc peragi. Conf. ejusd. paraphr. in Epiſt. ad Hebr. p. 250. Nec multum ab hiſce differt *F. Socinus* Diſp. de I. C. ſervat. part. 2. c. 2. tom. 2. op. p. 146. & cap. 14. pag. 164. it. Diſp. de Filii Dei natura adv. *Volan*. p. 393.

s) *Chriſtum* tum animi tum corporis doloribus & ipſa morte violenta pro nobis ſatisfeciſſe, certisſimum eſt. Non opus itaque eſt, ut ſervatoris noſtri

§. X.

Triplici porro modo deſcribit Apoſtolus introitum ſacerdotis noſtri in ſanctisſimum, atque præſtantiam ejus commonſtrat. Primo affirmat, *Chriſtum* tranſiſſe in ſanctiſſimum δια της μειζονος και τελειοτερας σκηνης, ȣ χειροποιητȣ, τȣτεςιν, ȣ ταυτης της κτισεως. Σκηνη proprie notat tabernaculum, vel tugurium, quod levi negotio diſtrahi & deſtrui poteſt. Sæpiſſime nomen eſt tabernaculi Foederis, Domicilii ſummi Numinis, cum Iſrael in deſerto iter faceret. Metaphorice tum in ſacris litteris, tum apud auctores profanos corpus humanum deſignat *t*). Quid vero hoc loco per tabernaculum intelligendum ſit, de eo non una eſt eruditorum ſententia. Cl. CHAPMANNUS per hoc tabernaculum coelum innui judicat; *u*) verum tunc Apoſtolus dixiſſet, quod *Chriſtus* per coelum in coelum tranſierit, quod haud ſibi convenit. Alii per

noſtri præſentiam in coelo præſupponamus, quo cum Deo agere potuerit. Iram Dei graviſſimam ſenſit tempore paſſionis; ſe hominum peccata portare ſcivit, ſe pati, ut homines liberarentur, non ignoravit. Cum itaque & peccata hominum & iram divinam ſibi repræſentaret Servator noſter, poenasque juſtisſimas ſentiret, cum præſente Deo de hominum ſalute egit. Intravit ergo in ſanctisſimum, cum poenas peccatorum ſentiret.

t) Sapient. IX, 15. 2 Cor. V, 1. Conf. *GROTIUM* in loc.
u) loc. cit.

per tabernaculum Ecclesiam intelligunt, ut CALOVIUS *w*). Alii corpus *Christi* hoc nomine designari volunt *x*). Quæ quidem lites facillime dirimuntur, si antiquitates sequi placet sacras. Sanctum in tabernaculo foederis duplex erat, aliud intra velum, aliud extra velum. Prius sancta sanctorum, s. sanctissimum, Ja ἅγια, posterius sanctum dicebatur *y*). In posteriori, seu in sancto omnia præparabantur, quæ ad introitum in sanctissimum erant necessaria; sacerdos vestibus lineis induebatur, thus præparabatur, mactabatur juvencus & hircus, exceptus sanguis movebatur, donec sacerdos summus

w) Conf. *WOLFII* cur. in l.

x) vid. *BENGELIUM*, *STARCKIUM*, & *GROTIUM* in loc. *GROTIUS* mentem suam ita exponit: "Volens dicere Christum ingressum esse in summum „coelum, per passiones & mortem, ut magis „persequeretur coeptam cum sacerdote legali si„militudinem, dicere voluit, *intrasse eum per* „*corpus suum & per sanguinem suum*, quia *corpus* „μεϳονυμικως recte poni potest, pro *doloribus* „*corporis*, & *sanguinem* pro *morte* sumere frequens „est omnibus gentilibus, ideo quod ex copiosa „sanguinis profusione mors sequatur. Verum „*corpus* non sua voce expressit, sed circumlocu„tione quadam mystica apta ad persequendam, ut „dixi, similitudinem. Hebræorum mos est *cor*„*pus* vocare σκηνος." Sequitur *GROTIUS* antiquos ecclesiæ Doctores & inprimis P*hiloponum*. vid. *DAN. HEINSII* exercit. sacr. lib. 16 c. 6. p. 537

y) vid. *DRUSIUM* ad Levit. XVI. & scriptor. antiqu. Judaicar.

mus eum in ſanctiſſimum ad adſpergendum portaret Denotat itaque σκηνη locum, in quo omnia ad ſacrificium expiatorium præparantur, quem ſacerdos ſummus primo, & per quem deinde in ſanctiſſimum ingreſſus eſt. De Servatore noſtro legimus Io. I. 14. quod tabernaculum ſuum inter homines fixerit, (ἐσκηνωσε) quo non ſolum incarnatio, ſed omnis in hac terra vita ejus, quæ tempus paſſionis anteceſſit, indicatur. Omnis itaque vita *Chriſti*, quatenus tanquam præparatio ejus ad ſacrificium expiatorium conſideratur, vocatur hoc loco tabernaculum, per quod in τα ἁγια introivit: atque vitam Servatoris noſtri Apoſtolus ut locum deſcribit, per quem ad alium ſacrificio Deo offerendo aptum tranſivit. Unde colligendum eſt, 1) per ipſam incarnationem *Chriſtum* præparatum eſſe ad officium ſacerdotale; 2) in omni vita eum non alio modo vixiſſe, quam ſacerdotem in ſancto tabernaculi in die expiationum oportet, præparando ſeſe ad ſacrificium expiatorium, 3) Servatorem noſtrum peccata hominum poenasque illorum ſibi alio modo repræſentaſſe, cum in tabernaculo ſ. ſancto, & alio modo, cum in ſanctiſſimo degeret. 4) Functiones ejus ſacerdotales ante oblationem ſacrificii ſui ab hominibus non penitus cognoſci potuiſſe,

H donec

donec ipſe e mortuis reſuſcitatus, quaſi e ſanctiſſimo rediens, illas manifeſtaret, ſicut oculi hominum velamento obducto impediebantur, quominus functiones præparatorias ſacerdotis ſ. levitici viderent, donec e ſanctiſſimo rediens ſeſe omnium conſpectui benedicens ſiſteret; 5) functiones ſacerdotis ſ. levitici in ſancto, ſeu tabernaculo, adumbrare actiones *Chriſti* in omni vita ab incarnatione, usque ad initium paſſionis, functiones vero in ſanctisſimo repræſentare actiones expiatorias ab initio temporis paſſionis ad finem ſtatus exinanitionis usque.

§. XI.

Facta itaque tabernaculi *Chriſti* cum tabernaculo, in quo ſacerdos ſ. leviticus ad functiones ſacerdotales neceſſaria præparabat, comparatione, prioris prærogativas D. Apoſtolus exponit, atque tabernaculum *Chriſti* μειζονα και τελειοτεραν appellat. *Majus* vero ſeu nobilius dicitur, tum quia ipſe Dei filius æternus in eo habitavit gloriam unigeniti Filii Dei patris manifeſtans: Ioh. I. 14. tum quia omnes functiones *Chriſti* in hoc tabernaculo non ſolum præparatoriæ, ſed etiam meritoriæ fuerunt, eamque ob cauſam majoris ponderis ac præparationes ſacerdotis ſ. levitici; tum denique quia ſplen-

ſplendore & majeſtate longe tabernaculum *Moſis* ſuperat; quæ enim *Chriſtus* edidit σημεια και τερατα, inſtar ornamentorum ſunt, quæ hoc tabernaculum exornant. *Perfectius* autem vocatur, tum quia tabernaculum *Chriſti* in ſe fuit perfectiſſimum, nullo unquam peccato maculatum, adeoque non opus habuit, ut prius mundaretur, quam ſacerdos ſanctisſimum ingrederetur, cum tabernaculum moſaicum quotannis quoque ſanguine mundandum eſſet in die expiationum; tum quia functiones *Chriſti* in hoc tabernaculo, i. e. actiones ejus, quibus activam Deo obedientiam præſtitit, perfectos reddunt omnes in eum credentes; tum quia omnis typus antitypo perfectior eſt, quæ enim hic habet σκιωδως, ille habet σωματικως.

§. XII.

Alteram prærogativam, quæ originem tabernaculi *Chriſti* potisſimum concernit, Apoſtolus in eo collocat, quod *non ſit manufactum*, *hoc eſt*, *non hujus ſabricæ*, ου χειροποιητου, τουτεστιν, ου ταυτης της κτισεως. ubi poſterius eſt epexegeſis prioris. Χειροποιητον non ſolum eſt omne, quod manu artificis conſtruitur, Marc. XIV. 58. Act. XVII. 24. ſed quidquid viribus naturæ producitur.

tur z). Κτισις modo creaturam, modo mundum, modo creaturas rationales, modo ſtructuram & fabricam a), interdum quoque inſtitutum, vel ordinatum b) ſignificat. Tabernaculum *moſaicum*, in quo ſacerdos ſummus in die expiationum ſe ad ingreſſum in ſanctiſſimum aptum reddebat, omnino manufactum erat, atque ab artifice fabricatum & exſtructum, certamque ſtructuram habebat, ut omni uſui inſerviret, actionibusque ſacerdotis ſummi exacte conveniret c). Differt itaque tabernaculum *Chriſti* a tabernaculo moſaico, cum hoc ſit manu factum, & e terrena materia confectum, illud vero non ita in ſenſus incurrat, ſed actionibus meritoriis & præparatoriis ſacerdotis noſtri ſummi conſtet. Taber-

z) vid. *WOLFII* curas in l.

a) vid. *WOLFBURGIUM* l. c. p. 357.

b) vid. *HEINSIUM* l. c. lib. 18. c. 1. p. 567.

c) Qui olim allegorico more ſacras litteras expoſuerunt, fabricam templi & tabernaculi fabricam mundi repræſentaſſe fabulati ſunt, quo merito referendus eſt *Philo*, qui in vit. *Moſ.* p. 666. 667. ſtructuram templi ita exponit: τα αδυτα της σκηνης εςι συμβολικως νοητα, τα δε εκτος - - - εςιν αισθητα - - - ην γαρ αναγκαιον ιερον κατασκευαζοντας χειροποιητον τῳ Πατρι, και ἡγεμονι τȣ παντος, τας ὁμοιας λαβειν ȣσιας, αις το ὁλον εδημιȣργει. Nos meliora edocti ejusmodi fabulas nihili habemus.

Tabernaculum itaque, per quod *Christus* in ſanctiſſimum, ſeu in locum judicii divini ingreſſus eſt, 1) non eſt aliquid terreni, quod manibus hominum exſtrui posſit, aut ab humano arbitrio dependeat; animus ergo a tabernaculo typice ſpiritualia adumbrante eſt revocandus; 2) non vi humana aut auctoritate eſt inſtitutum atque ordinatum, 3) neque per curſum naturæ determinatum & ad exiſtentiam productum, ſed 4) a ſolo Deo miraculoſe & auctoritate divina conſtitutum; atque 5) perfectos reddit omnes in ſervatorem noſtrum ſacerdotem credentes. Longe ergo *Chriſtus* ſacerdos præſtantior eſt ſacerdote levitico in die expiationum ſolemni.

§. XIII.

Functionem ipſam ſacerdotalem Servatoris noſtri, qua animas noſtras expiavit, deſcribit ita Apoſtolus, ut primo negative definiat, in quonam illa non ponenda ſit. Sacerdos ſ. leviticus in ſanctisſimum intrabat cum ſanguine ſacrificii mactati hirci & juvenci *d*). *Chriſtus* vero illud ingreſſus eſt ὀυδε δι αιματος τραγων και μοσχων. Particula δια non ſemper medium per quod ali-

d) Conf. SAM. BOCHARTI hieroz. part. 1. lib. 2. c. 33. p. 319. c. 28. pag. 276. c. 43. pag. 422. edit. CLODII.

aliquid efficitur, sed & sine quo aliquid fieri nequit, indicat, Μοσχος est hebræorum פר & Τραγος hebræorum איל. Non sine sanguine sacerdos s. leviticus e sancto in sanctissimum ingressus est, quia nec ipsi sine sanguine venire licuit, nec ingressus ejus sine sanguine populum expiare potuit; hinc sanguinem juvenci & hirci jugulati in sanctissimum detulit ibidem adspergendum. Notum vero est, unicum tantum juvencum & hircum eo die mactatum esse ad expiationem, & utriusque sanguinem in sanctissimum esse delatum. Loquitur ergo Apostolus plures juvencos hircosque nominans, vel indeterminate, vel omnes omnium sacerdotum, qui simul sumti multorum sanguinem in sanctissimum intulerunt, typusque *Christi* fuere, ingressus simul complectitur; vel denique observante BENGELIO *e*) plures nominat, quia unicus non erat melior omnibus ejusdem speciei animantibus. Expiatio ergo hominum per *Christum* facta non iisdem mediis, ritibus ac ceremoniis peracta est, ac sub lege; sed longe præferenda est expiationi leviticæ, ipsumque λυτρον præstantius est sanguine omnium juvencorum & hircorum, qui olim ad propitiatorium adspergebatur. Ingressus enim est sacerdos noster, *δια του ἰδιου αἱματος,* per

e) Gnom. in loc.

per ſanguinem proprium. Quemadmodum itaque ſacerdos ſ. leviticus ſanguinem ſacrificiorum coram Deo oſtendebat, ut eſſet λυτρον, quo animæ redimerentur: ſic *Chriſtus* coram omnipræſente Deo, in judicio divino propter hominum ſibi imputata peccata ad graviſſimas poenas damnatus, effuſum ſanguinem, ut eſſet verum λυτρον, obtulit. Per ſanguinem vero hic non intelligimus ſolum fluidum illud, quod venas corporis permeat, ſed profuſionem ſanguinis copioſam, ex qua mors ſequitur, adeoque mortem ipſam cruentam. ἰδιος hoc loco non, quod optime alicui convenit, & proprium alicui redditur, *f*) ſed quod ita alicujus eſt, ut ſine deſtructione ejus non ſeparari poſſit, denotat. Sanguis itaque *Chriſti* proprius, per quem ingreſſus eſt, opponitur ſanguini alieno, nimirum juvencorum & hircorum, per quem ſacerdos leviticus ingrediebatur, uterque vero ſacerdos non ſine ſanguine officio ſuo functus eſt. Hinc 1) mortem & ſanguinem *Chriſti* mors & ſanguis ſacrificiorum adumbravit; 2) *Chriſtus* non alieno ſanguine coram Deo apparuit; 3) ſanguinem proprium in judicio divino irato Deo obtulit; 4) ſanguis Filii Dei eſt λυτρον ſ. pretium redemptionis noſtræ; 5) per ſanguinem *Chri-*

f) vid. HEINSIUM l. c. lib. 5. c. 1, p. 246.

sti Deus cum hominibus reconciliatus est. Talis itaque Servator noster Sacerdos est, qui non absolutam nos servandi potestatem morte sua consequutus est, ut statuit Ion. Schlichtingius g) sed qui effusione sanguinis sui nos servavit atque redemit; & ipsa morte violenta sese verum Messiam esse, probavit, qui, & secundum Judæorum placita, morti obnoxius est h).

§. XIV.

Ultimum quod D. Apostolus de ingressu *Christi* in sanctissimum refert, est quod ἐφαπαξ, unica tantum vice ingressus sit. Sacerdos summus leviticus quolibet festo Expiationum quater sanctissimum ingressus est, prima nimirum vice cum thuribulo, secunda cum sanguine juvenci, tertia cum sanguine hirci, & quarta ad auferendum thuribulum coram propitiatorio collocatum. *Christus* vero, cum semel tantum sanctissimum intravit, singulas ad expiationem hominum spectantes functiones peregit, nec opus fuit, e sanctissimo ad expianda propria peccata redire, sacerdos enim erat ab omnibus peccatis immunis. Hebr. VII. 26. 27. Sacerdos f. leviticus, etiamsi peccata hominum expiarat, anno in-

g) de SS. Trinit. adv. MEISNERVM p. 431.
h) vid. HEINSIVM lib. 5. c. 17. p. 318.

insequenti, redeunte die expiationum, iterum in sanctissimum eundem in finem redibat *i*): *Christus* vero semel tantum in sanctissimum venit, & nunquam eo redire opus fuit. Ex quo sua sponte sequitur, expiationem per sanguinem *Christi* esse 1) majoris valoris quam expiationem leviticam; 2) esse summe sufficientem tam ratione peccatorum præteritorum, quam futurorum; 3) esse completam, nunquam repetitam, nunquam repetendam.

XV.

Ultimum adhuc restat, quid nimirum sacerdos noster summus sanguine suo in sanctissimo oblato effecerit. Inquit Apostolus; *αιωνιαν λυτρωσιν ἑυρομενος, inveniens æternam redemptionem*, atque scopum totius officii sacerdotalis indicat. Varios

H 5 vocis

i) Non alio tempore sacerdoti licuit in sanctissimum venire. *AUGUSTINUS* quidem & post eum *SIGONIUS*, sacerdotem summum quotidie, ut adoleret, semel vero quotannis cum sanguine sacrificiorum, vel quotidie comitatu sacerdotum stipatum, semel vero solum, in sanctissimum intrasse tradiderunt. Sed absque fundamento hoc asseri probatum dederunt *MAIMONIDES* beth. habbech c. 7. *CUNAEUS* de rep. hebr. lib. 2 c. 4. *DRUSIUS* observat. sacr. lib. 5. c. 2. & Miscell. Cent. 2. c. 78.

vocis ἑυρισκειν significatus recenset WOLFBURGIUS *k)* sed notionem *producendi*, *procurandi aliquid* omisit. Vertimus itaque hæc verba: *procurans æternam redemptionem*. *Christus* enim redemptionem hominum non citra opinionem & casu invenit, sed eo ipse omnibus corporis & animi viribus intensis laboravit, ut eam inveniret, hoc est, procuraret. Respondet itaque ἑυρομενος observante IAC. CAPELLO *l)* non solum hebræorum מוצא sed potius ממציא, quod *facientem*, *ut aliquid existat*, designat Ios. XVII, 16. *Christus* itaque 1) non casu fortunæ nos redemit, sed redemptionem anxie & cum sensu gravissimorum dolorum quæsitam invenit; 2) ipse redemptionem nostram procuravit & ad existentiam perduxit; 3) redemptio hominum in effusione sanguinis *Christi* fundata est; 4) Jus denique habet Servator noster hominibus beneficia e redemptione fluentia impertiendi. Λυτρωσις redemptionem soluto pretio factam denotat; pretium vero ipsum λυτρον *m)* dicitur. Redimuntur per λυτρον damna-

k) l. c. p. 246.

l) in loc.

m) Pereruditam de hac voce observationem cum eruditis communicavit *JOH. CHAPMANNUS* in not. ad *Eusebius or the true Christian's defense*. vol. 2. p. 291 &c.


damnati in judicio a poena, captivi e captivitate, ſervi e dominio alterius, ut cedant in dominium redimentis. *Chriſtus* ergo hominum redemptionem procurans 1) λυτρον interpoſuit; 2) ſanguis ejus λυτρον fuit, quo redemit in foro divino damnatos a poena promerita, captivos ſub peccato & morte, ſervos diaboli e ſervitute, ut ſerviant redemptori in ſanctitate et libertate. Ἀιων obſervante VORSTIO n) ſimpliciter tempus, ſed ſæpiſſime univerſalitatis notam involvens, ſempiternum ſeu omne tempus indicat. Redemptio per *Chriſtum* facta vero æterna & ſempiterna vocatur, quia ab æterno decreta, in tempore præſtita, & per omne tempus duratura eſt, opponiturque expiationi per ſacerdotem leviticum factæ quotannis repetendæ. Homines itaque per *Chriſtum* in æternum usque redempti ſunt, atque omni jure ſempiternos redemptionis fructus a Servatore exſpectant.

§. XVI.

Obligamur denique hoc effato hactenus explicato, ut 1) *Chriſtum* præſtantiorem N. T. ſacerdotem ſummum pro noſtro ſacerdote & redemptore agnoſcamus; 2) in

n) de hebraiſm. tom. 2. p. 293.

2) in redemptione per ſanguinem ejus facta ſpem, fiduciam vivamque fidem collocemus; 3) Redemptione, ut ſubditos a ſervitute diaboli redemptos decet, digne vivamus, & 4) æterna bona per unum illum ſacerdotem noſtrum nos conſequi poſſe, quam certiſſime credamus.



V.

ERICI SIMONIS HENRICI A SEELEN A. M. (*)

DE SALE CATECHVMENORVM EX ANTIQVITATE CHRISTIANA COMMENTATIO.

Συνοψις.

§. I. *Rituum veteris Ecclesiae Christianae excellentia.* §. II. *De Ritu Salis Catechumenorum generalia.* §. III. *Cur nonnulli scriptores liturgici ritum hunc tacere videantur?* §. IV. *Num ante Baptismum Catechumenorum*

(*) Variis clarissimus auctor scriptis eruditionem & industriam suam dudum dedit probatam, quorum hic deprehendisse indicem lectores nostros, si quid nos iudicamus, non pigebit.

I. *Oratio saecularis de coniungenda e lege illustris Stipendii Schabbeliani Dogmatica cum Polemica Theologia, & a praestantissimis Theologis Rostochiensibus, laudati olim Stipendii alumnis, in sanctioris Reipublicae commodum peregregie coniuncta.* Rostochii. 1738. 4.

II. *De vsu Rituum Nuptialium, ab Hebraeis praesertim obseruatorum, in explicatione et illustratione dicto-*

rum? an vero in eodem? fuerit obseruatus. §. V. *Num ab eodem diuersum sacramentum Catechumenorum? cuius mentionem facit Augustinus.* §. VI. *Aliqui eum commemorantes quidem, sed causas eiusdem vel plane tacentes, vel leuiter modo unam alteramue tangentes, non vero omnes, quae hic dari possunt, paulo plenius declarantes.* §. VII. *Emphasis vocis SALIS, & varius eius-*

dictorum quorundam Biblicorum Dissertatio Epistolica ad Virum summe reuerendum atque excellentissimum IO. GOTTLOB CARPZOVIVM, S. S. Theol. Doctorem & Superintendentem Lubecensem longe celeberrimum optimeque meritum. Rostochii. 1740. 4.

III. *De Ieiuniis Sabbathicis ex Antiquitate Hebraea Disputatio.* Rostochii. 1741. 4.

IV. *De Pietate veterum erga Hospites Diss.* Lubecae. 1742. 4.

V. *Paralogismorum IO. SPENCERI in enarratione Rituum Funebrium & Sepulchralium Specimen.* Lubecae. 1742. 4.

VI. *De Ieiuniis Sabbathicis ex Antiquitate Ecclesiastica Disputatio.* Rostochii. 1742. 4. Resp. Georg. Godofr. Volland.

VII. *Dissertatio Exegetico-Theologica de eo, quod in indagando Sensu Mystico nimium est.* Rostochii. 1742. 4.

VIII. *De Natalitiis ad Concilii Laodiceni Can. LII. Obseruationes.* Lubecae. 1742. 4.

IX. *De varia vocis Rectoris fortuna Commentatio historico-philologica.* Lubecae. 1742. 4.

X. *Bibliothecae Menzianae* Pars I. Lipsiae. 1751. Pars II. ibid. 1752. Pars III. ibid. 1753. 8.

XI.

eiusdem in sacris aeque ac profanis vsus. §. VIII. *Meditationes de Sale Catechumenorum ducentes ad Bonum.* §. IX. *Sacrum.* §. X. *Dona Spiritus S.* §. XI. *Verbum divinum* §. XII. *Sapientiam.* §. XIII. *Veritatem Religionis Christianae.* §. XIV. *Legem. Sacrificia.* §. XV. *Poenitentiam* §. XVI. *Euangelium. Fidem.* §. XVII. *Foedus.* §. XVIII. *Amicitiam.* §. XIX. *Vtilitatem. Medicinam. Condimenta. Conservationem. Necessitatem.* §. XX. *Praemium.* §. XXI. *Conclusio.*

§. I.

Quemadmodum in Ritibus vetustis Judaicis multa sunt recondita, quae ab Antiquitatum Hebraicarum scrutatoribus inuestigata & inde eruta; sic in Antiquitatibus quoque Christianis, si accurate perpendantur, multa latere egregia, nemo dubitabit, multo minus ille, cuius labor in iisdem

XI. Varia Diario Theologico, Unschuldige Nachrichten, siue Fortgesetzte Sammlung von A. und N. Theologischen Sachen, dicto, cui aliquandiu operam nauauit, inserta.

Scripta, ad prelum ab ipso parata, sunt: *Tractatus plenior de Sensu Mystico Scripturae S.*, in quo controuersiae eo spectantes discutiuntur: *Paralogismorum IO. SPENCERI in Opere de Legibus Hebraeorum ritualibus Examen*, in quo totus liber quartus refutatur: *Vita SIMONIS PORTII, Philosophi Neapolitani*, e variis subsidiis rarioribus consignata.

iisdem perſcrutandis cum cura fuit verſatus. Quis enim ſibi perſuaſerit, Chriſtianos veteres, ſuperſtitionis & vanitatis puros, introduxiſſe ritus prudentiae, qua pollebant mirifice, repugnantes, & nonnihil ſaltem continentes, quo noluiſſent docere vtilia, monita ſuggerere ſalutaria, in memoriam reuocare per totam vitam obſeruanda. Quare nullus erit apud veteres Chriſtianos vſitatus ritus, qui paulo plenius expenſus, non ſuppeditet varia, ad quae illi videntur reſpexiſſe, licet plerique hiſtorice modo a rerum liturgicarum ſcriptoribus recenſeantur, non autem ſimul afferantur in medium cuncta, quae in iisdem poſſunt reperiri ab eo, qui in interiora eorundem ſtudet penetrare. Atque hinc luculentius cognoſcuntur ritus in veteri Eccleſia Chriſtiana obſeruati, & pretium, ob praeſtantiam, iis ſtatuendum eſſe permagnum, rectius intelligitur. Loquor autem vnice de ritibus, qui erant in Eccleſia Chriſtiana, cum ea eſſet virgo, nec vllo infecta modo rebus, quae ſplendorem eius ſequentibus temporibus magis ſemper magisque obſcurarunt, pulchritudinem commacularunt, aniles, ineptas, futiles ei ſuperſtitiones corruptis & deprauatis caeremoniis aſperſerunt.

§. II.

§. II.

Ex his ritibus, non hiſtorice tantum enarrandis, ſed e cauſis quoque eorundem diiudicandis, vt illorum præſtantia magis innoteſcat, producam hac vice iſtum, in quo *SALIS Catechumenorum* in monumentis veteribus Chriſtianis fit mentio, & diſpicere tentabo, quid ſanctioris reipublicae ciues ad vſum iſtius potuerit impellere, & forte etiam impulerit. Apparebit inde, quod ritus ille contineat varia, quae, ex eodem eruta, & de pulchritudine ipſius, & de veterum Chriſtianorum prudentia, in ritibus quoque oſtenſa, luculentum praebere poſſunt teſtimonium.

§. III.

Salis huius Catechumenis (de quibus Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſcriptores, quos magno citare poſſem numero, ſi id iudicarem neceſſarium, tam copioſe egerunt, vt de iis vel verbulum addere, opus haud eſſe arbitrer) dati cur nullam fecerint mentionem aliqui de ritibus eccleſiaſticis, & de Catechumenis etiam, commentati, e. g. CASP. CALVOERIVS, in cuius *Rituali Eccleſiaſtico*, aeque ac in IO. FRIDERICI *Liturgia Veteri & Noua* haud pauca de Catechumenis, nihil vero de Sale

I iis

iis dato inueni, niſi quod CALVOERIVS *P. I. p.* 200. e BELLARMINI Libro *de Baptiſmo* inter viginti duos ritus Baptismales, in duas claſſes diuiſos, nominet etiam, ſed ſine vlla expoſitione & declaratione, *guſtum Salis*, ac plures, iſthaec forſan dari poteſt ratio, probabilis ſaltem, ſi non ſufficiens, quod ritus iſte non permanſerit ſemper illibatus, ideoque temporis ſucceſſu deſierit in multis Eccleſiis, cum propius aetas accederet, qua vetus integritas in caeremoniis etiam, quae erant innocuae & a corruptelis liberae, expellebatur, eiusque loco introducebantur, quae a priſtina munditie & pulchritudine minime fucata longius recedebant. Obiter licebit hic annotare, quod DOMINICVS atque CAROLVS MACRI etiam in *Hierolexico* ritum Salis Catechumenorum taceant.

§. IV.

Inde vero neutiquam ſequitur, quod ille fictus ſit, dubius ſaltem, cum a ſilentio vnius alteriuſue ſcriptoris Liturgici nullum peti queat argumentum, quod pro firmo & ſolido ſit habendum. Interim reperitur circa eum ſententiarum diuortium, dum aliqui ante Baptiſmum, aliqui in eodem illum fuiſſe exercitum, ſtatuunt. Sic BEAT. RHENANVS *Annotatt. in TERTVL-*

TVLLIANI Librum de Corona Militis p. 721. *T. I. Opp. Tertull.*, secutus BVRCHARDVM WORMATIENSEM, ritum Salis ad Baptismi caeremonias referre, non dubitat. Idem facit IAC. PAMELIVS *Annot. in TERTVLLIANI Lib. de Baptismo p.* 337. IO. CASP. SVICERVS *Thes. Eccl. P. I. col.* 181. 653. At GABR. ALBASPINAEVS *Obseru. de veter. Eccl. Ritib. p.* 411. *sq.* vbi exponit Concilii Carthaginensis III. Canonem quintum: *Item placuit, vt etiam per solennissimos paschales dies sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum SAL: quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*, in Baptismo & eius caeremoniis Sal fuisse Catechumenis praebitum, diserte negat, ex quadam potius consuetudine in Missa, festis quoque diebus hunc ritum fuisse peractum, opinatur. Eadem memorati Concilii verba affert BARTHOLOM. CARANZA in *Summa Conciliorum p. m.* 158, vbi ad illa sic commentatur FRANC. SYLVIVS: „Per Sacramentum non hic intelligitur sacra Eucharistia, de qua expresso nomine agitur „can. seq. sed quicquid mysticum est ac sacrum signum, vt erant Eulogiae, f. panis „benedictus, qui ab Episcopis, vel etiam a „Presbyteris benedici olim solebat, & in „signum communionis catholicae fidelibus, „qui Eucharistiam non recipiebant, diebus

„dominicis diſtribui, vt ſaltem hoc com„munionis ſigno cenſerentur eſſe fideles. „Hinc can. 14. Conc. Laodic. ita ſtatutum „legitur: Sanctas oblationes ad vices Eu„logiarum per feſtiuitatem Paſchalem ad a„lias Parochias mitti minime debere, quia „ſcilicet omnes tunc debebant ſacram Eu„chariſtiam percipere. Videri poteſt Ba„ronius tom. 3. ad an. 313. *Salis* autem „ſacramentum, quo Catechumeni in exor„dio ſui Catechiſmi ad ſalutem conditi „erant, eis in can. praeſenti accipere permittitur. " Imo vero AVGVSTINVM ante Baptiſmum Sale potitum eſſe, ipſe teſtatur. Sic enim *Confeſſ. lib.I. cap.II.* diſerte ſcribit: *Audiueram ego adhuc puer de vita aeterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri, deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar iam ſigno crucis, & condiebar eius SALE. - - - Vidiſti, Deus, quoniam cuſtos meus iam eras, quo motu animi & qua fide Baptiſmum Chriſti tui, Dei ac Domini mei, flagitaui. - - - Mater iam curabat feſtinabunda, vt Sacramentis ſalutaribus initiarer & abluerer. - - - Dilata eſt mundatio mea, quaſi neceſſe eſſet, adhuc ſordidari, ſi viuerem, quia videlicet poſt lauacrum illud maior & periculoſior in ſordibus delictorum reatus foret. - - - Vellem ſcire, quo conſilio dilatus ſum, ne tunc baptizarer. - - - Sonat vndique in auribus noſtris: Nondum baptizatus eſt.* Atque hoc

illuſtre

illuſtre exemplum ſatis docet ſuperque, quod Catechumeni (de Catechumenatu enim ſuo loqui AVGVSTINVM, dubio caret) ante lauacri ſalutaris vſum Salis facti ſint participes. Neque tamen omnino deſunt, qui ad vtrumque & Catechumenatum & Baptiſmum, caeremoniam Salis referri poſſe, exiſtimant. Vid. ADAM. RECHENBERGIVS *Hierolexic. P. II. pag.* 1459. MATTH. FLACIVS *Clau. Script. S. col.* 1090. An vero Catechumenis in tertio vel quarto gradu tantum praebitum fuerit Sal ſanctificatum, quod diſerte aſſerit IO. BAPT. CASALIVS *de profanis & ſacris veterib. Ritib. P. III. p.* 128., id quidem, idoneis deſtitutus teſtimoniis, nec affirmare auſim, nec negare. Veſtigia autem ritus noſtri ſuperfuiſſe ſaeculo octauo, vel nono, demonſtrant CAROLI M. *Capitularia lib.* 7. *cap.* 109, quae praecipiunt, vt Paſchali tempore non detur Sacramentum Catechumenis, ſed *tantum benedictum SAL a ſacerdotibus pro communione tribuatur.* Conf. IO. BONA *Rer. Liturg. Lib. I. c.* 16. *p.* 181. *T. II. Opp.*

§. V.

Quam certum vero eſt, datum fuiſſe Catechumenis Sal, hocque ſacramentum Catechumenorum veteres appellaſſe, tam

foecunda erroris eſt ſententia eorum, qui ſtatuunt, "Catechumenos, licet ſacra eu-„chariſtia vtendi haud habuerint veniam, „ſimile tamen aliquid habuiſſe, quod eu-„logias ſ. panem benedictum vocant, de „ipſis illis oblationibus ſumtum, de quibus „ipſa euchariſtia olim ſumta fuit. Innititur haec, quam Bellarminvs, Vicecomes, Albaspinaevs, Petavivs, Beveregivs, Estivs, Maldonatvs, & multi alii amplexi ſunt, opinio, Iosepho Binghamo *Origin. ſ. Antiquitat. Eccleſ. Ed. Lat. Vol. IV. L. X. C. II. §. XVI. p. 37 ſqq.* iudice, "male intellecto „loco Avgvstini, qui quidem de re ali-„qua loquitur, quae ex iſtius aeui ſtilo „ſacramentum Catechumenorum vocaba-„tur, ſed panem conſecratum vel partem „eiusdem eulogiae, ex qua euchariſtia ſu-„mebatur, fuiſſe, non dicit." Verba Avgvstini *de peccator. merit. L. II. C.XXVI.* ſic habent: *Non vniusmodi eſt ſanctificatio. Nam et Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari, & quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt.* "Sacramen-„tum, verba ſunt Binghami, vocat ex „more iſtius ſaeculi, ex quo res quaelibet „ſacramentum dici ſolebat, quae aliquid „my-

„ myſterii, vel ſpiritualem ſignificatum in
„ ſe habebat. Sed hoc ſacramentum non
„ fuiſſe panem conſecratum, ſed Salis dun-
„ taxat particulam, ex AVGVSTINO con-
„ diſcere eſt, qui ipſe de ſe, tanquam ca-
„ techumeno, loquens eo ſe tempore ſigno
„ crucis Chriſti ſignatum, eiusque ſale con-
„ ditum eſſe dicit. Et hoc ipſum fuiſſe,
„ nec quidpiam amplius, ex Concilii Car-
„ thaginenſis tertii, cui AVGVSTINVS
„ ipſe interfuit, canone aliquo patet, ita
„ decernente: *Placuit, vt per ſolenniſſimos pa-*
„ *ſchales dies* rel. Ex quibus verbis facile ad
„ colligendum eſt, per ſacramentum Cate-
„ chumenorum nihil intelligendum eſſe
„ aliud, quam hanc aliquid Salis eis dandi
„ caerimoniam, perinde vt lac & mel poſt
„ baptiſmum egreſſis de lauacro deguſtan-
„ dum dari conſueuit, vti BONA Cardina-
„ lis, ALBERTINVS & BASNAGIVS
„ recte concluſerunt: quum huius rei ſco-
„ pus non eſſet, vt illis quidpiam in imita-
„ tionem daretur euchariſtiae, quippe quam
„ illos ſemper celabant, ſed vt ex hoc ſym-
„ bolo animas ſuas peccatis purgare diſce-
„ rent & mundare, quandoquidem Sal pu-
„ ritatis & munditiei emblema eſt. “

§. VI.

Etſi itaque Salis Catechumenorum GVIL. DVRANDVS *Rational. Divinor. Offi-*

Officior. f. 26. a. 97. a. BONA *loc.cit.p.*180 MATTH. ZIMMERMANNVS *Diss. ad illud Tertull. Apolog. c. XVIII. Fiunt, non nascuntur Christiani, p.* 51. IO. STEPH. DVRANTVS *Lib. I. de Ritib. Eccles. Cathol. p.* 141. IOACH. HILDEBRANDVS *Exercitat. de Ritib. Sacr. pag. E. a.* IO. ANDR. SCHMIDIVS *Lexic. Eccles. P. III. p.* 12. RECHENBERGIVS *loc. cit.* TROGILL. ARNKIELIVS *Confirm. Catechum. p.* 28 *sq.* IOSEPH. VICECOMES *Lib. II. de Antiq. Baptism. Ritib. c.* 42. M. L. BAILIVS *Summ. Concilior. Tom. II. p.* 480. STEPH. MORINVS *Dissert. p.* 109 *sq.* & plures, meminerint, nonnulli etiam, sed pauciores, causam vnam alteramue breviter simul attigerint, nemo tamen tot produxit in medium, quot in hoc ritu, si is paulo accuratius expendatur, possunt inueniri. Quae itaque mihi, eundem meditato, in mentem venerunt cogitationes, eas in chartam coniectas licebit expromere. Num acu rem semper tetigerim? & num primi ritus huius auctores cunctas in mente habuerint cogitationes? quas Sal iis potuit suggerere, id, aliis diiudicandum relinquens, neque nimis confidenter affirmabo, neque audacter inficiabor, cum mihi satis esse queat, paucis ostendisse, quam fertilis & vbertate rerum diues sit hic ritus, & quam laudabiliter idcirco veteres Christiani eum adhibuerint. Pertinet ille haud dubie

bie ad eos, de quibus peritiſſimus iudex, magnus nempe, ingenuus & indefeſſus antiquitatum Chriſtianarum ſcrutator, laudatus HILDEBRANDVS *loc. cit. p. G. a.* luculenter ſcribit: *Ritus ſunt ſigna rerum ſacrarum. - - - Ritus ab Eccleſia profecti ſunt externa ſigna, ſub quibus ſaepe aliud quid innuitur.* Defectu ſane rerum in conſideratione huius ritus non laborabo, omnia licet, ne transgrediar limites, haud dicturus, quae copioſius hic dici poterant, & circa vnumquodque argumentum breuiter quoque tertium comparationis modo indicaturus.

§. VII.

De vocabulo SALIS generatim obſeruo, quod tam late pateat, tamque multa ambitu ſuo complectatur, vt, ſi impropriae ipſius & ſymbolicae ſignificationes omnes reſpiciantur, eam hic cernamus emphaſin, efficaciam, vim, quam non e cunctis vocibus aliis licebit, omni etiam impenſa opera, expromere. Vſus eius eſt in naturalibus, vſus eſt in profanis, vſus eſt in ſacris, qui potiſſimum attendendus, ſiquidem non ad maximam modo ei valet laudem, ſed ea etiam docet, monſtrat, illuſtrat, quae coetus Chriſtiani membris ſcitu ſunt neceſſaria, iisdemque vtilitatem,

nullo aeſtimandam pretio, conciliant. Salis enim ſymbolicus datur vſus, isque pereximius, ſub quo ſcilicet magni momenti res, in variis quidem monumentis, praecipue tamen in tabulis diuinioribus, comprehenduntur, quarum cognitio perinſigne homini Chriſtiano affert emolumentum. Cogita enim Sale adumbrata magni momenti vocabula, Bonum, Sacrum, Dona Spiritus S., Verbum diuinum, Sapientiam, Veritatem Religionis Chriſtianae, Legem, Poenitentiam, Euangelium, Foedus, Sacrificium, Condimentum ſpirituale, Amicitiam, Medicinam, Vtilitatem, Neceſſitatem, Conſeruationem, Praemium, & non poteris emphaſin huius vocis ſenſu ſanctiori acceptae ſatis demirari. Huic declarandae prædicandam idcirco operam nauarunt FLACIVS *loc. cit. col.* 1089 ſqq. SVICERVS *l. c. col.* 177 *ſqq.* RAVANELLVS *Biblioth. S. P. II. p.* 949 *ſqq.*, qui varia de Sale, & myſtico potiſſimum, haud ſegniter annotarunt. Addi omnino meretur celeberrimus quondam Theologus Wittenbergenſis, GOTTL. WERNSDORFIVS, qui in *Diſp. de Salſura ſpirituali ex Marc. IX.* 49. 50. egregia etiam de Sale myſtico docuit, ſententiamque ſuam de citato loco his p. 22. expoſuit verbis: " Nos quidem locum no„ſtrum ſic interpretamur, vt per Salem „*Verbum Dei* & *Spiritum Sanctum* intelligamus,

„mus, *poenitentiam* tamen ex verbo Dei „redundantem, & cum *fide*, quae ex *Euan-* „*gelio* eſt, coniunctam, & denique *caſti-* „*gationem Dei* paternam, ſeu *tribulationem* „& *crucem*. cum iis coniungamus.“ In primis conſulendus eſt Vir ad ſaeculi noſtri ornamenta iure referendus, Io. Lavr. a Mosheim, qui ſub praeſidio praeſtantiſſimi etiam Theologi Cimbrici, Alberti zum Felde, tam copioſam, quam eruditam, in memoriam Feſti ſaecularis Euangelici ſecundi, 1717 Kilonii habuit Diſſertationem, qua *Pontificios, Salis Apoſtolici expertes, in re Fidei fluctuare, ad Matth. V.* 13. ſolide demonſtrauit, hacque occaſione de Sale myſtico (cuius Catechumenis olim dati meminit quoque p. 84. & diſcriminis quidem inter veterem atque recentiorem eius vſum oſtendendi cauſa) tam accurate, tamque praeclare egit, vt hac de re conſignata non ſine voluptate legi queant. Nos delectum habituri, ea modo producemus in medium, & a laudatis viris allata augere quodammodo ſtudebimus, quae Sali Catechumenorum declarando & illuſtrando poterunt inſeruire, vt quam eximius fuerit hic ritus, quibusue ille meditationibus anſam praebuerit, paulo vberius indicetur, etſi, plane exhauſtum iri hoc argumentum, nec plura ex eodem poſſe erui ab alio, acutius cernente & ſcrutante

tante melius, nolim aſſerere. Licebit inde cernere, quid ad Salem Catechumenis dandum, & pulchrum huiusmodi ritum adhibendum, veteres Chriſtianos potuerit impellere. Vt paucis dicantur multa, cum omnia exponere, pro inſtituti ratione, non liceat, ſtudebo.

§. VIII.

Sal eſt *Bonum*. Huius rei probandae cauſa non opus eſt praeconia Sali a multis delata afferre, cum diuinum ipſius Saluatoris effatum: καλὸν τὸ ἅλας, *Bonum* eſt *Sal*, Marc. IX. 50. Luc. XIV. 34. luculentiſſime iſtud confirmet. Sale dato ſpes iniicitur Catechumenis, fore, vt omnium bonorum ſpiritualium fiant participes, ſi ea non aſpernentur. A Sale abſtinuiſſe quosdam, in antiquis monumentis legimus. Quod Numidae non quaerant ſalem, teſtis eſt SALLVSTIVS *Bell. Iugurth. p. m.* 360. De Aegyptiorum ſacerdotibus idem fuit ex antiquis ſcriptoribus a MORINO *l. c. p.* 104 *ſq.* IO. PIER. VALERIANO *Hieroglyphic. Lib. XXXI, c.* 9. *p.* 313, in cauſas ſpreti ſalis ſimul inquirentibus, obſervatum. Imo vero magnitudinem huius odii ſic exprimit VALERIANVS: *Aegyptii ſal ita auerſabantur, vt ne pane quidem ſalito veſcerentur.* Ab auerſantibus Sal myſticum ca-

cauere ſibi debebant Catechumeni, & impiorum, iſtud non quaerentium, fugere conſortium, ſi, quae cum illo coniuncta ſunt, bona ſpiritualia vellent adipisci.

§. IX.

Sali, pro *Sacro* habito, a PLATONE, HOMERO, PLINIO, & aliis adſcribitur diuinitas. Profanos non moramur, cum e ſanctis ſcriptoribus multo rectius poſſimus concludere, quod Sal, non naturale quidem, ſed myſticum, ad res ſacras exprimendas in ſacro codice ſaepius adhibitum, *ſacrum* poſſit appellari. Quid vero impedit, quo minus dicere queamus, Sal datum fuiſſe Catechumenis eo fine, vt ſcirent, omne, quod profanum eſt, & a ſacro DEI cultu, eodemque ſincero ac genuino, remotum, ſummo in poſterum ſtudio debere euitari.

§. X.

Inter Salis Apoſtolici, Matth. V. 13. Marc. IX. 49. Col. IV. 6. interpretes ſunt etiam, qui *Dona Spiritus S.* ſimul innui, arbitrantur, per ignem, quo omnis ſalietur, potisſimum intelligentes Spiritum S. in quem notio ignis etiam ſtylo Biblico quadret. Etſi vero malint alii ad Tentatio-

tiones & Afflictiones hic respicere, recte tamen dona etiam Spiritus S. citatis locis in Sale sunt inuestigata, quod ex vberioribus Commentatorum expositionibus haud difficulter cerni poterit. Veteres Christiani, praebentes Catechumenis sal, quin serio optarint, vt illi donis Spiritus S. largissime instruerentur, quis dubitabit, qui nouit eorum candorem, quo nouellis etiam Christianis faustum, in stadii sacri initio, progressum, vt optatam felici cursu metam contingerent, apprecabantur?

§. XI.

Salis mystici nomine comprehendi etiam *Verbum diuinum*, eo rectius statuitur, quo certius est, quod Apostoli propter Verbi etiam diuini praedicationem, demandatam ipsis eo consilio, vt erudirentur gentes, vt coelestia iisdem oracula innotescerent, *Sal terrae* vocentur, & multo quidem honorificentius, quam Graeci olim, ob doctrinam humanis modo verbis constantem, cum aliis communicatam populis, *sal gentium*, LIVIO teste, fuerunt appellati. Quam nota haec res, tam salubre quoque merito censetur suppeditati *Salis* institutum, siquidem veteres Christiani hoc etiam ritu monere potuerunt Catechumenos, vt luculentissime degustarent Verbi diui-

diuini Sal, eodemque cummaxime delectarentur.

§. XII.

Decantatum eſt *Sapientiae* ſymbolum Sal, quo veteres, ipſius vim & praeſtantiam adumbrandi cauſa, ſaepius vſos eſſe, legimus. Docent hoc perſpicue formulae: *ſalem habere*, *mica ſalis*, *ſal ſapientiae*, *granum ſalis*, & his ſimiles, quibus omnibus ſapientia innuitur. Catechumeni ſapientia erant imbuendi, & multo meliori quidem, quam Stoica, in ſic dicto Sapiente mirum in modum praedicata, ſpirituali ſcilicet ac diuina, ad quam vt magis ſemper magisque adſpirarent, inque eadem quotidie proficere contenderent, Sal, ſignum Sapientiae, illis porrigebatur. Verae huius ſapientiae, vt ab omnibus Chriſtianis, ſic a Catechumenis etiam, ſedulo & cunctis appetendae viribus conditionem iuuat Tullii inter Patres, LACTANTII, *Lib.III. de Falſ. Sapient. p.m.* 342 *ſq. in Opp. edit. Seruat. Gallaei*, verbis declarare: *omnis Sapientia hominis in hoc vno eſt, vt DEVM cognoſcat & colat. - - - Quid nobis iniqui ſumus? & Sapientiam ſuſcipere cunctamur? quam docti homines contritis in quaerendo aetatibus ſuis nunquam reperire potuerunt. Qui vult ſapiens ac beatus eſſe, audiat DEI vocem; diſcat iuſti-*

iustitiam: sacramentum natiuitatis suae norit; humana contemnat; diuina suscipiat; vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Huiusmodi sapientiam sine dubio quoque veteres Christiani sale dato indicare & Catechumenis de nota meliori commendare voluerunt.

§. XIII.

E sale etiam Apostolico *Religionis Christianae veritatem* ostendi posse, aliqui opinantur. Nec male. Sal enim, quo, iubente Saluatore, sermonem suum condiebant sanctiores legati, erant in primis dogmata Fidei Christianae, quae solidissimis demonstrabant argumentis; facundia diuinitus concessa tam efficaciter eloquebantur, vt mentes commouerent fortissime, stimulumque in animis & auditorum & lectorum relinquerent; signis ac miraculis corroborabant, atque sic vi salis mystici, saluberrime adhibiti, & a sale falsarum doctrinarum insulso, aut *infatuato* (quo nomine falsae doctrinae, haereticique, illarum patroni, in Actis Concilii Africano-Carthaginensis tertii, nec non Dialogo Orthodoxi & Luciferiani ap. RVELIVM ac HARTMANNVM *Concil. illustrat.* Tom. I. pag. 837. 1197. insigniuntur) omnino distincti, vnice veram esse Religionem Christianam,

euin-

euincerent. Catechumenis non ſine maximo proponi poterant commodo ea, quibus de Veritate Religionis Chriſtianae conuincerentur, & veram eandem eſſe, mature diſcerent, quod ſi dato etiam ſale illis inculcare ſtuduerunt veteres Chriſtiani, laus inde redundans eo minus iis eſt abiudicanda, quo magis de ſalute Catechumenorum fuerunt ſolliciti, & prudentiae magnae amorisque intenſi illuſtre dederunt documentum.

§. XIV.

A myſtico Sale non remouendam, ſed ſub eo ſimul comprehendendam eſſe *Legem*, & cultus legalis & munus Apoſtolicum edocent. Cultus legalis partem haud exiguam conſtituebant *Sacrificia*, ad quae cur, diuino mandato Leu. II. 13. Ezech. XLIII. 24. exigente, adhibitum fuerit Sal, ampla eſt eorum, qui antiquitates diſquirunt Iudaicas, diſceptatio, dum non omnes afferunt easdem rationes, vnde ſententiarum hic datur diuortium. In his vti aliae ſunt aliis probabiliores, ſic vna, a MAIMONIDE (quem notauit etiam, more ſuo i. e. doctiſſime ſolidiſſimeque de Sacrificiorum omnium condimento Sale agens, Vir, cuius immortalia merita ſupergreſſa dudum ſunt

K laudes

laudes omnes, Io. GOTTLOB CARPZOVIVS *Apparat. hist. crit. Antiquitat. S. Cod. & Gent. Hebr. p. 716 sqq.*) prolata, plane falsa deprehenditur. Is nimirum putat, quod Iudaei vsu Salis in Sacrificiis sese voluerint discernere ab Ethnicis, apud quos sale caruerint sacrificia. At enim vero dormitasse hic MAIMONIDEM, & salem fuisse in profanarum gentium sacrificiis vsurpatum, vel sola docet mola salsa, cuius antiqui scriptores saepius meminerunt. Ne dicam de aliis vsum Salis in Sacrificiis gentium testantibus, quae Io. SAVBERTVS *de Sacrif. Veter. c. 17. p. m. 395. c. 18. p. 429 sq.* PAVL. MERVLA *de Sacrif. Roman. p. 21 sq. de Sacerdotib. Roman. p. 55.* GVILIELMVS du CHOVL *Veter. Romanor. Relig. p. 235. 251.* LVDOV. NONNIVS *Diaetetic. Lib. I. c. 48. p. 153.* annotarunt. Vti autem variis rationibus, de Sale in Sacrificiis, expendendis non immoror, ita obseruo tantum, quod Sal admonere potuerit Catechumenos officii sui, quo debebant *παραστῆσαι τὰ σώματα θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ.* Rom. XII. 1. cum possint hoc sacrificii genere omnium optime seiungi a Iudaeis, & recentioribus quidem, minus recte tempore N. T. sacrificantibus, illosque aemulatis Gentilibus, in quibus fuit quidem sacrificandi instinctus, sed ineptus, sed vanus, sed irritus, qui DEO neutiquam potuit placere.

cere. Conf. Io. ScheffERI *Exercitat. de Instinctu sacrificandi in Gentibus*, Vpsal. 1670. 8. edita. Ad doctrinam ab Apostolis recte fideliterque proponendam, explicandam, inculcandam, etiam dogma de *Lege* pertinebat, quod eos neutiquam omisisse, scripta ipsorum clarissime comprobant. Cum itaque Salis nomen totam doctrinam Apostolicam complectatur, Catechumeni etiam exhibito Sale potuerunt doceri, quod, in Nouo licet Testamento viuentes, a Lege tamen morali non sint liberi, sed, volente sic Numine sanctissimo, ei morem debeant gerere, eandemque normam & regulam actionum suarum agnoscere, etsi humana non concedat infirmitas, vt perfecte illam possint implere.

§. XV.

Per Sal intelligi *amaritudinem Poenitentiae*, DVRANDVS *loc. cit. f.* 97. *a.* diserte scribit; quocum alii consentiunt. Hanc dum agit Christianus, cogitat de euersione peccatorum per Sal mysticum instituenda. Illustrare hoc studet vrbibus expugnatis & deinceps sale consperfis (de quibus commentati sunt SAM. BOCHARTVS *Hieroz. P. I. Lib. III. c.* 16. Io. HENR. VRSINVS *Analect. Sacr. Vol. I. Lib. II. c.* 30. *p.* 157 *sq.* Io. CLERICVS *Commentar. in Iudic.*

IX. 45. commentati ſunt alii; ſed nemo melius, quam STEPH. MORINVS, in cuius Dordrac. 1700. 8. euulgatis Diſſertationibus octo tertia *de Sale aſpergi ſolito ſuper Vrbium dirutarum ruinas p.* 96 *ſqq.* hoc argumentum copioſe pertractatur) IACOB. LYDIVS in *Syntagm. Sacr. de Re Militar. p.* 233, vbi allato e Iudic. IX. 45. vrbis Sichem exemplo & praemiſſis aliis huc ſpectantibus, diſerte ad Catechumenos poenitentes accommodat. *Hinc*, ait, *Sal Catechumenorum olim introductum, quo denotabatur ziz aniorum peccati & corruptae carnis exſtirpatio.* Vrbs autem ſale conſita, ſiue terra potius, aut ager, in quo ſteterat, nullum amplius fructum ferebat. Conf. WILH. ERN. EWALDI *Emblem. Sacr. P. II. p.* 473 ſq. Ritus Salis occaſionem praebere poterat admonendi Catechumenos, de ciuitate maligni ſpiritus, quae foediſſima eſt Πονηρόπολις, per CHRISTVM expugnata; de peccatis delendis, vt infelix delictorum grauiſſimorum lolium & ſteriles vitiorum auenae non amplius dominentur: ager e contrario cordis ſanctum & incorruptum verae fidei, ſaluberrimaeque doctrinae ſacrae ſemen accipiat, & fructus virtutum ferat largiſſimos.

§. XVI.

§. XVI.

E verbis, quibus generis humani Sospitator allocutus est Apostolos: *Vos estis Sal terrae*, non exclusit quidem Legem, potissimum tamen hic rationem habendam esse *Euangelii*, liquet. *Illi*, sic scribit FELDENIVS l. c. §. II. *curatius instituunt*, *qui vim Euangelii hic inprimis intelligunt*, & rel. Euangelium quoque in sale mystico reperit citatus VALERIANVS, Pontificius, cuius haec notabilia verba extant l. c.: *Theologi nostri sal accipiunt pro doctrina Euangelica, idque sibi velle, quod capite Leuitici secundo dicitur*: Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis DEI tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal. *Quasi dicere velit Legislator, quodcunque docueris, quodcunque correxeris, in quacunque virtute versatus fueris, ad Apostolicam aemulationem & imitationem tete accommoda: Sal enim terrae Apostoli, Domini ipsius testimonio.* Sale hoc Euangelico indigebant vtique etiam Catechumeni, qui laeto de Saluatore & Redemptore mundi nuntio, ipsis haud dubie exposito, eo minus carere poterant, quo magis animi ipsorum erant confirmandi. Memoratus MORINVS hac de re l. c. p. 109. ita disserit: *Cum salutaris illa gratia a CHRISTO, vt a suo fonte, manet, & in eius communione duntaxat reperiatur,*

prisci Ecclesiae doctores, vt solarentur Catechumenos, in solennem Eucharistiae communionem nondum admissos, testarenturque, Sacramenti priuationem posse fide suppleri, Sal ipsis dabant, vt contra natiuam corruptionem munitiores essent & bonorum operum fertiliores. Quae dum possunt *Fidei* vnice tribui, & huius symbolum existimabitur Sal mysticum.

§. XVII.

Quod *Foedus* salis idem sit, ac constans, firmum, stabile, dudum annotarunt ii, qui data de foederibus egerunt opera, & ritus in iisdem pangendis sancte obseruatos descripserunt. Quare hoc argumentum attingo tantum, non expono, neque in salis adhibiti causas, quarum praecipua videtur esse duratio eius & a corruptione immunitas, omnes, quae solent proferri, inquiro, ne actum agere & Iliada post Homerum canere velle videar. Missum quoque facio, illustrationis causa huc forte afferendum, Pactum Legis Salicae, cum incertum sit, vtrum a Sale? in qua opinione haud pauci versantur viri docti, & in his Morinvs loc. cit. p. 138; an a gente Salica? aut pago Salico? (vide Io. Georg. Eccardi *Nott. ad Leg. Francor. Salic. & Ripuarior.*, ac sigillatim ad God. Gvil. Leibnitii *Dis.*

Disquis. de Orig. Francor. p. 256.) nomen acceperit. Mihi vnicum ברית מלח עולם, *foedus salis perpetuum*, Num. XVIII. 19, potest sufficere ad salis in foederibus habitam rationem ostendendam. Hoc foedus salis vti, aeque ac alia, religiose seruari debebat, sic a Catechumenis quoque acceptum sal poterat esse *μνημόσυνον* foederis, quod Deus iniit cum hominibus, cui, quoad fieri potest, seruando omnis opera nauanda.

§. XVIII.

Sal erat *Amicitiae* symbolum, quod hospitio olim excepti testantur, quibus primo, ante cibum capiendum, offerebatur Sal, quod per amicitiae symbolum rerum antiquarum explanatores interpretantur. Vide quae hanc in sententiam ex EVSTATHIO & LVD. COEL. RHODIGINO a RVELIO *Concil. Illustrat. T. I. p.* 141. nec non IAC. PHIL. TOMASINO *Lib. de Tesser. Hospitalit. p.* 74. sunt allata. Conferatur VALERIANVS *loc. cit.* p. 314, &, qui in primis legi meretur, MORINVS *loc. cit. p.* 110 *sq.* Catechumenis acceptum Sal poterat in memoriam reuocare summam felicitatem eorum, qui sunt amici DEI; magnum decus illorum, qui cum hominibus sibi proximis,

genuinis praesertim Christianis, sinceram colunt amicitiam; turpissimum dedecus istorum, qui cum impiis, imo cum ipso maligno spiritu, amicitiam contrahere, nulli sibi ducunt religioni.

§. XIX.

Permagnam Salis esse *Vtilitatem*, non indicat modo tritum istud Plinianum: *Sale & sole nihil vtilius*; sed multa etiam adsunt alia, idem comprobantia, e quibus pauca seligemus. Vtilitatem Salis ostendit *Medicina*, cuius cultores eandem commemorant & maiori edisserunt copia, quam huc referre opus est. Breuiter etiam hoc argumentum NONNIVS *l. c. Lib. I. cap.* 48. *pag.* 154 sq. attigit. Haec vero vtilitas non est vocanda in dubium propter veteres quosdam, sale in curandis morbis superstitiose vsos. Exemplum eiusmodi superstitionis in salis vsu e PLINIO affert TOMASINVS loc. cit. Omnium etiam *Condimentorum* princeps Sal recte censetur & aroma optimum praedicatur, quae res tam nota est, vt declaratione non indigeat. Maxima Salis vtilitas a *Conseruatione*, quam praestat, multarum rerum est deriuanda. *Sal*, inquit CLAVD. SALMASIVS Exercitat. Plin. in Solin. Polyh. P. II. p. 1172, *a putredine*

ac

ac tabe carnes defendit, vt necesse sit proinde diutius durare, quae salitae sunt. Neque carnem solum conseruat sal, sed multo plures etiam res, quod notissimum est. Vti vero neutiquam spernendae sunt hae Salis naturalis vtilitates, ita multo maiores praestantioresque indicare sine dubio voluerunt veteres Christiani ritu, quo Catechumenis sal dederunt, mystica & spiritualia meditati. Desiderarunt enim haud dubie, vt verbum diuinum, vt religio Christiana, vt cuncta media salutis, vt ipse generis humani Medicus, Saluator O. M. mederetur animabus Catechumenorum, ne perirent, sed sanitatis potius aeternae ac nullo auferendae morbo redderentur participes. Voluerunt, vt illo semper delectarentur condimento, quod diuinis significatur verbis: Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, *habete in vobismet ipsis sal*, Marc. IX. 50. ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, *sermo vester semper sit cum gratia, sale conditus*, Col. IV. 6. Sale autem illibatae doctrinae sanctioris, sale sapientiae, sale humanitatis exquisitissimarumque virtutum, nihil potest homini in Christianam recepto ciuitatem esse sapidius. Insulsa ei sunt omnia, quae his contrariantur. Optarunt denique, vt hunc salem adepti, multo certius, quam sale terrestri

carnes ac res aliae, diuina potentia per fidem conseruentur ad salutem. 1 Pet. I. 5. Quam magna autem salis in vita humana est *Necessitas*, quo scilicet nemo facile potest carere; tam necessaria etiam esse, imo multo magis necessaria, cuncta, quae sale mystico possunt significari, is sponte largietur, qui salem habet. *Nam sicut omnis cibus*, scribit VALERIANVS l. c. *ad nutrimentum aptus omnimodo sale conditur, ita omnis sermo vtilis ad iuuandum Apostolicae omnimodo sapientiae necessarium habet condimentum.* Eadem necessitas de reliquis etiam rebus sanctioribus rectissime asseritur. Vnde eam veteres quoque Christiani, sal impertientes Catechumenis, pro ea, qua erant insignes, prudentia, agnouisse, intelliguntur.

§. XX.

In Sale quoque latere symbolum *Praemii*, aut *Mercedis*, constat. Sal nimirum ac Panis pari solebant passu apud veteres ambulare. Vnde quemadmodum Panis nomine cuncta, quae ad vitam naturalem sustentandam necessario requiruntur, praeeuntibus ipsis scriptoribus sanctis, designantur; ita Sal eadem ratione interdum occurrit. Vid. quae hanc in sententiam obserua-


ſeruarunt LYDIVS *loc. cit.* 243. MORINVS *l. c. p.* 120 *ſq.* Imo vero ipſum Sal etiam pro labore datum fuiſſe, ex his PLINII *Hiſt. Lib. XXXI. c.* 7. verbis: *SAL honoribus etiam militiaeque interponitur SALARIIS inde dictis*, haud inepte colligi poſſe videtur. Iſtud certum eſt, quod a *Sale* nuncupatum ſit *Salarium*, quae vox initio fuit militaris, militumque deſignauit Stipendium, deinceps autem facta eſt communis, omne præmium, quod pro officii laboribus datur, inuoluens. Salis occaſione notitia etiam gratuiti *Praemii*, quod Chriſtiani, in fide ad finem vsque perſeuerantes, in coelo tandem diuina accipiunt beneuolentia, potuit, excitandi eos & inflammandi cauſa, praeberi.

§. XXI.


Plura non addo, quamuis meditanti Sal Catechumenorum plura forſan poſſe ſubminiſtrare, nolim inficiari. Satis enim me probaſſe, puto, quod in vno nonnunquam veterum Chriſtianorum ritu tam multa ſint recondita, vt ſi inde eruantur cuncta, integris ea Commentationibus materiam queant ſuppeditare, praeſertim ſi ediſſerantur vberius, quae breuitatis ſtudio paucis modo delibaui. An vero Chriſtiani

vete-

veteres Sale Catechumenis dato omnia ista intenderint, animoque voluerint, quae inde erui potuerunt? quaeri facilius, quam ope luculentorum disertorumque testimoniorum, in monumentis antiquis ecclesiasticis extantium, ad hanc quaestionem responderi posse, non diffiteor. Interim ad ostendendam pulchritudinem & elegantiam huius ritus, pietatem quoque eorum, qui, remota omni superstitione, illum instituerunt, ea facere, quae consideratio eiusdem suggessit, statui posse, non omnes negabunt, praesertim, cum detur inter ritus etiam differentia, siquidem non omnes tam foecundi sunt, quam is est, in quem inquirere, operae pretium duxi. Sed manum de tabula.



NOVA
BIBLIOTHECA
LVBECENSIS.



VOLVMEN IV.

LVBECAE
SVMTV IONAE SCHMIDII
A. MDCCLIV.

CONTINENTVR
Vol. IV.



I.

De
lege futurorum bonorum vmbram, non ipſam actionum imaginem exhibente, ad Ebræos X. v. 1.
DISQVISITIO

auctore
M. HENRICO SCHOLTZ
Sileſio.

Συνοψις.

§. I. *Theologus* ἀφιλοσοφος, *an* ἀφιλολογος, *quis miſerior?*
§. II. Ἀφιλολογιας *damnum.*
§. III. *Loci noſtri* δυσνοησις, *eaque*
§. IV. *e verſionibus.*
§. V. *Vnde verſionum diſcrepantia.*
§. VI. *Synchyſis hic non admittenda eſt.*
§. VII. *Quæ legis hic notio?*
§. VIII. *Quid bona ſint futura?*
§. IX. *Quod a bonis hiſce diſcrimen* των πραγματων;

A §. X.

§. I.

Quanquam Philoſophiæ ſanioris ſtudium, teſte b. AVGVSTO PFEIFFERO, cum Philologia literarum ſacrarum interpreti alteram quaſi alam, qua ad veri ſenſus ſolidam explicationem ſubuolet, ſubminiſtrare affirmo; animum tamen meum illud b. CHEMNITII, eum, qui grammaticus bonus ſit, bonum demum theologum eſſe, retinet attentum. Ipſemet enim iſte, vt AVGVSTINVS lib. XVIII. Ciuit. Dei c. 39. Moſen, priusquam lex legeretur, inſtituiſſe docet, vt γραμματος εισαγωγος audiretur, exemplis vbique locorum ſuorum oſtendit, ſpiritum ſanctum ſua in ſcriptura non tam philoſophari, quam grammaticari. Itaque, quanto philoſophiam in maiorem της συλαγωγιας ſuſpicionem adducit Apoſtolus, Col. II. 8. tanto fortius commendat vbique literarum philologiam, vel Rom. XVI. 15. iubens non philoſophum

ſophum quendam, ſed *Philologum* ſalutari. Hunc ego non tam nomine, quam omine coniecto appellari quoque philologum: tum, quod, vt ἀσυγκρίτου, ita & Φιλολόγου nomen tanquam vulgare hominum proprium tunc temporis nondum receptum erat; tum, quod cum ſalutandos quidem ceteros elogio exornaſſet Paullus, hos, quorum verſ. 14. & 15. recenſentur nomina, præter conſuetudinem ſuam lectorisque Chriſtiani fructum reliquiſſet obſcuros. *Originis* enim opinionem, qua his nihil addi putat laudis, *quod poſt multa peccata ad poenitentiam conuerſi fuiſſe videantur*, nullius eſſe momenti exiſtimo *a*). Contra Paullus, ſiquid ego video, præmiſſo nomine & animum & doctrinam deſignante, ſequentium potius quemlibet maxume commendauit. Commendat *Aſyncritum*, *Phlegontem*, Hermam, Patroban, Hermen eorumque confratres tanquam *paſtores*, teſte b. IGNATIO in epiſt. ad Smyrnenſes §. 13. *b*) incomparabiles, aliosque ad fidei ardorem accendentes. Commendat deinde *Philologum* & Juliam, Nereum eiusque ſororem Olympam, ſanctosque cum iis omnes, tanquam *doctores*

a) DOROTHEI epiſcopi Tyrii fabulas nihil moror. Conf. b. I. A. FABRICII tom. III. Cod. Apocryph. N. T. p. 751.

b) Conf. edit. Ittigian. & b. WOLFII Cur. ad Rom. XVI. 14.

non amore modo, ſed & doctrinæ ſanctisſimæ virtute alios omnes antecedentes. Horum enim nominum, quem hoc capite XVI. recenſet, catalogus, quid ſibi velit, oſtendit Apoſtolus partim 1 Cor. IV. 9. XII. 28. partim Epheſ. IV. 11. vbi qvidem doctores ſeu Philologos in claſſem refert poſtremam.

§. II.

Sed, vt *Tranquillus* ſua ætate *Philologi* appellationem viro vendicat multiplici variaque doctrina claro *c*); ita ſalutationibus illis recte monet MELANCHTHON ab Apoſtolo eccleſiam pingi & edoceri, quantos ludos, quantosque ſtrepitus *ἀφιλολογος* daturus ſit Philoſophus *d*). Philoſophus enim *ἀφιλολογος*, quem & *χρηστολογον* & *ἐυλολογον* appellat Apoſtolus, neglecta ſpiritus ſancti litera, ſuauia in præſentia intentus tanquam Gnato exegeticus, *λογομαχιας* vbique accuſat alios, ipſe autem aliis propinat *διχοστασιας*. Alter igitur Paullus, b. LVTHERVS rectisſime: das hat auch beweiſet, inquit, und zeiget noch an die Erfahrung. Denn, ſo bald nach der Apoſtel Zeit, da die Sprachen aufhörten, nam auch das Evangelium und der Glaube und gantze

c) Libr. de illuſtr. Gramm. c. X.
d) Tom. IV. opp. Comment. in h. l.

gantze Christenheit je mehr und mehr abe, bis daß sie unter dem Bapst gar versuncken ist. Und ist, seit der Zeit die Sprachen gefallen sind, nicht viel besonders in der Christenheit ersehen: aber viel gräulicher Gräuel aus Unwissenheit der Sprachen geschehen u. s. w. *e*) Philologiæ, non Philosophiæ ignorantia Pyrrhonem enixa est exegeticum. Hic hæresin genuit, philosophia autem ἀφιλολογος peperit. Exempla per sæcula omnia ex historia ecclesiastica sunt ita in promtu, vt alii, ceu Marcio, philologiæ sacræ argumenta e medio tollerent, alii suis commentariis, alii versionibus eneruarent. Contra, vti Dei seruus neque θεομαχει, neque λογομαχει, Deo ejusque verbo bellum inferendo, sic potius τον λογον ἀληθειας ὀρθοτομει, voces diuini sermonis veras ab inanibus veritatis recte secernendo *f*). Quod, vtrum theologus ἀφιλολογος, an ἀφιλοσοφος obseruauerit, iudicium penes sincerum esto lectorem. Illud si tot post religionem diuina b L V T H E R I opera reparatam in animum induxissent versionum sacri codicis in varias saltem Europæ linguas auctores, B E C A N O Pontificio nec dedissent oc-

e) Tom. Ien. II. rec. fol. 475.

f) 2 Tim II. 14. 15. sensum vocum genuinum alibi exponam. Conf. DEYLINGII ven. olim præceptoris nostri Diss. de *Orthotomia verbi veritatis* §. 12sqq.

casionem cauillandi *g*), nec b. LVTHERO nostro sua iam ætate querendi: *omnino melius fuisse, retinere illam hactenus receptam & vsitatam versionem bibliorum, quam tot nouas versiones cumulari, quibus nihil proficiatur, nisi quod dissimilitudo & discrepantia lectionum memoriam legentium turbet, & studium remoretur, ac in multis locis incertiorem, quam fuerit, lectorem dimittat.* Quod si non sic esset, DIONYSIVS ille PETAVIVS cum TVRRIANO, BELLARMINO aliisque ignorantiæ Patronis forte fortuna non scripsisset, vix ullum esse in tota ad Ebræos epistola locum illo, quem supra indicauimus, obscuriorem *h*).

§. III.

Esse autem nonnulla in D. Paulli doctrina δυσνοητα, Petrus quidem ipsemet confitetur. Sed vna δυσνοησιν illam nequaquam ex literis Paullinis, sed ex hominum, qui verba detorquent, siue inscitia siue malitia oriri, certum habemus *i*). Fuge quæso, tam σκεπτικων, quam σκοπτικων malitiam, nihil te doctrinarum Paullinarum fugiet! Tolle philologiæ, quæ vere Philosophia gram-

g) Conf. Manuale Controv. lib. I. c. I. quæst. II. vbi b. Lutheri verba, sed perperam excitantur.
h) Conf. b. WOLFII cur. ad h. l.
i) 2 Petr. III. 16.

grammatica eſt, ignorantiam, nihil te literarum Paullinarum latebit! ſed, vbi philoſophiæ grammaticæ dominatur imperitia, præceptas tibi opiniones nec mathematica quidem demonſtratio vincet, nec interpres ſanabit. Exemplo eſſe locus ille Paullinus ad Ebræos poteſt, cuius *vmbra*, cuius *imago*, cuius *futura bona*, cuius *res*, cuius *perfectio* æque ex verſionibus atque commentariis ſua laborant obſcuritate, vt, licet IACOBVS quidam LAVRENTIVS reliqua in epiſtolis Paullinis δυσνοητα diſſertationibus quadraginta explicanda fuerit adgreſſus, noſtrum tamen tanquam explicatu difficillimum prorſus reliquerit intactum *k*).

§. IV.

Sed, quemadmodum Paullum hic obſcuritate abſoluant verſiones, paucis, quoad eius fieri poterit, videamus. Paullus, illuſtrato, quod diſcriminis ſit inter Moſen & Ieſum, inter Ioſuam & Chriſtum *l*), inter Canaaniticam quietem & coeleſtem, inter Aaronem & noſtrum ſacerdotem ſummum,

 inter

k) *In S. Apoſtolo δυσνοητῳ, h. e. Explicatione locorum difficilium in epiſtolis Paullinis.* Amſtel. 1642. 4.

l) Ebr. IV. 14. col. Ioan. I. 18. vti Joſua Canaan explorauit, ita Jeſus noſter ὁ διεληλυθως τους ουρανους nobis explorauit.

inter Melchiſedecum & Dei filium *m*), inter legem & euangelium, inter tabernaculum vmbratile & reuera verum, pergit: σκιαν γαρ ἐχων ὁ νομος των μελλοντων ἀγαθων, ὀυκ ἀυτην την εικονα των πραγματων - ὀυδεποτε δυναται τους προσερχομενους τελειωσαι. Hæc quidem Apoſtoli veſtigia Vulgatus interpres preſſurus ait: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum nunquam poteſt accedentes perfectos reddere.* Illa vero ceteri deinceps quaſi emendaturi mutatis vocum ſedibus efferunt. Syrus enim deſertis Paulli veſtigiis, *Lex enim*, inquit, *in qua fuerat vmbra bonorum futurorum, non ipſa eorum ſubſtantia, quibus res ſit - - nunquam poteſt perfectos reddere eos, qui iſtis accedunt.* Nec minus Æthiops, Arabsque, quorum hunc Angli anno MDCCXXVII. typis quidem elegantisſimis ornatum in publicum prodire iuſſere *n*), ſequentem in modum loquuntur: *Quandoquidem lex, vtpote cui vmbra eſt bonorum conſtantium, non forma rerum ipſa - - nunquam valebit, vt ad iſta præuenientes perficiat.* Eandem alia quidem, quam b. ERASMVS SCHMIDIVS exhibet, verſio ingreditur viam Apoſtoli verba explicatura: *Lex enim*, ait, *vmbram obtinens futurorum bonorum non ipſam*

m) Conf. Wolfii curæ ad h. l.

n) Formæ quartæ maj proſtat editio hæc ſine præfatione locique mentione.

ipſam expreſſam formam rerum - - nunquam poteſt accedentes perfecte ſanctificare. Hanc quaſi ducem miro conſenſu Europaearum linguarum interpretes ſequuntur tantum non omnes, alter veluti alterum imitatus. Mitto Hiſpanos, mitto Anglos & Gallos, mitto Belgas, Danos, Suecos, Polonosque, mitto iam alios, a quibus me Germani revocant. Quorum e numero b. LVTHERVM noſtrum noſtra aetate praeſertim ZINZENDORFFIVS & D. HEVMANNVS in viam, ſi diis placet, reducere ſategerunt. Zinzendorffii opera exercitium fuit & equeſtre & nauticum. Nauibus autem & equis quid velocius? ergo dimitto. At D. HEVMANNVS, qui alioquin Academiae Göttingenſi ornamento eſt, b. LVTHERI verbis non contentus & CHRYSOSTOMVM ſecutus Paullum interpretatur. Denn das Geſetz, ait, welches den Schatten Riß der zukünftigen Güter, nicht aber das weſentliche Bild der Dinge ſelbſt, hat, kan niemahls diejenigen, welche (zu Gott) hinzutreten, vollkommen heilig machen. Niſi me fallunt omnia, D. Heumannus cum ZWINGLII, quae Col. II. 18. corpus Chriſti das weſentlich Stück, die weſentlich Fromkeit und Seligkeit appellant, verbis maluiſſe conuenire videtur, quam cum Luthero, quem etſi eadem cum ceteris interpretibus vſus fuiſſe videatur libertate, a Paulli tamen latere

non tam longe, quam D. Heumannum, quod pace doctissimi viri dixerim, discessisse existimo. Lutherus enim dicendo: denn das Gesetze hat den Schatten von den zukünftigen Gütern, nicht das Wesen der Güter selbst, reiecta saltem vmbra pictoria naturalem eius vsum retinet, neque bona futura a lege tam longe remouet, neque imaginem modo ceu Chrysostomus pro pictura accipit absoluta, sed subesse quid docet solidioris. Maluit igitur recens quidam interpres, cuius Germanicum Iudæorum idioma clar. Io. Henr. Callenberg Halæ anno MDCCXXXIV. literis Iudaicis exprimendum curauit, b. nostri patris Lutheri mentem haud incommode verbis hisce explicare: denn die תורה (Lex) von Mosche kann mit den Opfern nit vollkommentlich gerechtfertigt machen alle diejenigen, die sich dazu nahen; weil sie כלומר (vt ita dicam) die תורת מושה (lex Mosis) nur den Schatten hat von den zukünfftigen Gütern, aber sie hat nit die lebendige Gestalt, das ממשות (substantiale) oder ישות ממש (essentiam soliditatis) von den Sachen selbschten: כלומר (scilicet) die תורת מושה (lex Mosis) begreift ein תורת כוהנים (legem sacerdotum) lauter solche Sachen in sich, die nur lauter רמזים (typi) seyn von den ענינֵי עולם הבא (rebus futuri seculi), aber das ממשות (substantiale) und ישות (essentiam) von solchen

chen Sachen hat sie gar nit. Versionum illæ discrepantiæ aut res attinent, aut tantummodo verba. Quodsi de verbis certamen esset, vel certe Germanorum gens vna Lutheri versione iam satis ornata, ceteris carere commode quiuisset, sin vero de rebus, spiritum sanctum vel versiones mille haud assequentur.

§ V.

Orbis enim terrarum diuina imbuendus veritate an ullam vnquam sacrarum literarum versionem ad amussim viderit accuratam, aut visurus sit, fore quenquam, qui ausit simpliciter affirmare, vehementer dubito. Quanti, quæso, mysteriorum montes ab vna pendent litera? Ne unum quidem scripturæ iota, teste Christo, non modo, sed nec apiculus, quia non πειθοι ἀνθρωπινης σοφιας λογοι hic sunt, sed ἀποδειξις πνευματος και δυναμεως, suo potest scopo carere *o*). Ne dicam, quoties. cunque nouam quis religionis somniauit opinionem, post Lutheri præsertim operam feliciter nauatam, nouam quoque codicis sacri desiderasse versionem nouimus. Sed interpretum quemquam, quisquis fuerit, ex ignorantia, vel oscitantia, vel petulantia, vel superstitione, vel malitia suos passum

o) 1 Cor. II. 4.

ſum manes, conſtat. *Vnusquisque*, ait HIERONYMVS in prologo ad Joſuam, *pro arbitrio ſuo vel addidit vel ſubtraxit, quod ei viſum eſt, & vtique non poteſt eſſe verum, quod diſſonat.* Et, quod miror, nullius viri θεοπνευςȣ ſua in opuſcula præter reliqua ſuæ doctrinæ teſtimonia extat commentarius: quoties autem cunque nouam quis codicis ſacri fabricauit verſionem, illico fuit eam commentario plerumque ſolitus commendare. Vtrum noſtri ſeculi beneficium ſit, an vitium, tot in eadem numerare vnius codicis ſacri verſiones lingua, b. iudicet Lutherus! Sed quam parui penſum fuerit & vocem ſuo loco emotam aliorſum collocaſſe, & vocis notionem ſuo ex ingenio vel finxiſſe vel pinxiſſe, verba Paulli ſupra excitata ſunt experta.

§. VI.

Συγχυσιν admittit hic vocum, præter vulgatum, qui codicis græci ordinem omnium maxume verborum ſeruat, reliqua interpretum turba. Recentiores τα μελλοντα αγαθα non tam τῳ νομῳ, quam τῃ σκια coniungenda eſſe cenſuerunt, rati, nullius vel exigui eſſe momenti, vbi voces collocentur. Sed, quum eiusmodi confuſionis ne in profanis quidem ſcriptoribus occurrat exemplum, ſpiritu potius ſancto

tam

tam indignam illam censeo, vt, admissa hac confusione, scripturæ auctorem negligentiæ magis accusare, quam elegantiæ fuco excusare videamur *p*). Et, si Matth. IX. 6. verba, ἐξουσιαν ἐχει ὁ υἱος του ἀνθρωπου hunc in modum: *potestatem hominis habet filius*, transferrem, merito diceres me insanire. At vocum eam συγχυσιν, quam primis in Ebr. X. 1. verbis committunt, seculum, quo linguam Græcam iam arrosit barbaries, enixum est, aliorum quoque monstrorum feracissimum. Sunt, qui, quoniam legem hic pro vmbra accipiunt, το σκιαν ἐχειν & σκιαν εἰναι idem esse asserunt. Verum enim vero hi vtriusque vocis confundentes notionem turbas mouent in sympulo æque ac ANTONIVS olim SADEEL Caluinianus, qui, vt παντοκρατορίαν humanæ Christi naturæ excuteret diuinam, το *natura deum esse*, & *attributa diuina reuera habere* a semet differre negauit *q*). Vt vero hic veritatis detortor filio hominis vitam, *quam ei in se habere pater dedit*, nunquam extorquere potuit, ita & το εἰναι & το ἐχειν notionem quodlibet suam retinebit.

§. VII.

p) Conf. b. WOCKENII Piet. Crit. p. 128.

q) De veritate humanæ naturæ J. C. distinct. II. opp. Theolog. p. 164.

§. VII.

Conſtat præterea, quam inique SPENCERVS & nuper *the moral philoſopher*, legem non tam vmbram habere, quam fumum & vmbram eſſe nugantes, Moſen pariter atque Paullum noſtrum tractarint *r*). Sed lex bonorum eſt non vmbra, habens autem vmbram actionum futurarum. Col. II. 17. Quam vario autem legis notio ſacris literis veniat vſu, præter theologos alios vel b. CHEMNITIVS P. II. LL. fol. 2. ſqq. pro more docuit diſtincte. Et, quanquam D. MUHLIO cum b. CHEMNITIO damus, *totum illud tempus V. T.* quoad, vt alibi b. CHEMNITIVS ait, Chriſto naſcituro, opusque redemtionis præſtituro opponitur, *vsque ad aduentum Meſſiæ fuiſſe tempus vmbrarum, ſignorum, Pædagogiæ &c. etiam ante legem Moſis s*): tamen legis hic notionem pro ceremoniali ſumi, non video *t*). Nullibi enim literarum ſacrarum lex vmbræ aut vmbrarum dicitur, quaſi nil niſi ceremonias, quæ Col. II. 17. vmbra non bonorum futurorum, ſed actionum fuerunt, impertita. Quicquid igitur Paullo eſt *lex fidei* Rom. III. 27. *lex mentis* Rom. VII. 23. *lex*

r) Vide Zuverläßige Nachr. P. 1. p. 1 ſqq.

s) LL. Part. II. fol. m. 61. Conf. b. FECHTII Syllog. diſputt. I. §. 7.

t) LL. P. II. fol. m. 3.

lex spiritus Rom. VIII. 2. *lex Justitiæ* Rom. IX. 31. *futura fides* Gal III. 23. Jacobo autem *lex libertatis* c. I. 25. II. 12. id nostro in loco lex appellatur futurorum bonorum. Ergo legis hic notio plus quam ceremonias V. T. umbratiles, quæ, teste Ezech. XX. 25. non bonæ dicuntur, continens, Dei decretum de ratione homines per futurum Christum perpetuo felices reddendi tradit, ac diuinorum doctrinam promissorum, quibus se Deus ad misericordiam erga genus humanum semper promptam alligauit, sedulo proponit.

§. VIII.

Est autem bonum in Christo siue præsens siue futurum, quod generis humani conditionem reapse reddit felicissimam, beatamque efficit. Atqui Dei de Christo humani generis restauratore promissa, quæ & Moses pro suæ doctrinæ habet norma, bona sunt, &, quum ea demum in Christo fuerint seruanda, 2 Cor. I. 20. futura appellantur. Beati igitur fuerunt veteris foederis patres, quorum quippe fides erat sperandorum bonorum conditio, actionum argumentum, quæ oculis non cernebantur, Ebr. XI. 1. sed noui foederis filii, licet patribus fide beatiores non sint, oculis tamen auribusque, Luc. X. 23. 24. prædicantur felicio-

liciores. Hi namque τὸ τῆς ἐυσεβειας μυστηριον, θεον φανερωθεντα ἐν σαρκι, κ.τ.λ. oculis auribusque perceperunt *u*). *Christum* scilicet *verum deum & verum hominem, verum generis humani redemtorem, inferorum victorem, gentium salutem, mundi sponsorem ac denique semper & vbique majestatis suæ statorem certissimum.* Hanc etiam ob causam vocat Apostolus Christum παραγενομενον ἀρχιερεα των μελλοντων ἀγαθων *x*), qui futura illa bona carnem indutus, bene operatus, passus, mortuus, in vitam redux, in coelos sublatus, nobis, misso spiritu sancto, exhiberet præsentia, sacerdotes coram patre nosmet ipsos conformaturus. ÆGIDIVS HVNNIVS, cuius vestigia quidem IOAN. GERHARDVS, qui duo sigillatim noui foederis sacramenta in bonorum istorum retulit numerum *y*), & venerandus olim præceptor noster b. IO. SCHMIDIVS Lips. *z*) legerunt, bonis illis futuris docet Christum in carne indicari. PHILIPPVS autem MELANCHTHON in A. C. Apologia Christum totumque in nouo testamento cultum Christianum iisdem bonis existimat significari *a*), Romani Pontificis responsurus nugis, quæ ex lege antiqua nouam, ex Aarone Pontificem

u) 1 Tim. III. 16.
x) Ebr. IX. 11.
y) Tom. V. opp. theol. p. m. 209.
z) Differt. de bonis N. T. ad h. l.
a) p. 414. edit. Heineccii.

ficem Romanum, ex ceremoniis ceremonias, ex vmbris vmbras, ex Iudaiſmo, admixtis gentium ſuperſtitionibus, Iudaismum Chriſtiano nomine fucatum finxere *b*) LYRANVS contra, CALVINVS, BEZA aliique eorundem ſequaces, vt ſolet, in alterum lapſi extremum, bona illa eſſe coeleſtis gloriæ nobis futuræ contendunt. Hos autem, quum de Chriſto ſuum in terris obeunte munus diſſerat Apoſtolus, a via regia plane aberrare, b. HVNNIVS, GERHARDVS & noſtratium alii ſatis ſuperque oſtenderunt.

§. IX.

Verum enim vero, quas hic illa *συγχυσις* dederit turbas, denuo diſquirendum eſt. *Τα πραγματα* hic & *τα αγαθα* ex Apoſtoli mente ſunt neutiquam ſibi opponenda; ſed vmbra & imago, quarum vtraque ſibi *τα πραγματα* conſciſcit, Paullumque hunc in modum ſcribere docet: *Quatenus enim lex futurorum bonorum habet umbram actionum, nec earundem ipſam habet imaginem, eatenus homines, quantumvis ad hoſtias vmbratiles accedant, Chriſto reuera conformes*

B

b) Conf. quæ ANT. SADEEL ad F. Turriani Sophismata reſpondet, opp. theol. pag. 586. 730. Sed vterque in doctrina de Chriſto errat.

formes nequit reddere. Τα ἀγαθα, quæ quum futura fuerint, &, ſi Chriſti merita ſignificaſſent, veteris foederis patribus æque ac nobis profuiſſent, integram Chriſti attinent Perſonam, τα τȣ θεανθρωπȣ produnt ἰδιωματα, eaque, quæ, qui cum libris noſtræ eccleſiæ ſymbolicis doctrinæ ſequuntur ordinem, ad primum & tertium, quod vocant, communicationis genus, qui vero naturæ probant ordinem, ad primum & ſecundum communicationis referunt genus *c*). Τα πραγματα contra Chriſti attinent officium, & facta ſunt & typorum olim vmbris agitata, & apparentibus in carne Chriſti bonis, vaticinando, patiendo, & gubernando in luce completa. Facta, inquam, ſunt illa πραγματα, quæ, docente Apoſtolo Ebr. XI. 1. olim non oculis, ſed fide in vmbra cernebantur; hodie autem oculatis in luce teſtibus explorata conſtant. Horum & factorum cauſſa, ſi theologorum ſaniorum conſulamus typologiam, non æque futurorum bonorum gratia arbitror Chriſti in veteri foedere typos extitiſſe. Chriſtus enim

c) Ordinem doctrinæ b. CHEMNITIVS, theologi Saxonici, HVTTERVS, HVLSEMANNVS, HVNNIVS, KROMAYERVS & alii; naturæ vero ordinem MENTZERVS, GERHARDVS, CALOVIVS, BROCHMANNVS, RVDRAVFFIVS, SCHERZERVS & theologi hodie noſtri plerique ſequuntur.

enim futurus vel promiſſis erat, vel factis actisque rebus ob hominum oculos poſitus. Paullus ergo Chriſtum ſummum futurorum bonorum appellando ſacerdotem, Ebr. IX. 11. collato deinde cum hoſtia vmbratili Chriſti ſacrificio, ipſemet τα ἀγαθα ἀπο των πραγματων diſcernit, atque, quam male futuris ſuis bonis vmbram immiſcuerint interpretes, oſtendit. Quid? quod b. JOAN. GERHARDVS, qui noui foederis ſacramenta bonis illis futuris obumbrari ſtatuit *d*), ſi animum aduertiſſet, ſacramenta ſalutis non tam fundamenta, quam inſtrumenta eſſe, & b. IRENÆVM lib. IV. aduerſus hæreſ. c. 34. ἐυχαριστιαν ἐκ δυο πραγματων συνεστηκυιαν, ſcribere, ſacramenta potius ad τα πραγματα, quam ad τα ἀγαθα ſimpliciter ſpectata eſſe referenda iudicaſſet.

§. X.

Sed Paulli vmbram paullo propius intueamur, actuumque illorum adſpiciamus imaginem! B. IOANN. CHRYSOSTOMVS, quoad ego ſcio, primus eſt, qui Apoſtoli mentem pictoria illuſtrare arte auſus ſcribit: Ἑως μεν γαρ ἀν ὡς ἐν γραφῃ περιαγῃ τις τα χρωματα, σκια τις ἐστιν. ὁταν δε

d) l. c. Fortaſſis ex NAZIANZENI orat. 2. paſch. hauſit.

το ἀνθος ἐπαληψη τις και ἐπιχρισῃ τα χρωματα, τοτε εικων γινεται. τοιȣτο τι και ὁ νομος ἠν e). Hunc deinde THEOPHYLACTVS, hunc DAMASCENVS ſuas defendens imagines f), hunc ceteri patres, hos PHILIPPVS MELANCHTHON g), hunc denique noſtri commentatores omnes, ex quibus ſuum Schatten-Riß hauſit celeb. HEVMANNVS, ſequuntur. Equidem vmbræ vocabulum a pictoribus iam Plinio teſte h) in artem ſuam receptum eſſe noui. Quin imo JULIUS ille POLLVX Onomaſt. lib. VII. c. 28. p. m. 356. operam pictorum eorumque recenſens inſtrumenta: και μην εικονα, inquit, ειποις ἀν το πραγμα - ἐξεςι δε και σκιαγραφιαν ειπειν το πραγμα, τα δε μερη της τεχνης σκιαν. Quodſi vero POLLVCIS argumentum e Paulli verbis pictoriam vmbram, einen Schatten-Riß, vel potius einen Grund-Riß aut σκιαγραφιαν efficiat, non id ſaltem, quod de actuum dixi vmbra, modo non negaret, ſed vmbram quoque & imaginem eiusdem faceret naturæ, vt, qvod ſaniori tamen aduerſatur doctrinæ, lex Moſis oppido foret euangelii fundamentum.

§. XI.

e) In Comment. ad h. l.
f) Orat. contra Iconoclaſtas.
g) l. c. p. m. 414.
h) Hiſtor. lib. XXXV. epiſt. III.

§. XI.

Verum enim vero vmbram equitis Romani & imaginem videtis, inquit Cicero, imaginem ſane non modo pictam, ſed fictam, ergo nec vmbram pictam, ſed factam. Quippe vmbra & imago, niſi imago ſit ſtatua vmbram, intercepto lumine, proiiciens, extare vna non poſſunt. Ebræos, credo, ad quos ſuas Paullus dedit literas, etſi artem Græcorum pictoriam tum temporis haud ignoraſſe faterer; Moſen tamen, quem noſter vbique habet ob oculos, vmbram imaginemque Græcorum ſuis intuliſſe literis, vehementer dubito. Quemadmodum enim צל Ebræorum *vmbra* & *imago* צלם ſibi reſpondent, ita vt imago ſtatuam ſignificet vmbræ, intercepto lumine, cauſſam: Sic Moſes vateſque diuini ſæpe צלמים facientes mentionem, nusquam imagines aut vmbras intelligunt pictas, ſed ſtatuas, quas vmbræ comitantur. Deus creatum ad ſuam imaginem hominem, ex quo ſuarum virtutum vmbram in reliqua mundi opera proiiceret, ſuam quaſi ſtatuam in mundo poſuit. Non igitur *Paſtor ille fidelis*, quem *Sohar i*) vocat, incommode ait: לא אתעביד בדיוקנא דלהון אלא באיקונין דמלכא בצלמו" דאיהו צלם ודמות תכניתו: ſcilicet:

 non

i) Edit. Lublin. col. 104.

non factus est homo ad aliorum operum similitudinem, sed ad regis imaginem; in imagine eius nimirum, vt imago & similitudo esset ipsius exemplaris.. Atqui, quia & alibi epistolarum pictoriæ vmbræ vsum ignorat Apostolus, tantum abest, vt cum paullo ante Ebr. IX. 5. τα χερȣβιμ της δοξης κατασκιασαι το ἱλαςηριον. i. e. *Cherubim gloria dei apparente, vmbram in propitiatorium* proiecisse docens, vmbræ sine metaphora meminerit, vmbræ nostro in loco a sua propria in alienam detorserit notionem, vt potius sensum, duplicata metaphora, non obscurauerit.

§. XII.

Ex his, puto, imaginis quoque Paullinæ conditio erit nequaquam obscura. Oratores sicut vmbræ notionem, quæ b. DANNHAWERO teste, omnis luminis negatio non est, sed luminis priuatio maioris *k)* varias ad res alias illustrandas transtulere; ita imago iisdem est oratio demonstrans corporum aut naturarum, vt Cicero ait, similitudinem. Philosophis contra imago est forma quædam & nota & simulacrum vel rei, vel corporis aut animo, aut penicillo aut stylo expressum. Theologis sane nullibi scripturarum pictura est, multo minus

k) In Collegii physiolog. Diss. III. p. m. 81.

minus Paullo hic imago erit pictura, sed statua, quæ oriente sole vel occidente suam vmbram in partes vel tempore remotissimas coniiciat, & ob verticem versante, habeat nullam. Dices, in statua vmbram simul & imaginem existere oportet, quod Paullus tamen negare videtur: in pictura vero vmbræ demum succedit imago. At enim, vt Col. II. 17. omnium consensu interpretum neque de vmbra pictoria, neque de pictorio corpore agitur, ita, qua de caussa, quod ibidem tempori, quod loci erat, tribuit, idem hic non tribuat tempori, non video. Nec est, quod colori nimium credas figuram quamcunque non minus otiosam relinquenti, quam vmbram, vt HIERONYMVS ad 2 Coloss. scribat: *nullum in hoc iudicium est, quod est vmbra, & cessauit corpore veniente, quia imagine opus non est, veritate præsente.* Sed vmbræ Paullus ad Ebræos imaginem opposuit tanquam mansuram.

§. XIII.

Quorsum autem, inquis, Paulli statua illa proxume spectat? quæ istarum vmbrarum ratio? Antequam mentem tibi meam aperiam, quæso, cum veterum, tum recentiorum nonnullorum audiamus sententias! Plerisque illa imago patribus veritas

eſt Chriſtiana, aliis vitæ Chriſtianæ inſtitutum, aliis vita futura. Pontificiis regnum eſt in terra pontificium. Contra illam Chriſtum eſſe aſſerunt noſtrates *l*). Atenim vita futura, quæ nil niſi lumen eſt, vmbram, quam illa requirit imago, proiicere poteſt nullam; &, antequam Chriſtus in carne iuſtitiæ ſol nobis exortus eſt, Luc. I. 78. iam ſub Moſis lege patribus perChriſti futuri gratiam ſaluatis æque patuit, ac nobis Act. XV. 11. Patres igitur foederis antiqui, quatenus vera in Chriſtum futurum fide freti, vixerunt, profecto veritatem iam Chriſtianam obtinuerunt, vitæque Chriſtianæ inſtituta in ſpiritu & veritate coluerunt. Equidem regnum pontificium cum ſtatua, quam Nebucadnezar poſuit, Dan. II. 31 - III. 1 - poſſe comparari non nego, ſed Paulli imago ſeu ſtatua, quam res a Chriſto nato, paſſoque geſtæ abſolvunt, Pontifici Romano locum facit nullum. Chriſtus ergo Dei eſt imago 1 Cor. IV. 4. Deus Dei imago inviſibilis, Patri ὁμουσιος ac propterea priusquam crearentur cuncta, natus Col. I. 15. homo autem natus, θεανθρωπος Dei viſibilis imago eſt, Dei filius, diuinæ naturæ quaſi ſtatua, quem opera filium Dei oſtenderunt quibusque nobis ad Deum aperuit viam æternamque parauit

l) Conf. POLI ſynopſ. & b. WOLFII curas ad h. l. & alios.

parauit ſalutem. Quicquid igitur Chriſtus natus, operatus, paſſus & mortuus, quicquid in humilitatis ſtatu noſtræ ſalutis cauſa patrauit, πραγμα Paullus appellat, idque, vt ex rebus illis geſtis Chriſtum, qui æterna patris Dei imago eſt, non modo verum hominis filium, quod ipſemet amauit nomen ſummopere, ſed & ἐν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας miſſum, Rom. VIII. 3. ipſam eſſe illarum rerum imaginem & quaſi ſtatuam diuinitus operantem intelligeremus. Humanam hicChriſti naturam præſertim ſpectari, palam eſt. Hanc in futurorum bonorum lege, non tam ſacerdos ſummus, quam tabernaculum, quam velamentum & Cherubim deſignant, Cherubim Ebr. IX. 5, 10. arcæ incumbendo vmbram efficientes, & velamentum Ebr. X. 20. Chriſti caro appellatum. Sacerdotes veteris foederis umbræ quidem ſeruiebant, Ebr. VIII. 5. non ipſi vmbræ erant: ſancta quidem manufacta fuerant rerum geſtarum ſimulacra Ebr. IX, 24. coll. 1 Petr. IV. 21. non gerendarum. Ergo nec hæc quidem quicquam cum vmbra aut imagine noſtra habere videntur commercii. Sed verbum, completo tempore, caro factum, ſui in carne tentorii conſtructionem, collocationem, profectionem, ſtationem ac denique ſolutionem i. e. imaginis actus Patribus olim in vmbris determinauit.

§. XIV.

Theologis autem tantum non omnibus non conuenit modo de Apoſtoli verbis ex pictoria arte illuſtrandis, ſed plerique quoque verba Col. II. 17. vocant in ſubſidium. At, quum verba ad Colosſenſes ex opticis recte contueantur, miror iisdem & την εικονα & το σωμα fere eadem videri, quantumuis negantibus ad Ebr. X. 1. & vmbram & imaginem ex opticis dimetiendas fuiſſe. Vmbræ quidem vtrobique par eſt metaphora, ſed æque atque imaginis & corporis ratio eſt impar. Paullus Ebræis, quæ modo ad ſacerdotum hoſtiam immolantium ſpectaret munus, in mentem reuocat vmbram: ad Coloſſenſes vero cibum, potum & feriarum tantum, nouilunii ſabbatorumque, quæ omnem Iſraelitarum gentem attinerent, partem vocat vmbram. Hæc ſane futurorum fuerant vmbra, neque tamen bonorum, neque actionum: illa vero των πραγματων audit vmbra, qua Chriſti actiones pariter ac paſſiones determinabantur. Ex illis igitur PHILIPPVS MELANCHTHON optume cum Apoſtolo contra Pontificios arguit, vel piorum Chriſtianorum opera, quoniam per ſe nihil habent boni, ſalutem nequaquam mereri æternam, Chriſtum autem ſolum agendo patiendoque, quæ ſunt θεανθρωπȣ opera, iuſtitiam nobis pro-

promeruiſſe vitamque æternam *m*). Sed confuſum plerique cum imagine corpus vel cum patribus doctrinale, vel cum pontificiis ceremoniale, vel cum aliis fingunt naturale. At enim Paullus ad Coloſſenſes Chriſtum non corpus nominat, ſed corpus Chriſti, ex quo tanquam corporis capite nos omnes omnium nationum in vnum corpus fide congregati, Col. II. 10. 19. III. 11. capimus augmenta: Et, vt ſupra docuimus, imaginem ad Ebræos commemoratam nobis Chriſtum obtuliſſe humiliatum; ſic Coloſſenſibus Chriſti exaltati, quod Paullus Col. I. 18. 24. Epheſ. IV. 16. eccleſiam vocauit, corpus *morale* ſiue *myſticum* ſiſtitur col. I. 21. a carnis corpore prorſus diſtinctum. Interpretum, qui noſtram modo mentem recte perceperint, puto, fore neminem, qui adverſetur. Totius enim ad Coloſſenſes epiſtolæ idem non comprobat modo cohærentia, ſed etiam verborum, quæ ad vmbram corpus, ad futura referunt præſentia, iuſta poſtulat collatio.

§. XV.

Vmbræ nomine quid aliud hic Apoſtolus, quam Synagogam Iudaicam graviſſimis

m) Conf. D. FEVERBORNII Syntagm. I. P. III. diſp. VIII.

mis victus & temporum subjectam legibus compellat? Leges autem de cibo potuque, quæ tanquam puræ putæque ceremoniæ humanos mores nihil emendant, per novum foedus prorsus expirarunt, modo, quum futurorum fuerint vmbra, admonitionem relinquentes, vt edendo bibendoque iustitiam, pacem lætitiamque in spiritu sancto sectantes Dei promoueamus gloriam. Rom. XIV. 17. 1 Cor. X. 31. Tempora contra, quæ rerum ordines sunt, &, cum Deus primum rebus creatis omnibus non tam cibum potumque quam præsertim distinxerit tempora, cum cibo potuque non comparanda, rempublicam Christianam omnino nonnihil iuuare videntur. *Dies obseruatis*, ait Apostolus ad Gal. IV. 10. *& menses & tempora & annos*, quod quidem, cum Col. II. 16. ad μερος vnius festi, vnius nouilunii, & multorum reuocet Sabbatorum, & consuetudo purioris, priscæ & piæ ecclesiæ haud interrupta confirmet, Galatis quoque sine ulla exceptione non interdixit. Sed post Christi ad coelos discessum Ephes. V. 16. Col. IV. 5. tempus ex humano tantum foro excipere iubemur. Pascha enim festum, & nouilunium & sabbata, quamuis cibus potusque toti futurorum fuerint vmbra, εν μερει solum fuisse vmbram intelligimus. Hinc nostri cum b. CHEMNITIO, quem CALVINVS Instit. lib. II. c. 38.

§. 34.

§. 34. per latus pungit, morale a ceremoniali, genus a specie, Christianismum a Judaismo separantes *n*), Paschatos vsum cum Paullo 1 Cor. V. 7. propter Pascha vero nouilunii notitiam Siracid. XLIII. 7. & ex Sabbatis Apoc. I. 10. dominicam diem libere non antiquarunt. Jesum igitur Christum, neglecta Synagogæ vmbra, e mortuis excitatum certo quoque tempore, donec veniat iudicaturus viuos & mortuos commemoramus. Quapropter b. IGNATIVS in epist. IV. ad Magnesianos §. 9. vmbram vocat *παλαια πραγματα*; dominicam autem diem vrget illius interpolator hunc in modum: *μηκετι ουν σαββατιζωμεν ἰουδαικως και ἀργειαις χαιροντες-ἀλλ᾽ ἑκαστος ὑμων σαββατιζετω πνευματικως. μελετῃ νομου χαιρων, ου σωματος ἀνεσει. Δημιουργιαν θεου θαυματων-ἑορταζατω πας Φιλοχριστος την κυριακην, την ἀναστασιμον, την ὑπατον πασων των ἡμερων κτλ.* vbi dispulsa cibi potusque nec non temporum vmbra, typi tantum generalis, quam b. KROMAYERVS appellat, exhibetur significatio. Id quod IVSTINVS MARTYR, quem b. GERHARDVS tom. III. opp. theol. p. m. 149. excitat testem, suo confirmauit suffragio. Corpus igitur hoc, quod Christi est, quum Apostolo ad Ebræos de specialibus, ad Colossenses autem de typis gene-

n) Conf. KROMAYERI theol. posit. Artic. XIII. thes. VIII. & IX.

generalibus ſermo ſit, nequaquam aliud, quam Eccleſia noui foederis eſſe poteſt in terris dimicans, in coelis triumphans.

§. XVI.

Nihilo tamen ſecius ex his liquet, quanta ſit contra ſcholaſticos, Pontificios, Socinianos & Arminianos legis & Euangelii diſtantia, nec Chriſtum, qui legatus quidem & ſummus noſtræ confeſſionis ſacerdos eſt, Ebr. III. 1. vllo modo nouum eſſe legislatorem. Lex futurorum quidem bonorum norma eſt & doctrina; Euangelium autem exhibitorum bonorum teſtimonium. Lex futurorum bonorum, quam Chriſtus homo præmiſerat, habuit vmbram; Euangelium contra, oriente iuſtitiæ ſole, diſſipauit. Lex futurorum bonorum licet norma fuerit per Moſen data, neque gratiam neque ſalutem habens qui ad vmbram accedunt, vmbratiles facit; Euangelium gratiam & veritatem habens per Jeſum Chriſtum factam, qui ad hanc accedunt lucem, lucis facit filios, Io. I. 17. Euangelium igitur, ſublata legis vmbra, qui olim contemtus ſtatua, iam maieſtate, gloria & honore coronatus, nobis non nubis, ſed lucis columna eſt, Chriſto nos conformes reddit. Id notio τελειωσαι, quam reuer. D. HEVMANNVS vollkommen heilig machen, alii

alii *olim perfectum reddere*, alii *consecrare*, alii *lustrare*, alii *consummare*, & nescio, qua vel ex antiquitate vel dogmate quodam depromta voce interpretari satègere, declarat. Spiritus sanctus vbique literarum præcipue ad Ebræos datarum non tam antiquarius, non tam philosophus est, quam philologus seu grammaticus. Notionem vero τελειωσαι ἀπο τȣ τελȣς originem trahere, dubitabit nullus. Hoc τελος, de quo FLACIVS in *Claue*, licet in noui foederis monumentis eadem vbique non constet ratione, in literis tamen ad Ebræos plerumque itineris, quod tanquam viatores ad coeleſtem instituimus Canaan, confecti induit notionem Ebr. III. 6. 14. VI. 8. 11. Tota enim ad Ebræos epistola est veluti sacri ad coelum itineris delineatio, quod Dei filius per carnem scopo illi maxume conformem solus nobis aperire potuit Ebr. IX. 11. Vt igitur ϛοιχειωσαι, elementis conforme, & οικειωσαι familiare reddere est; ita τελειωσις, exitus illius erit conformatio, Ebr. VII. 11. quam sola spei melioris introductio potest præstare Ebr. VII. 19. Et, quemadmodum Deus Christum nostræ salutis principem per passiones ad sacri sui cursus exitum, Luc. IX. 31. Ebr. II. 10. conformauit, ita Ebr. V. 9. conformatus currentibus quoque fidei stadium dux est & conformator, Ebr. XII. 2. Quos itaque lex futurorum bonorum Christo non

poterat

poterat reddere conformes, Christi in fide efficit imitatio, vt ductorum doctorumque nostrorum conuersationis intuentes exitum Ebr. XIII. 7. sancti & iusti, sicut ipse Christus sanctus & iustus est, 1 Io. III. 3. 7. euadamus, ac denique ad eius imaginem post ignominias gloriosam conformaremur.

§. XVII.

Haec sunt, Lector beneuole, quibus Te aliquantisper morari volui, pauca & fortassis tuo & tempore & iudicio vix digna. Philologiae, fateor, quam hodie non in foro tantum, sed & in Scholae palaestra & in Dei sacrario plerumque & contemni doleo, & quasi pedibus conculcari, caussam tueri & quodammodo voluisse defendere. At enim & metuo, vt Paulli verba illa huic caussae fuerint prorsus satis factura, & vereor, ne, quanto me maiori persequuntur odio Philologiae contemtores, tanto meos conatus grauioribus onerent contumeliis potissimum versionum Gnatones. Inter ea, cum suffenus esse nolim, si quis me errantem in viam reduxerit & lapsum subleuare studeat, eum non tam mihi, quam veritati amicum venerabor perpetuam veritati philologicae operam daturus.



II.

IO. HENR. A SEELEN Vindiciarum Biblicarum adverſus Alchymiſtas,

ſive

Commentarii de ſic dicto Lapide Philoſophorum in Scriptura S. fruſtra quaeſito *Prodromus*, Specimen huius laboris ad Apocal. II. 17. ſimul exhibens.

§. I.

Vtiliſſimus ſine dubio labor eſt, qui impenditur ſanctiſſimo codici non explicando tantum & illuſtrando, ſed vindicando etiam adverſus ſtrophas, fallacias, detorſiones, quibus veritati, quam continet, & genuino, qui in eodem reconditus eſt, ſenſui inſidiae ſtruuntur. Quo ſalubriora ſcilicet, quo excellentiora, quo meliora, &, vt vno dicam verbo, quo divinio-

C

viniora ſunt cuncta, quae hoc volumen plane inaeſtimabile complectitur, eo magis librorum omnium princeps, cum nullo comparandus alio, hoc ſtudium requirit & iure ſuo poſtulat. Calamum idcirco laudatiſſime ſtrinxerunt multi, tum generatim adverſus excitatos a maligno ſpiritu Anti-Scripturarios & Bibliomaſtiges, tum ſigillatim adverſus Atheos, Naturaliſtas, Deiſtas, Haereticos, & huius furfuris homines alios, qui vtinam ſolo aevo antiquiori extitiſſent, recentius, & noſtrum quoque, ab iisdem omnino eſſet purgatum. Quo foedior autem, quo peior, quo audacior, quo ſceleratior eſt impetus, quem in ſanctiſſimum facere contenderunt librum veritatis hoſtes, eo magis praedicanda eſt opera, defendendo eidem & adverſus tela in ipſum coniecta tuendo navata. Hoc cum per ſe pateat, & ſole clarius ſit, larga demonſtratione neutiquam indigebit.

§. II.

Ignobilem, imo deteſtandam, hominum divinis literis turpiter abuſorum ſocietatem Alchymiſtae etiam augere, nulli dubitarunt. Deſperatae nimirum cauſae ſuae cum nullum reperire poſſent praeſidium, aliquo ſaltem modo firmum, ad ipſum confugiendum eſſe codicem ſacrum opinantes, vlti-

vltimum in eo quaeſiverunt remedium, &, ſe quoque inveniſſe, pro amentia ſua, putarunt. Iniuriam idcirco intulerunt viris ſanctis, dum vel dicta, vel facta illorum ad artem ſuam, ſi artis meretur nomen iactata ſcientia, e meris nugis, ineptiis, vanitatibus, quarum praecipuum incitamentum & fundamentum haud dubie eſt ſacra auri fames pectora eorum cogens, tota compoſita, detorquere non ſunt veriti. Ignominia affecerunt divinum codicem, dum varia eius loca perquam inique & inſulſe expoſuerunt, eo fine, vt fumum venderent imperitis, rudibus ſanctioris hermeneuticae glaucoma obiicerent, miſerosque homines miſere deciperent. Vnde non ſolidis rationibus, non legitimis interpretationibus, non aptis declarationibus, ſed abſurdis paralogiſmis, ſtolidis ſophiſmatibus, ineptis aequivocationibus, vanis luſibus, violentis detorſionibus rem ſuam egerunt, atque ab officio bonorum interpretum, vel nefanda impietate, vel ſtupenda temeritate, vel craſſa inſcitia, vel, quod caput forſan rei eſt, ſcelerato habendi amore impulſi, plane receſſerunt. IACOBVM TOLLIVM in curioſo magis, quam ſolido libro, quem inſcripſit *Fortuita*, luſiſſe, & res, quae in ſcriptoribus profanis, praeſertim poetis, nominantur atque finguntur aureae, ad Alchymiſticam obtorto

traxisse collo Chrysopoeiam, id risum quidem movet lectori, miranti, quod vir multa pollens doctrina, neque in aliis scriptis prodens imprudentiam, eiusmodi nugis potuerit delectari, & iisdem excogitandis, comendis, proferendis, bonas horas perdere, aliisque se deridendum propinare. Sed luserit is, luxuriante ingenio abusus. In rebus sane maxime seriis, quales sunt omnes res sacrae divino volumine contentae, minime est ludendum; quod nihilo secius faciunt Alchymistae, in Scriptura S. quaerentes suum palladium, sic dictum nempe Lapidem Philosophorum, quem in Vtopia quaererent, in Elysiis campis investigarent, in Vulcani officina praepararent; quam voluptatem pariter ac felicitatem pauci forsan, imo nulli eorum, qui sapiunt, iis invident, dummodo codicem sacrum huic negotio non immiscerent, eodemque pessime abuterentur. Eo autem non tendit scopus meus, vt in arenam descendam cum Alchymistis, & disquiram: Vtrum detur Lapis Philosophorum in mundo, nec ne? Vtrum tota haec res vera sit, an falsa? solida, an vana? certa, an incerta? futilis, an vtilis? Vtrum Alchymistae causam suam reddant suspectam eo, quod ipsi inter se non consentiant, siquidem arcanum, quod crepant, plerique *lapidem*, quidam *pulverem*, aliqui *liquorem*, vel *tin-*

ſturam, alii aliis appellant nominibus, dum vocant modo *primam materiam omnium rerum*, modo *microcosmum*, modo *aquam vitae*, modo *ſpiritum*, modo *coelum*, modo *nubem*, modo *rorem*, modo *virginem*, & ſic porro (vid. de multis Lapidis Philoſophorum nominibus commentatum PET. IO. FABRVM in *der Hell-ſcheinenden Sonne am Alchymiſtiſchen Firmament* c. 4. p. 42ſqq), adeoque ne in ipſo quidem imaginario ſuo cimelio denominando inter ſe conveniunt, hacque ratione ſuam, qua laborant inſigniter, prodant inconſtantiam, nec ne? Vtrum ſerio, an ſcoptice? de hac arte profanus alias & audax ſcientiarum cenſor, HENR. CORNEL. AGRIPPA 1), iudicaverit: *Alcumiſtica* (ſic ſcribit),

1) Lib. de Incertitud. & Vanit. omn. Scient. & Art. c. 90. De hoc AGRIPPA habet, inter alia, QVIRINI KVHLMANNI *Neubegeiſterter Böhme* (liber Lugd. Bat. 1674. 12 maj. editus, hodieque rariſſimus, quod patet vel e verbis viri ſcriptorum fanaticorum maxima inſtructi notitia, GOTTL. WERNSDORFII, in Diſſ. de Fanatic. Sileſior. & ſpeciatim Quirin. Kuhlmanno, §. 26. annotantis: *rarus admodum eſt, & ſemel tantum oculis meis vſurpatus*) p. 70. ſequentia: *Er hatte auch einen unerhörten Begrif der allergeheimeſten Künſte und Alchimiſchen Verborgenheiten überkommen, daſs er vor ein Wunder ſeiner Zeit gehalten.* Et ille tamen acerrime invehitur in Alchymiſticam, cuius cum oportet tandem veram intellexiſſe conditionem, nullis rationibus idoneis, nullo fundamento firmo nixam.

ſcribit), *ſive ars, ſive fucus, ſive naturae perſecutio dici debeat, profecto inſignis eſt, eademque impunis* 2) *impoſtura, cuius vanitas eo ipſo ſe facile prodit, cum polliceatur, quae natura nullo modo pati poteſt, nec attingere: cum tamen ars omnis non poſſit naturam ſeparare, ſed illam imitatur & longis paſſibus ſequitur, & multo fortior ſit vis naturae, quam artis;* neque allatis modo verbis, ſed ſequentibus etiam multo copioſioribus pariter atque durioribus Alchymiam perſtringens, eandemque ridens ac vanitatis ſummae arguens, veritatis confeſſorem hoc quidem in momento ſeſe exhibuerit? an vero petulantiae in ſcribendo, quod non poſſunt non perfrictae frontis Alchymiſtae opinari, hic etiam dederit documenta? Iſthaec omnia miſſa faciam & ſuo relinquam loco, praeſertim, cum confuſum in ſcriptis Alchymiſticis offendatur chaos, quod nemo facile in ordinem rediget; tamque obſcura, intricata, peregrina, inepta, Alchymiſtae vtantur ſcribendi ratione, vt proponant aenigmata, quae quid ſibi velint, divinatu eſt difficillimum: nodos, quos ipſi neque ſecare poſſunt, neque ſolvere, multo minus alii. His itaque cunctis non immorabor, cum

2) At graviſſima tamen poena, vel carceris, vel patibuli, aut alia, affectos fuiſſe nonnullos Alchymiſtas, & memoriae paſſim eſt proditum, & ipſa comprobat experientia.

cum horas iſtas putem perditas, neque ſatis religioſe transactas, quae eiusmodi nugis, quisquiliis, gerris, quae ſunt Siculis ineptiores, teruntur. Volutet ſe in hoc luto, cui placet. Labor meus in vindicando vnice divino codice adverſus iniurias, ab Alchymiſtis ei illatas, verſabitur. Quare animus tantum eſt, oſtendere, quam veſano & improbando plane conatu ad ipſas divinas literas ſeſe recipiant Alchymiſtae, inque iisdem, tam ſtolide, quam fruſtra, quaerant praeſidium. Rem hanc dudum meditatus ſum, & ſubſidia eo ſpectantia, edita pariter ac inedita, comparavi, praeſertim, cum nondum videam hoc argumentum data opera ab aliquo pertractatum, etſi a nonnullis aliqua incidenter, vt aiunt, notata reperiri, nolim inficiari. Excipi hic forſan poterit, qui literis initialibus, I. G. S. nomen ſuum modo indicavit, auctor libelli, hoc titulo: *Der von MOSE und denen Propheten übel urtheilende Alchymiſt, wird fürgeſtellet in einer Schrifftgemäſſen Erweiſung, daſs MOSES und einige Propheten, wie auch DAVID, SALOMON, HIOB, ESRA, und dergleichen, keine Adepti Lapidis Philoſophorum geweſen ſind: imgleichen daſs die Lehre und alchymiſtiſch Vorgeben, von Verwandlung der geringen Metalle in Gold, eine lautere Phantaſie und ſchädliche Einbildung ſey: von einem Liebhaber der Warheit, der ſich*

tröstet, dass der Allmächtige sein Gold sey. Hiob. XX.v. 25. und nichts Im Golde Sucht. Chemnit. 1706. 8. evulgati. Sed pauca tantum sunt in eodem Biblica, quibus hoc argumentum leviter modo fuit tactum, neutiquam plane exhaustum, siquidem pleraque ab hoc scriptore prolata declarant magis vanitatem & stultitiam, cum detestabili nonnullorum Adeptorum, vt vocari amant, fraude coniunctam, imaginariae artis Alchymisticae, quam vt fundamentum, quod, eam habere in sacro codice, illius cultores somniant, omnino destruat, & cuncta huc pertinentia afferat in medium, quamvis ingenuo animo dederit nonnulla minime spernenda, quae laude, quam merentur, neutiquam privata cupio. Neque hic tacendum puto ALETOPHILVM, auctorem libri, Lips. 1705. 8. editi, inscriptique: *Glückliche Erober- und Demolirung des durch den Schall einer thönernen Elias-Posaune, auf Befehl eines Chymischen Pabsts angekündigten Fegefeurs der Scheidekunst*, quippe qui variarum etiam personarum, variorumque locorum Biblicorum, vindicem, & praecipue p. 53 sqq. agere voluit. Non improbo cuncta, quae, satyrice licet magis, quam exegetice, scripsit. Interim tangere potius, quam sanare vlcus Alchymisticum videtur. Aliqua etiam modo attigit Biblica, multo plura male ab Alchy-

mistis

miſtis vſurpata reliquit excutienda. Solam autem modo Sciagraphiam aliquam, momenta praecipua quaedam (omnium enim recenſione aliis, hoc Volumen doctis Commentationibus copioſe ornaturis, ſpatium nolui praeripere) indicantem, in praeſenti dare potero, totam elaborationem, ductu citandorum ſcriptorum Alchymiſticorum, oraculis divinioribus & ſacrarum perſonarum factis abuſorum, penitus abſolvendam inque lucem proferendam, coeleſti committens providentiae, a qua dies mei, qui ſuperſunt, vnice dependent. Eſto autem, quod huic labori nequeam, divina ſic dirigente voluntate, colophonem imponere, relinquam tamen ſubſidia ad eum exantlandum neceſſaria, vt, ſi fata mea iſtud non permiſerint, ab alio is forſan poſſit ad finem perduci.

§. III.

De *Scriptura S.* generatim quaedam praemittentur, quibus occaſionem dabunt verba in *CONR. HORLACHERI Bibliotheca Chemico-Curioſa D. MANGETI enucleata & illuſtrata* p. 3. occurrentia: *Die H. Schrifft iſt ein Brunnquell aller Weiſsheit, und alſo auch der Chymiſchen Philoſophiae*, probabiturque, quod falſa ſit, quam inde formant Alchymiſtae, conſequentia. Diſquirentur etiam

ſacra quaedam, peſſime cum rebus Alchymiſticis comparata, e.g. incarnatio, nativitas, vita, mors & reſurrectio CHRISTI, Lapidis etiam, ſed ſenſu eminentiſſimo ſanctiſſimoque, ad Alchymiſticum maxima pertracto impietate, nomine in divinis literis inſigniti, quod patet e Io. RVDOLPH. GLAVBERI *Fornac. Philoſophic. P. V. pag.* 7. *Annott. in Append. P. V. p.* 54. ANONYMI *Fegfeuer der Chymiſten pag. B.* 4 *ſq.* VALENT. WEIGELII Tr. *de Igne & Azoth*, in *Keren Happuch* p. 75 ſqq. 80. 82; SS. Trinitas, cuius imaginem eſſe Lapidem Philoſophorum, delirantes quidam Alchymiſtae contendunt, comprobante, praeter alios, BASIL. VALENTINO *Tr. de Sulph. Victr. & Magnete p. m.* 60ſq., & alia, quae, e ſolo divino codice cognoſcenda, artis Alchymiſticae beneficio intelligi poſſe, perhibentur. Sic e. c. PET. IO. FABER in *der hell-ſcheinenden Sonne am Alchymiſtiſchen Firmament*, examinatam Quaeſtionem: *Warum der Stein der Weiſen dreyfach und einfach ſey, oder genennet werde?* p. 61. his in oracula diviniora iniuriis concludit verbis: *Schlieſſen wir demnach hieraus, daſs der Stein der Weiſen dreyfach, und doch ein einiges Weſen ſeye, auch ſolcher Geſtalten die Gottheit, als welche ebenfalls ein Dreyeiniges Weſen iſt, vorſtellig mache, oder abbilde.* En! quo procedat temeri-

meritatis imaginaria Alchymiſtarum ſapientia.

§. IV.

Operae vix erit pretium meminiſſe libri *de Chryſopoeia*, qui ADAMO adſcribitur. Quis enim non videt, ad ineptias & nugas redire omnia, quae hic ſerio proferuntur. Commemorant citatum librum Io. ALBERT. FABRICIVS 3), Io. ANDR. SCHMIDIVS 4), PAVL. CHRISTIAN. HILSCHERVS 5), MARTINVS DELRIO 6), ſed ita,vt fictas aliorum modo referant fabulas, ipſi neutiquam probent. Non audet etiam certo affirmare,haud leviter tamen coniicit,auctor libri, *Fegfeuer der Chymiſten*, pag. A. 3. ſcribens: *Es gibt ſtarcke Muthmaſſung, daſs die Erkäntnis der Scheide-Kunſt von ADAM an zu rechnen ſey.* Credat Iudaeus Apella! Cum libro hoc, quem ADAMO nugivenduli quidam attribuere auſi ſunt, comparandus vtique eſt *Liber Alchymiſticus MARIAE* (Mirjam), *ſororis Moyſis*, quem a genuinis non diſtinxit in Bibliotheca ſua Chronologica 7) Io. IAC. FRISIVS, iure idcirco a PETR LAMBECIO 8) notatus.

§. V.

3) Cod. Pſeudepigr. V. T. Vol. I. p. 32 ſq.
4) Pſeudo-Vet. Teſtament. p. 13.
5) Biblioth. Adam. p. 29.
6) Diſquiſit. Magic. Lib. I. c. 5. p. 58 ſq.
7) P. I. pag. 4.
8) Prodr. Hiſt. Liter. Praef. p. 2. Add. FABRICIVS loc. cit. p. 869 ſq.

§ V.

MOSES e sic dictorum Adeptorum numero excludetur, etsi *HORLACHERVS* loc. cit. p. 4. scribat: *Die im ersten Capitel Mosis beschriebene Schöpffung ist gleichsam ein Spiegel des Philosophischen Wercks, oder Steins der Weisen.* *HENR. KHVNRATHVS*, ob varia Biblica, ad Alchymiam & Chrysopoeiam absurdissime tracta, iure meritoque notandus, in *Amphitheatro Sapientiae aeternae* (Hanov. 1609. fol.) p. 193: *Lapis Philosophorum est* רוח אלהים, *qui incubabat aquis Gen. I., catholicus, triunus,* &c. Perversa & coacta Gen. I. 2. interpretatio, quae reperitur in eiusdem *HORLACHERI Annotationibus ad PET. IO. FABRI Solem Alchymisticum pag.* 12 *sq,* nec non *HENR. MADATHANI Aureo Speculo Redivivo p.* 85, improbabitur; aeque ac Χημευτικὴ Σύνταξις, Mosi supposita 9), reiicietur. *AEGIDIVM GVTTMANNVM* in libro tam nefando & titulo, quo conspicuus est, plane indigno 10), quam

9) Conf. SAM. BOCHARTVS Phaleg. Lib. IV. c. 1. FABRICIVS l. c. pag. 869 sq.

10) CHRISTIAN. SIGISM. WOLFIVS Visiolog. Chiliast. p. 9: *AEGIDII GVTMANNI Buch, Offenbahrung Göttlicher Majestät tituliret, hat mit seinem speciösen titul manchen ums Geldt gebracht und betrogen, manche unschuldige Seele verführet.*

quam raro 11), *Offenbarung Göttlicher Majestät*, turpiter etiam Geneseos initio ad fallacias, quae iactata Lapidis Philosophici inventione & possessione aguntur, vsum esse 12), ostendetur. Vrim & Thummim, Exod. XXVIII. 30. perperam pro Chrysopoeia in *ANONYMI Fegfeuer der Chymisten pag. A. 5* adduci, obseruabitur. E combusto & in pulverem redacto Vitulo aureo, Exod. XXXII. 20, Mosen fuisse Alchymistam, iudicant *HORLACHERVS Biblioth. Manget. p. 20 sq. ANONYMVS im Fegfeuer der Chymisten. pag. A 3 sq. MADATHANVS loc. cit.* Sed quod minus recte iudicent, & ex ipso hoc facto refutari possint Alchymistae, evince-

11) SAM. ENGEL in Biblioth. Selectiss. (Bern. 1743. 8.) P. II. pag. 31. de prima huius libri editione, Hanov. 1619. 4. evulgata, annotavit sequentia: *Editio rarissima Libri adeo rari, vt, teste Struvio, in Belgio iam pro 100 Ioachimicis divendita, imo Principi cuidam, non nisi prius numeratis mille florenis, Exemplar ad illud describendum traditum fuerit.*

12) Nonnulla huc spectantia habet diligens malae Praefationis malo libro, Amsterd. & Francof., si titulus non mentitur, 1675. 4. recuso, praefixae, examinator, D. SAM. POMARIVS, Praesul quondam Lubecensis laudatissimus, in Lehr- und Schutz-Schrifft wider den Guttmannischen Offenbahrungs-Patron P. I. p. 377 sqq, vbi e fraudibus etiam huius Alchymistarum fautoris ostenditur, quod is, nominis sui oblitus, se *bonum virum* neutiquam praestiterit.

vincetur. In modum etiam, quo Exod. XXII. 24 AARON confectum esse dicit Vitulum, inquiretur. Mosen porro, omnem licet AEgyptiorum sapientiam edoctum, Act. VII. 22, non fuisse tamen Alchymistam, auri conficiendi studiosum, adversus *HORLACHERVM Biblioth. Manget. p. 22 sq.* affirmabitur, & quo loco habenda sit HENR. IAC. van BASHUYSEN *Dissertatio, Mosen, qua enutritum omni AEgyptiorum Sapientia, non coecum esse eorundem in cultu V. T. ceremoniali imitatorem, sed Regni AEgyptiaci Candidatum, ad Actor. VII. 22. edisserens* (Servest. 1718. 4.) disquiretur.

§. VI.

In IOBO tam multa se deprehendisse, gloriantur Alchymistae, vt hunc potissimum sibi artis socium gratulentur. *Aus Hiobs Buch*, ita in *ANONYMI Fegfeuer der Chymisten pag. A. 4. b.* diserte legitur, *ist vortrefflich viel zu nehmen.* Imo vero huius Liberi, Divitiae, & alia ad ipsum pertinentia, arti Alchymisticae debent inservire. Vnde etiam librorum Alchymisticorum haud postremus, 1702. 8. evulgatus, *Keren Happuch, Posaunen Eliae des Künstlers*, inscribitur. Sed legitima rerum Iobaearum consideratio docebit, quod Alchymistae ad easdem audacter provocantes & fallant in-

incautos atque imprudentes Lectores, & ipsi fallantur.

§. VII.

DAVIDEM Psalm. XII. 7. Alchymistica proferre, contra *HORLACHERUM Biblioth. Manget. p.* 2. 21. negatur. Inepte formata in *ANONYMI Fegfeuer der Chymisten pag. A 3 b.* ex 1. Chron. XXX. 23. conclusio reiicitur. Examinatur 1. Chron. XXII. interpretatio, quae in *Keren Happuch* p. 37 sqq. extat.

§. VIII.

SALOMONI inter Adeptos & Lapidis Philosophorum possessores illustris locus assignatur. Sed falsa esse omnia, quae hoc consilio afferuntur, docetur. Male ad insipientem Alchymistarum sapientiam ac simulatam eorum pietatem trahi dictum Salomoneum Prov. IX. 10: Timor Domini initium sapientiae, contra *HORLACHERUM Biblioth. Manget. p.* 60. ostenditur, & ipsorum fraudibus, avaritia, simulationibus, demonstratur. Quae Prov. X. 22. de benedictione Domini sine molesto labore ditante praedicantur, ea aeque incongrue ab *HORLACHERO in Annotatt. ad FABRI Sol. Alchymist. p.* 37. ad Lapidem Philosophorum applicantur, Haereditario SALO-

MONEM

MONEM iure possedisse Lapidem, ex I. Chron. XXX. in *ANONYMI Fegf. der Chymist. p. A. 4.* perperam asseritur. Quod praeparare eum potuerit *ibid. p. A 4sq.* confidenter quidem his verbis: *dass er den Stein auch selbst zu bereiten gewust, ist aus dem Hohen Liede so gewiss und handgreiflich, dass ihm auch kein Vernünftiger widersprechen kan,* dicitur, sed non probatur. Quae citatus Anonymus breviter proposuit, ea copiosius dare voluit *MADATHANVS loc. cit. p. 74 sqq,* copiosissime autem scriptor libri, qui inter codicesMSStos chartaceos formae quartae in Bibliotheca rarissimis instructa libris RAYMVNDI de KRAFFT, illustris Reipublicae Vlmensis Consulis, reperitur. Debeo huius rei notitiam viro de bonis literis longe meritissimo, IO. GEORG. SCHELHORNIO, in cuius amoenissimarum Amoenitatum Literariarum T. III. p. 107. leguntur sequentia: *Canticum Canticorum philosophice explicatum per IO. LVDOVICVM HEINZEL a DEGERNSTEIN. Germanice. Lapidem philosophicum in Cantico laudatum & descriptum invenisse sibi visus est auctor.* Haec cum legissem, rogabam per literas Virum mihi amicissimum, cui vsum Bibliothecae Krafftianae concessum esse, noveram, vellet, si haud invito Sueviae Peirescio fieri posset, excerpta quaedam e memorato codice mecum communicare. Quid humanissimus

nissimus SCHELHORNIVS? Is, pro insigni, quo me dudum complexus est, favore, non excerpta, sed totius libri apographum mihi transmittebat, quam benevolentiam gratissimus iure praedico. Est igitur in manibus meis, quod mihi sanctissimum Canticum a strophis Alchymisticis vindicandi praebet occasionem; quod perversitatis & audaciae Heinzelianae examen si absolvere mihi licuerit, luculenter apparebit, quam male divinus liber ab Alchymista fuerit tractatus.

§. IX.

Dictum Es. LIV. 11. in *ANONYMI Fegfeuer der Chymisten pag. A 3 b. sq.* eo productum consilio, vt ESAIAS inter Adeptos locum inveniat, vindicatur. Expenduntur plura citati capitis Esaiani commata, quae in *LEONH. RHODII Gnaden-Geschenck* quam copiose, tam incongrue & coacte, in gratiam Chrysopoeiae Alchymisticae, explicantur, aut potius pervertuntur. Exhibet illa *Keren Happuch p.* 4-23. Quod EZECHIEL, DANIEL, ZACHARIAS, MICHA, fuerint etiam Alchymistae, in *ANONYMI Fegfeuer der Chymisten pag.* A 5, sine vlla addita probatione, asseritur. Caput III MALACHIAE in *Keren Happuch p.* 24-36. adver-

ſus RHODIVM, Chryſopoeiam in eo inveſtigantem, vindicari omnino meretur.

§. X.

ESRA, haec in *ANONYMI Fegf. der Chym. p. A. 5.* occurrunt verba, *bezeuget in ſeinem 4ten Buch, daſs er nicht unwiſſend in der Scheide-Kunſt geweſen.* Hoc ſi etiam eſſet verum, nihil tamen iuvabit Alchymiſtas ad S. Codicem receptum habentes liber apocryphus, in quo plura falſa reperiuntur.

§. XI.

An Sal Matth. V. 13. Marc. IX. 49. 50. commemoratum Alchymiſtarum patrono, *HORLACHERO Biblioth. Manget. p.* 28. vllo poſſit modo inſervire? E multiplicatione frugum, quam refert Salvator O. M. Matth. XIII. 8, ab eodem *HORLACHERO in Praef. FABRI Soli praemiſſ. pag.*)( )(8*ſq.*, metallorum ope artis Alchymiſticae multiplicationem irrito conatu deduci, obſervatur. Effatum Salvatoris, quo in duorum, aut trium teſtium ore veritatem conſiſtere, Matth. XVIII. 16. Io. VIII. 17, pronuntiat, intempeſtive ad demonſtrandam artis Alchymiſticae veritatem, multo pluribus, ſi fabula vera eſt, teſtimoniis gaudentem, ab *HORLACHERO* loc. cit. p.)( )(7. vſurpatum,

tum, explanatur, &, quantum fidei tribuendum sit testimoniis, pro Lapide Philosophorum corrasis, edisseritur. An Nicodemi exemplum, e Io. III. 10. 12. ab *HORLACHERO Praef. Sol. pag.*)( )( )( )(5. citatum, ad excusandam Alchymistarum inscitiam valeat? quaeritur.

§. XII.

Ostenditur porro, quod a PAVLO scripta de fermento 1. Corinth. V. 6, Fermenti Alchymistici, a *FABRO loc. cit. p. 99 sqq.* fuse descripti, causa, inepte vocentur in subsidium. Vtrum thesauri AEgypti, Hebr. XI. 26. memorati, innuant, quod putat *HORLACHERVS Bibliothec. Manget. p. 13 sq. 20 sqq. 25 sq.*, AEgyptios habuisse Lapidem Philosophorum? Quae ad citatum locum habet OL. BORRICHIVS in *Lib. de Hermetis, AEgyptiorum & Chemicorum Sapientia p.* 65, expendi merentur. Audacia, qua contradicunt PETRO, quem diserte nominare, non verentur, Aurum 1. Ep. I. 7 dicenti φθαρτὸν, Alchymistae, quibuscum consentit *HORLACHERVS loc. cit. p. 1 sq*, notatur, laudaturque BORRICHIVS, Alchymistis alias favens, hac autem in re *loc. cit. p.* 304. 410. iis contradicens. Ex Apocalypsi in vsus suos convertere, sed perquam insulse, student varia Alchymistae, & si-

 gil-

gillatim *HORLACHERUS*, e. g. civitatem e puro auro, ſimilem puro vitro, Apoc. XXI. 18, *Praef. Sol. pag.*)( )(8 *b*: Cryſtallum, Apocal. XXII. 1. memoratum, *ibid. p.*)( )( )(, & rel.

§. XIII.

Eſt inter libros meos primae magnitudinis codex, manu Morhofiana, quae pretium ipſi facile conciliat, exaratus, hocque inſignitus titulo: *Auctores Graeci* περὶ ΧΡΥΣΟΠΟΙΙΑΣ, *e Codice MST. Bibliothecae Ducalis Altenburgenſis manu D. G. MORHOFII deſcripti. Additae ſunt Emendationes & Notae, quas margini Codicis Altenburgenſis adiecit THOMAS REINESIUS. Praemiſſa eiusdem Praefatiuncula & Diſſertatio Germanica de his Auctoribus.* Horum indicem cum alio loco 13) dederim, hic eum non repeto. Brevitatis ſtudio generatim tantum obſervo, quod in illis reperiantur etiam Philoſophi Chriſtianam religionem profesſi, qui itidem habent Biblica nonnulla, quae ſub examen vocari merentur. De *ZOSIMO* in praemiſſa Diſſertatione annotat REINESIUS, *daſs, ob er wol, wie aus ſeinem Büchlein ad Theoſebiam zu ſehen, von Erſchaffung des Menſchen, von der Menſchwerdung und vom Leiden des Sohnes Gottes* zu

13) Miſcellan. P. II. p. 313.

zu reden gewust, so hat er doch die alten AEgyptischen Fabeln und Platonicas speculationes, aufsm Pimandro Trismegisti genommen, daran geschmiert, und das hohe Geheimniss auff die elende Kunst, das Prophetische Gesicht Ezech. 37. von denen verdorten und zerstreueten Todten Gebeinen auff sein scriptum von denen Chymischen Ofen, wie auch andere Artisten das hohe Lied Salomonis, und mehr textus Scripturae, auff die Chrysopoeiam gedeutet.

§. XIV.

Adsunt plures Alchymistae S. Scriptura abusi, quos in collectionibus scriptorum Alchymisticorum, *Museo Hermetico* (Francof. 1678. 4.); *Turba Philosophorum* (Latine Basil. 1610. 8. Germanice ibid. 1653. 8.); *GVILIELMI MENNENS Aureo Vellere* (Antv. 1604. 4); *HENR. VOGELII Offenbarung der Geheymnussen der Alchimy* (Strasb. 1605. 4), & aliis huius generis scriptis licebit offendere. Maximo scriptores Alchymistici antiquiores, & in his etiam perversi Bibliorum vsurpatores, numero consignati sunt a *PETRO BORELLO* in *Bibliotheca Chimica*, vbi viri etiam sancti, ABEL, MOSES, AARON, DAVID, SALOMON, & plures, inter scriptores Alchymisticos, falsissime licet iisdem annumerati, ordine alphabetico collocati reperiuntur. Vtrum

IO. IOACH. BECHERVS propter nonnulla, quae in *Natur-Kündigung der Metallen p.* 214. 239 ſcripſit, ad Alchymiſtas Scriptura S. abuſos queat referri? & an ad eosdem *Roſaecruciani*, magni Lapidis Philoſophici, quem ſe posſidere, iactitabant, praecones, pertineant? diſquiri poterit.

§. XV.

Sciagraphiam hanc, eandemque nondum, quod ſponte largior, plenam, vnico obſignare licebit dicto Biblico, contra Alchymiſtas vindicando, quod alibi 14) paucis tetigi, hic vberiori expoſitione declarabo. Notum vero eſt, quod plerique (de omnibus id non auſim affirmare, cum, vel ipſa teſte experientia, viros etiam nonnullos eruditos, ſed amore habendi & diteſcendi occoecatos, ea ceperit dementia, vt Vulcani filiis ſeſe adiungere, nulli dubitarint) Alchymiſtae ſint homines rudes, linguarum, antiquitatis & reliquorum ſubſidiorum hermeneuticorum plane imperiti, ideoque ad legitime interpretandas ſanctiores literas aeque apti, ac aſinus ad lyram. Hos ignorantia faſcinavit adeo, vt, illotis ad divini codicis loca explananda manibus accedentes, non mira tantum & inſulſa, ſed

14) Stromat. Lutherau. p. 11 ſq.

ſed impia etiam ac profana effutiendi occaſionem intempeſtive arripuerint, hac ratione artis ſuae dignitatem & laudem demonſtrari poſſe, perquam ſtolide opinati. Eiusmodi ignorantiae fratrem, miſſo illo, quem Io. CHRISTOPH. WOLFIVS 15) e GREGOR. MICHAELIS Notis ad IAC. GAFFARELLI *Curioſitates inauditas* citat, verba *Apoc. II.* 17: ΔΩΣΩ ΑΥΤΩι ΨΗΦΟΝ ΛΕΥΚΗΝ, male interpretatum, producemus 16), quem Io. MICH. DILHERRVS 17) ſiſtit, ſicque deſcribit: "Incidi nuper, in familiari collo-"

 quio,"

15) Cur. Vol. IV. p. 465.

16) Alchymiſtas, dicto noſtro Apocalyptico abuſos, notavit iam beatus frater meus, ERICVS GOTTLIEB a SEELEN, in Diſputatione Philologica de Lapide Angulari ad Pſalm. CXVIII. 22. (Brem. 1707. 4) pag. 6, cuius verba, cum plura habeant huc ſpectantia, iuvat ſiſtere: " Quod ad lapidem Philoſophorum attinet, cuius materiam alii ,, lapideam eſſe volunt, alii terream, alii igneam, ,, aëream, plurimi aqueam, quem Deum pro- ,, miſiſſe volunt in ſacris Apoc. II. 17. δώσω αὐ- ,, τῷ ψῆφον λευκὴν. Pſ. CXXVI. *Qui ſeminat* ,, *in lacrymis, in exultatione metet*, ſcilicet inve- ,, niet is lapidem Philoſophorum, & inſigni auri ,, copia diteſcet; quo etiam Apoſtoli verba tra- ,, huntur 2. Cor. IV. 17; releganda ad deliramen- ,, ta ſopiendis infantibus idonea, iudicat cum ,, Guilielm. Saldeno *Ot. Theolog. p.* 182. B. Mat- ,, thias Zimmermannus in *Florileg. Philolog. Hiſtor.*"

17) Farrag. Rit. ſacror. & ſaecular. Lib. III. cap. 21. p. m. 298 ſqq. ap. THOM. CRENIVM Faſcic. VIII. Opuſc.

„quio, in hominem, qui, nulla quidem „excultus Philoſophia, nec linguae etiam „vllius, niſi Germanicae, & vix eius qui- „dem recte gnarus, Lapidem Philoſophiae, „multo ſudore, & impenſis non vulgari- „bus, ſe inveniſſe, gloriabatur. Cumque „animadverteret, me non parum mirari: „quid miraris? aiebat. *Deus nobis Lapidem* „*Philoſophiae promiſit, in ſacris Bibliis*, vt „noſti. Ego vero non novi, dico. Ille: „Tune vero non melius in Scripturis ver- „ſatus es? Iterum fatebar, me neſcire. „Tum ille poſcebat Biblia, meam mihi „ignorantiam demonſtraturus. Evolvit „caput Apocalypſeos ſecundum, & legit „vsque ad verſiculum decimum ſeptimum, „qui in verſione Lutheri ita habet: *Wer* „*Ohren hat, der höre, was der Geiſt den Ge-* „*meinen ſagt: Wer überwindet, dem will ich* „*zu eſſen geben von dem verborgenen Manna,* „*und wil ihm geben ein gut Zeugniß, und mit* „*dem Zeugniſs einen newen Namen geſchrie-* „*ben, welchen niemand kennet, denn der ihn* „*empfähet.* Accuſabat vero Lutherum, quod „perperam verterit: *wil ihm geben ein gut* „*Zeugnis.* Vertere debuiſſe: *wil ihm geben* „*einen Weiſen Stein*, quomodo verſum ſit „in Bibliis Helvetorum. Non acquieſce- „mus in Verſionibus, aio. Adfertur tex- „tus Graecus, vbi haec videmus verba: „δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, ad verbum: da- „bo

„bo ipsi calculum album. Ipsi ita Germa-
„nice expono, & addo: non invenies apud
„tuos Helvetos: *einen Weisen Stein*, sed:
„*einen Weissen Stein.* Nec Lutherus male,
„sed optime vertit: *ein gut Zeugnis*, ad sen-
„sum, non ad sonum verborum respiciens,
„quod facile mihi concederes, si rituum
„Antiquitatis non ignarus esses. Nam
„sicut in iudiciis vtebantur calculis solidis,
„aut perforatis, albis & atris; vt solidis &
„albis absolutionem, perforatis & atris con-
„demnationem testarentur: ita DEVS in
„mediis haeresibus tutos suos praestat, &
„veluti calculo solido & albo dato, absol-
„vit eos, in conscientiis ipsorum. Deinde,
„sicut nomen eius, cui, in Comitiorum
„suffragiis, favebatur, in calculo scribeba-
„tur: ita hic CHRISTVS promittit, se no-
„vum nomen scripturum in calculo albo.
„Dicitur nomen novum, quod mundo,
„temporibus grassantis Anti-Christi, esset
„ignotum; ac proinde novum foret iis,
„qui nomine illo divinitus insigniebantur,
„h. e. in cordibus suis certi fiebant, se esse
„filios DEI, in CHRISTO." Quam male
interpretantem Alchymistam, tam bene iu-
dicantem DILHERRVM hic deprehendi-
mus. Albus enim calculus non ex Alchy-
mia, sed ex Antiquitate est declarandus, vt
recte intelligatur, quid in emphatica hac
loquendi ratione sit reconditum. Eo col-

 lineant

lineant explicationes, tum praecipuorum in Apocalypſin commentatorum, MATTHIAE HOE, IO. CLVVERI, CAMP. VITRINGAE, HENR. GROENEWEGEN, & plurium; tum variorum, a WOLFIO 18) copioſe adductorum, qui antiquorum rituum ope ψῆφον λευκὴν egregie illuſtrarunt adeo, vt vix ſuperſint, quae addi queant. Dabimus tamen operam, vt, in gratiam praeſertim Alchymiſtarum, ſpicilegium faciamus poſt meſſem, luculentisſimamque effati Apocalyptici praebeamus interpretationem, quam is etiam valeat capere, qui non eſt plane ſtipes, truncus, & lapidi, i. e. ſtupido, omnino ſimilis, & tam obtuſae mentis, tamque deſtitutus omni ingenii acie, vt, quid ſibi velit lapis, aut calculus albus, nullo posſit modo perſpicere. Meditatus autem verba Apocalyptica, trium rationem habendam eſſe, animadverti; datoris ſcilicet: illius, cui is aliquid pollicetur: doni, quod promittit. *Datorem* eſſe CHRISTVM ipſum, tam certum, quam indubitatum eſt, quod in antecedentibus perſona loquens de ſe proferat ea, quae in neminem, niſi Salvatorem O. M., posſunt quadrare. Sic comm. 7. dicit: Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐςιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεȣ. comm. 8.: Τάδε λέγει ὁ πρῶτος

18) loc. cit. p. 464.

πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν. comm. 10: γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Isthaec vero, & plura, Angelis ecclesiarum, Ephesinae, Smyrnensis, dicta, Sospitatorem generis humani luculentissime demonstrant, siquidem ea, quae promittit, ita sunt comparata, vt a nemine, nisi illo, queant proficisci. Haec non sunt corporalia, sed spiritualia: non terrestria, sed coelestia: non vitam inter mortales laute transigendam & commode, sed vitam inter coelites beatissime agendam respiciunt. His quomodo accensendus sit, si is in rerum humanarum datur vniversitate, Lapis Philosophorum, cernere non licet. Absurdus sane, imo absurdissimus, foret Alchymista, qui spiritualia inter & coelestia bona eum numeraret. Hinc sponte sequitur, quod bono temporali nullatenus possit locus concedi ibi, vbi thesauri non humani, sed divini tantum memorantur. Ille, cui aliquid promittitur, Νικῶν, *Vincens*, in antecedentibus appellatur. Inesse huic voci allusionem ad veterum, & Graecorum praesertim, certamina, in quibus ad obtinendam tandem victoriam omnis labor exantlandus, omnis cura gerenda, omnis circumspectio adhibenda, omnis molestia toleranda, tendebat, vt e certamine discedens victor proposita consequeretur praemia;

mia; meditationes ſunt, quas, cum grano ſalis inſtitutas, nemo facile, qui novit, quod in Novo Teſtamento multae ſint loquendi rationes a ritibus veterum deſumtae, plane improbabit 19). Sed hanc rem in praeſenti non tam curo, quam diſpicio potius, quis potisſimum per Vincentem ſit intelligendus? Non deſunt, qui genuinum quemvis Chriſtianum, conſtantem verae religionis confeſſorem, in fide ad finem vsque vitae perſeverantem, innui arbitrantur. Eo ſpectant VITRINGAE 20) verba: "Νικᾶν hic omnino eſt *ὑπομένειν εἰς τέλος*, *ad finem vsque perſeverare* in profesſione & exercitio verae religionis, non obſtantibus tentationibus omnis generis, & illecebris mundanis." HVGONI GROTIO Νικῶν ad Apoc. II. 7. eſt, qui *neque inedia, neque incommodis aliis patitur ſe a Chriſtianismo abduci;* ad comm. 17 *ſtrenue ſe opponens Nicolaitis*. Verſantem quoque in hac vita fidelem conſtantemque Chriſtianum, fortiter res ſuas adverſus varios agentem hoſtes, IOHANNES D' OVTREIN in Diatribe 21) de Phraſi: ὁ ΝΙΚΩΝ, reſpicit, hocque fine varia ad illum accommodat. At cum

19) Conf. VITRINGAE Anacriſ. Apocalypſ. ad Apoc. II. 7. p. 69 ſq.
20) loc. cit.
21) Inſerta legitur Biblioth. Brem. Cl. IV. Faſcic. IV. p. 605 ſqq.

cum aliud sit *bellare*, aliud *vincere*, cumque distinctio inter Ecclesiam in hac vita militantem, in altera triumphantem, idoneo nitatur fundamento, per *Vincentem* hic commodius intelligi *Beatus* poterit. *Victores electi sunt in ecclesia triumphante*, rectissime scribit magni nominis Theologus & felix sacrarum literarum interpres, ABRAH. CALOVIVS 22). In mundo est pugna, in coelo victoria. In mundo Iobaea 23) auditur querela: הלא־צבא לאנוש על־ארץ, *nonne militia homini in terra?* In coelo plane desinit, vbi Victor omnes suos hostes, quibuscum ipsi fuit antea per totam vitam confligendum, superatos videt prostratosque, victoriam adeptus consummatissimam. Quam itaque, propter adhaerentem ipsi infirmitatem, in hac mortalitate reportare haud potuit victoriam plenam, eam, immortalis factus, consequitur plenissimam, perpetuoque duraturam. Futurum, *δώσω*, non praesentia, ideoque huius vitae, sed futura, sicque beatae vitae, innuens, expositioni huic adeo non contrariatur, vt ei potius favere, haud incongrue dici queat. *Dona* porro, quae Vincenti pollicetur Sospitator, haud difficulter ad Vincentem, qui in coelo est, cogitationes perducunt. Ex his vero donis, pro

22) Bibl. illustr. ad Apoc. II. 7.
23) Iob. VII. 1.

pro inſtituti ratione, vnicum modo breviter, etſi illud multo copioſiori queat commentario materiam ſuppeditare, expendam. Late autem patet in antiquis monumentis vox ψῆφος, tam crebro in iisdem, cum epitheto etiam, λευκὴ, occurrens, vt multis viris eruditis ad locum noſtrum Apocalypticum docte commentandi anſam praebuerit. Oſtendunt hoc iſti, quos more ſuo, i. e. accurate & copioſe, WOLFIVS citavit. His ſi, praeter commentatores, addantur GEORG CRAVSERVS 24), SAL. GLASSIVS 25), ANDR. SCHOTTVS 26), IO. PHIL. PFEIFFERVS 27), IO. MEVRSIVS 28), DESID. ERASMVS 29), PHIL. PICINELLVS 30), IO. IAC. WETSTENIVS 31), IO. CLERICVS 32), de loquendi ratione, ψῆφος λευκὴ, tam multa reperientur obſervata, vt abunde ſuppetant, quae eidem ex antiquitate, qua in ſolide explicanda hac phraſi nemo poterit carere, rite declarandae queant inſervire. Nobis

24) Phoſphor. p. 771 ſqq.
25) Philol. Sacr. p. m. 1333 ſq.
26) Adag. Graec. p. 229. 290. 472.
27) Antiquit. Graec. p. 268 ſq.
28) Areopag. p. 53 ſqq.
29) Adag. p. m. 57.
30) Lumin. Reflex. p. 758.
31) Commentar. in N. T. Tom. II. p. 758 ſq.
32) Annotatt. ad HENR. HAMMONDI Nov. Teſt. p. m. 451.

Nobis praecipua tantum momenta paucis attigiſſe, & nonnulla modo teſtimonia, cum plura, quae haec commentatio ſuis circumſcripta limitibus non capit, Lector apud citatos auctores invenire poſſit, parce adduxiſſe, ſufficiet. Erat vero ψῆφος λευκὴ olim ſignum *Victoriae*, quam ſtrenui milites ab hoſtibus, fortes athletae a commilitonibus, reportaverant; quae victoria vt maiori cum gloria ac laude eſſet coniuncta, nomina victorum calculis, qui honoris cauſa illis dari ſolebant, inſcribebantur. Vnde Scholiaſtes PINDARI, a WETSTENIO etiam adductus, κατὰ τὰ Μέγαρα, ſcribit, ἔθος ἐστι τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι. Ex hoc ritu nomen novum, Vincenti dandum, declarat (cuius verba e libro publica olim auctoritate prohibito, adeoque non in omnium manibus verſante, iuvat ſiſtere) HERMANNVS von der HARDT 33), ſic commentans: " *Novum* „*nomen calculo inſcriptum*, pro analogia prae„miorum, quae inter multos diſtribueren„tur ſorte, quando cuilibet calculo, vel „teſſerae, aut bacillo, inſcriptum nomen „praemii, quod eſſet accepturus. Quo„modo & Caeſares ſparſerunt calculos, ta„libus donorum nominibus inſignitos, vt „quisque videret, quid doni accipere de„beret.

33) Apocalypſ. ex Tenebr. in veter. Iudaeor. Hiſtor. p. 594. in AEnigm. priſc. Orb.

„beret. Pari modo & hic beatis donatum „iri, ait auctor, nomine Christi, in pro„sopopoeia, novum nomen praeclarum, „calculo velut inscriptum, quod est nomen „*Regis* & *Iudicis*, exemplo Christi & cum „Christo, post victoriam de hostibus de„bellatis. Vti in Christo nomen *Regis Re*„*gum* & *Domini Dominorum*, Apoc. XIX. 12. „13. 14. 15. 16, ita in martyribus illud „*Regis* post pugnam & victoriam insigne; „vti diserte circumscribitur mox in altera „admonitione ad Thyatirenses, v. 26. 27. „28. & ad Laodicenses, cap. III. 21. *Quod* „*nomen* (martyri illi, beato, datum, calculo „velut, praemii loco, inscriptum, sive illi „destinatum & consecratum, nempe *Regis*, „cum Christo regnantis) *nemo novit*, (pro „analogia calculorum civilium, in quibus „praemia scripta, quae nemo novit, nisi „qui calculum accipit, & cui ille monstra„re velit. *Nosse* hic idem ac impetrare, „accipere, & illo gaudere; quae est noti„tia cum affectu, sive ipse vsus fructus, „vel possessio, fruitio,) *nisi qui accipit.* (ta„lem calculum cum illo nomine, vti in „civilibus sortibus, ita in his spiritualibus „donis divinis. Ille declarandus *Rex*, cum „Christo, qui hostes, quibuscum fuit cer„tandum, Iudaeorum odia & insidias, cum „Magistratuum exterorum suppliciis, vicerit; „qui in fide & persecutione constans man-

„serit,

„ ſerit, *Regis* charactere & victoris nomine „ornandus; quo nemo beandus, niſi qui „vicerit).“ Fundamentum huius ritus, quo Victoris nomen calculo inſcriptum, in ipſis ſacris literis ſe inveniſſe, arbitratur IAC. LYDIVS 34), diſerte ſcribens: *Alludi puto ad loca Deut. XXVII, 2. 3, vbi mentio lapidum calce illitorum, vt iis aliquid inſcriberetur. Et Eſ. LXII. 2. 3, vbi dicitur: Indetur tibi nomen novum, quod os Iehovae praefixerit.* Cui iſtud plane differens a ritu gentium, adeoque huius origo iuſto longius forſan petita, videbitur, ei diiudicandam propono meditationem a PICINELLO 35) ad verba Apocalyptica hoc inſtitutam modo: *Lapillus candidus promittitur ei in praemium & compenſationem, qui viriliter dimicaverit contra carnem, mundum, &c., vel, quod DEVS, veluti iudex huius certaminis, ſit concurſurus ad exaltationem victoris, dando ei ſignum candidum, ſymbolum felicitatis; vel, quod victor recepturus ſit candidum illum lapillum, ſignatum peculiaribus characteribus, tanquam authentico ſui valoris & ſuae victoriae.* Vſus lapillorum, aut calculorum, in *iudiciis* priſco erat aevo frequentiſſimus, ſiquidem calculi, vel albi, vel atri coniiciebantur in vrnas, eo fine, E vt

34) Agoniſtic. Sacr. p. 158.
35) loc. cit.

vt illi abſolutionis & innocentiae, hi culpae ac condemnationis praeberent teſtimonium. Notiſſimi, ſimulque luculentiſſimi, ſunt verſus Ovidii, e Metamorph. Lib. XV, a compluribus, imo tantum non omnibus, interpretibus, explanatoribus, antiquariis, producti:

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Quem ritum non reſpexit tantum Harduinus, citato ſcribens loco: "Eiusdem *beatitudinis* ſymbolum ac *ſalutis* imago eſt „*calculus albus*, pro analogia calculi albi in „foro civili, quo abſolvatur & liber decla„retur homo, ſicut calculo nigro quis „damnabatur;" ſed magnus etiam noſter Lvthervs, ψῆφον λευκὴν elegantiſſime, vti ſupra etiam contra ineptum Alchymiſtam recte monuit Dilherrvs, per *gut Zeugniſs* interpretatus. Bonum ſcilicet, imo optimum, Vincenti, ſive Beato, datur teſtimonium, quando is coram iudicio divino abſolvitur & a condemnatione liber pronuntiatur. Conferamus vero aliorum verſiones, e. g. Socinianorum, quorum Verſio N. T. 1630 lucem aſpexit, eosdemque ſecuti Ierem. Felbingeri, nec non Io. Piscatoris: *ein weiſſes Steinlein;* Io. Henr. Reitzii: *ein weiſſes (wahl) ſteinlein;* Casp. Henr. Trilleri:

einen

einen weissen Edelstein ; CASP. VLENBERGII: *einen weissen Stein*, ne afferam plures, & vnamquamque paulo accuratius perlustremus, nonne, omni auctoritatis praeiudicio deposito, fatendum erit, quod nemo, quam LVTHERVS, luculentius, nemo pro captu lectorum, rudium praesertim & antiquitatis ignarorum, melius, nemo ad intelligendum id, quod in phrasi ritus veteres sapiente latet, eademque exprimitur, aptius fuerit interpretatus? Pudeat ergo stolidum Alchymistam, censere ausum LVTHERI Versionem, quae huc usque omnibus reliquis palmam praeripuit, semper haud dubie praereptura. Calculi olim quoque in *electione*, & Magistratuum praesertim, erat vsus. Docent hoc ψηφοφορίαι, teste PLVTARCHO 36) prisca aetate adhibitae, cum Magistratus essent creandi. Atque haec sine dubio caussa, cur ψῆφον λευκὴν Biblia Belgica *eenen witten Keursteen*, GROENEWEGENIVS in Commentario ad h.l. *einen weissen Kührstein*, reddiderint. Alias veterum ceremonias, calculis, albis aeque ac atris, institutas, facile possum praeterire, cum praecipuos ritus iisdem peractos adduxerim. Eligat e cunctis interpretationibus, quamcunque voluerit, Alchymista, & si vel gutta ingenii ac iudicii eidem super-

 fuerit,

36) Paedagog. c. 17. p. m. 150. edit. Heusinger.

fuerit, in cunctis explicationibus, quarum aliquae coniungi possunt, nec male etiam a nonnullis sunt coniunctae, inveniet aliquid, quod, scite ac prudenter adhibitum, in Coelitem, de quo agit praecipue locus Apocalypticus, quadret; plane nihil vero, quod, Lapidem Philosophorum hic promissum, hic indagandum esse, suadeat. Sed Lapidis tamen fit mentio. E. est lapis Philosophorum. Lapis vocatur albus. E. de praestantissimo Philosophorum Lapide potest, imo debet, intelligi. *Album* exponitur per *sapiens*. E. albus paries potest sapiens dici. Quis ita ratiocinatus, quis ita, vt rectius dicam, nugatus, quis tam audacter Donato contradicere ausus est? Pueri sane, qui discere primum incipiunt Graecam linguam, norunt, quod λευκὴ nunquam denotet sapientem. Et Alchymista, qui singularem prae se ferre vult sapientiam, id nescit. En fratrem ignorantiae in Vervecum patria natum! En sacrarum literarum interpretem ad Garamantas relegandum! En Logicum, qui facillime potest aliquem excitare, vt, ad exemplum celeberrimi Theologi, Io. Frid. Mayeri, cujus Logica Pontificiorum ἄλογος nota est, *Logicam Alchymistarum* ἄλογον conscribat. Esto autem, quod eiusmodi Alchymista sit rudis; erigere se tamen potest eo, quod sit nihilo secius felix, siquidem

dem *felicitas* quoque albo fuit calculo a veteribus deſignata. Sic DIOGENIANVS 37: Λευκὴ φῆφος) Ἐπὶ τῶν εὐδαιμόνως βιούντων. *Albus calculus.) De feliciter viventibus.* At enim vero ſciat, quod albus calculus de vtraque vita, & fauſta & infauſta, fuerit vſurpatus. Sic e. g. Proverbia, e Bibliotheca Vaticana a SCHOTTO 38) edita, habent: Λευκὴ φῆφος) Ἐπὶ τῶν εὐδαιμονέστερον ἢ δυστυχῶς ζώντων. *Albus calculus) De iis, qui fauſte vivunt, aut infauſte.* Simili ratione SVIDAS, & alii. Imo vero felicitate, quae conſiſtit ,ex ſententia multorum, avarorum praeſertim, quibuscum tamen non omnes conſentiunt, in divitiis, gaudere poteſt Alchymiſta, ſi ars, quam iactitat, vera eſt, certa, firmo fundamento ſuperſtructa. Sed hoc quaeritur, haecque lis adhuc ſub iudice eſt, nec vnquam forte ad liquidum perducetur. Experientia ſaltem teſtatur, quod famoſa haec ars e Croeſis nonnunquam Iros fecerit. Ipſe habui cognatum, vanitate ſic faſcinatum Alchymiſtica, vt, ſpretis omnibus monitis,

 omni-

37) Proverb. Centur. VI. ap. SCHOTTVM loc. cit. p 229. Felicitatis, quae in proſpera conſiſtit valetudine, ſymbolum fuiſſe ψῆφον, *calculum*, quem ab AESCVLAPIO ſe accepiſſe, putarunt Pergameni, ex ARISTIDIS ſuſpicione annotat MICH. ROSSALLVS Obſervat. ad Apoc. II. 17. in Biblioth. Brem. Cl. III. Faſcic. I. p. 102ſq.

38) loc. cit. p. 290.


omnibus rationibus, omnibus exemplis, haud parce ei propositis & inculcatis, Lapidem quaerendo Philosophorum, bona, quae copia possidebat haud exigua, dilapidaret omnia, tandemque pauperrimus moreretur ante, quam Lapidem, multis magnisque sumtibus diu quaesitum, invenisset. Quam vana itaque, quamve imaginaria est felicitas, quam sic dicti Adepti se vel iam adeptos, vel adepturos tandem esse, crasso gloriantur mendacio; tam indubitata, tam genuina, tam certo a fidelibus speranda est ea, quam affert Vincentis ψῆφος λευκὴ, felicitas, quae a ficta Alchymistarum felicitate toto distat coelo, nec vnquam, nisi a profano & insipiente Alchymista, cum ea comparabitur.


§. XVI.

Nihil itaque praesidii, quo Chrysopoeiam, quam crepat, tueri possit, inveniet Alchymista in loco, quem vidimus, Apocalyptico, aeque ac in aliis factis & dictis Biblicis, quae sibi favere, stulte credit, ea captus coecitate, qua verum a falso, aurum a scoriis, nequit discernere. Vanum proinde, imo vanissimum, merito censetur votum, quo, vt consignetur *Chymia Biblica*, ex mente scilicet & ad palatum Alchymistarum, in *ANONYMI Fegfeuer der*

der Chymisten p. A. 5. optatur. Huic nemo, qui auctoritatem S. Scripturae sartam cupit tectamque, subscribet, probabit potius DILHERRI iudicium, quo inepto, in quem incidit, Alchymistae & incongruam suam dicti Biblici explicationem, & ingentem, quam prodidit, inscitiam exprobravit, his conceptum verbis 38): *Vide, quam inconcinnas sibi explicationes imaginentur ii, qui, omnibus explicandi praesidiis destituti, Scripturae sibi interpretationem tribuunt! Qua de causa ego meo ἀσόφῳ Philosopho & Alchymistae dicebam: Bone vir, si tu Lapidem Philosophorum non certius in tuo Furno, quam in meo Libro, invenisti: pro thesauro tibi carbones, vel potius cineres, superabunt.* Hoc fato digni sunt Alchymistae omnes, qui in explanandis etiam oraculis divinioribus & tractandis rebus Biblicis fumum vendere aliis, imperitis praesertim, minime verentur.

38) loc. cit. p. 301.





III.

De nomine Dei Jehovah Conjectura,

auctore

A. G. MASCH.

V. D. M. A.

---

§. I.

Sanctissimum summi Numinis nomen τετραγραμματον, quod sibi soli vindicat ipse Deus, *a*) quod gens Judæorum vel ore proferre, vel prolatum audire, male propter intellectum sacri codicis præceptum *b*), sibi religioni ducit, multas summorum Criticorum curas, lucubrationesque jamdudum expertum est. Nomina illorum, qui de

a) Esaiæ XLII. 8.

b) Exod. VI. 4. unde & epitheta hujus nominis, ἀνεκφωνητον, ἀρρητον, ἀφραστον, ἀλεκτον, ἀφθεγκτον, ἀπορρητον, ρηθηναι μη δυναμενον, originem traxisse videntur: nisi forte exinde mavis, quod graeci hoc nomen exscribere non potuerint, adeoque nonnulli Πιπι legerint, litteras ה pro græcorum Π habentes.

de hoc nomine commentati ſunt, hic recenſere & nimis longum, & ſuperfluum foret. Cl. enim SIMONIUS, c) apud Halenſes Profeſſor, amplum eorum condidit catalogum. Quæ vero ab eruditis viris diſputata ſunt, vel vocis derivationem, vel lectionem, vel ſignificatum ſpectant.

§. II.

Ultimum quod attinet, nomen Dei eſſe eſſentiale ſoli Deo proprium, omnes, paucis exceptis, *d*) concedunt. Primario itaque ens neceſſario exiſtens, facultate aliis extra ſe entibus exiſtentiam aut actualitatem largiendi gaudens, cujus eſſentia ipſam involvit exiſtentiam; ſecundario ens immutabile, æternum & omnipotens denotat, quam interpretationem ipſe Spiritus ſ. ſuggerit *e*).

§. III.

De genuina pronunciatione & lectione vocis quæſtio celebris diu multumque inter eruditos exagitata eſt. Diſſertationes

 decem

c) Onomaſt. V. T. p. 316.

d) Adverſarios puto religionis noſtræ ſanctisſimæ, qui errorum patrocinium in aſſertione, etiam angelis, quatenus munere legati Dei fungantur, hoc nomen tribui, quærunt.

e) Apoc. I. 4.

decem, quæ reliquis palmam præcipere visæ sunt, collegit ediditque RELANDVS f). In duas plerumque abeunt eruditi partes; alii puncta litteras animantia esse genuina, alii aliunde & quidem a voce ארני mutuo esse sumta contendunt. Quæ in utramque partem disputata sunt, nimis nota sunt, quam quæ hic recoquenda essent. Cum vero, me iis assentiri, qui puncta vocalia pro genuinis & nativis habent, non inficias eam; argumentum ex ipsa vocis derivatione atque linguæ sanctæ natura & indole, quo idem evincatur, proferre satius erit.

§. IV.

Sunt, qui omnes lites, quæ circa derivationem vocis יהוה oriri possent, facillimo negotio dirimunt. Statuunt radicem היה vel הוה; addunt (יְ) characteristicum futuri; e participio vel præsenti desumunt (וֹ) characteristicum præsentis temporis; subscribunt (ָ) characteristicum præteriti, atque ita hoc nomen construunt. Mirus sane ingenii lusus! Quid fundamenti habet? Audiamus defensores magni nominis viros.

f) Decas Exercitat. de pronunciatione nominis Jehovah Ultraj 1707. 8. continet Diss. DRVSII, AMAMÆ, CAPPELLI, BVXTORFII & ALTINGII, nec non FVLLERI, GATAKERI & tres LEVSDENII.

viros. 1.) Nomen entis singularis, singulari modo esse formandum censent. Sed & hoc multa probatione indigere mihi quidem videtur. Ens singulare sibi proprium & peculiare habeat nomen, concedo: sed hoc nomen penitus anomalon esse debere, ita ut ad nullas grammatices regulas revocari queat, ab indole naturaque linguæ hebrææ plane abhorreat, mihi exinde haud persuadere possum. 2) Ipsum Spiritum S. eandem derivationem, Apoc. I. 4. suppeditare regerunt. *Iohannem* vero non derivationem vocis grammaticam, sed verum & genuinum sensum interpretationemque nos docere, nemo, vt mihi quidem cernere licet, unquam negabit. Interpretatur nomen *Iehovah* per ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, hoc est, per ens, quod omni tempore idem est, seu per ens necessarium a se & per se existens. Interpretatio itaque ista semper, etiamsi & alio modo, per aliumque ingenii lusum vocem formare velles, locum haberet.

§. V.

Alii in voce יהוה tres litteras radicales, vnam (י) servilem statuunt. Sed his potissimum adversatur, quod, quare (ו) medium radicale hic maneat mobile, cum in verbis ע״ו alias nec non in nominibus ab ejusmodi

modi radicibus derivatis quieſcere ſoleat, nulla ratione doceri queat. In aliam itaque derivationem, regulis grammatices hebrææ magis conſentaneam inquiramus.

§. VI.

Fundamenti loco præmittendam duco regulam, cujus auctorem felicem iſtum indolis linguæ ſanctæ indagatorem, ante triennium placide pieque defunctum, LL.OO. apud Lugdunenſes Batavos Profeſſorem ALBERTVM SCHVLTENS *g*) eſſe confiteor. I. Verba, quorum tertia radicalis (ה) quieſcens dicitur, ſeu verba ל״ה, veram radicalem tertiam occultant, ejusque loco (ה) quieſcens in (-) ſubſtituunt; vera vero radicalis littera latens eſt vel (ו) vel (י). Cum enim in fine *Iod* vel *Vau* cum præcedente vocali Diphthongum redderet, a qua purus linguæ hebrææ genius, (Judæi enim Diphthongos in lingua hodie multas admittunt) plane abhorret; ad evitandam duriorem pronunciationem & cacophoniam (הָ) vocali (-) homogeneum ſubſtituitur, & (-) ad ſupplendam moram per quietem [illegible] (ה) ablatam in (-) elevatur *h*). Addo II. verba

g) Inſtitutiones ad fundamenta linguæ hebrææ. Lugd. Bat. 1737. 4 p. 32.

h) e. g. גלה per גלי, ענה pro ענו, שלה pro שלו. Duplici modo hoc probari poteſt. Primo, quia

verba, quorum ſecunda radicalis revera eſt (ו) illam extrudunt, & ejus loco (ה) in fine quieſcens adjiciunt: cujus exempla habemus הרה pro הור, שרה pro שור. Diverſas enim radices non eſſe, exinde, quod tum eundem habeant ſignificatum, tum derivata promiſcue modo a radice ל״ה modo ע״ו deriventur, ſatis apparet.

§. VII.

Præmiſſis hiſce regulis, in radicem vocis יהוה inquiramus. Littera (ה) prioris ſyllabæ eſt procul dubio radicalis. (ו) prima ſecundæ ſyllabæ littera non eſſe poteſt quieſcens, non enim in loco quieti apto eſt collocata, ergo eſt radicalis. To (ה) in fine non eſt mappikatum, ergo quieſcens ſervile, non radicale. Duas ergo habemus radicales. In inveſtiganda vero radice, quoties duæ tantum adſunt radicales, tertia vel in medio vel in fine ſupplenda eſt vel ab initio. Non ab initio: radix enim tum foret vel יהו vel נהו, quas lingua hebræa ignorat. Adjiciamus ergo in fine (הּ): ſed & hoc per regulam I. non radicale erit; quapropter vel (ו) vel (י) addendum. Tum vero

quia (הּ) ſeu mappikatum eſt radicale, motum, & immutabile: ſecundo, quia litteræ (ו) & (י) ſtatim recurrunt, quamprimum pronunciatio non moratur.

vero radice הוי vel הוו existente, littera (ו) in voce יהוה foret secunda radicalis. Sed secunda radicalis (ו) quiescere debet, hoc loco ad quietem vero non locus est; ergo est (ו) motum, ergo nec secunda radicalis littera. Per secundam itaque regulam inseramus inter litteras (ו) & (ה) vocis (יהוה) tertiam radicalem veram *Jo* (ו); atque sic habemus radicem הוו, cujus loco in lexicis legimus הוה inter chaldæos adhuc usitatum; quæ radix ex הוו non per immutationem *Ja* (ו) ultimi in (ה) sed per compensationem *Ja* (ו) medii per (ה) in fine orta est *i*).

§. VIII.

Radice sic investigata, ad ipsam derivationem nos accingamus. Omnem vocis punctationem ignorabimus, ex sola linguæ ebrææ analogia regulisque grammatices puncta voci subjecturi. Invenimus in voce יהוה *Jo* (ה) finale, quod neque est radicale, neque alternans pro radicali; est itaque finale augmentum, servile, essentiale, radici adjectum eum in finem, ut inde nomen

i) Non citra rationem me radicem ita formare, ex reliquiis radicis in Arabismo exstantibus dijudicari potest. vid. SCHINDLERI lexicon pent. p. 431. Quin & in Chaldæorum הויה & הוית ejusdem vestigia invenire mihi persuadeo; non commode enim a radice הוה vel היה derivari possunt.

nomen fiat. Augmentum nominale (ה) finale vocalem ſibi præmittit (ָ) homogeneam. Ultimam ergo habemus ſyllabam per (ָ) enunciandam הוָה. Nec obſtat (ה) præcedente (ָ) eſſe indicium foeminini generis, non deſunt enim nomina, inprimis propria, ejusdem terminationis *k*). Duplex adhuc nobis (ו) eſt in medio, quorum medium radicale ſecundum anomaliam verborum ע״ו ejicitur atque ejus loco vel *Cholem* vel *Schureck* ſubſtituitur; quod in nominibus formandis eſt frequentisſimum *l*). Primæ ergo radicali *Cholem* adſcribendum vel cum vel absque fulcro. Habemus ergo הֹוָה. Littera (י) character plerumque eſt nominum propriorum; accedit ab initio, ut omnes litteræ ſerviles, per (:) Atque ita ſecundum regulas grammatices legendum venit יְהֹוָה.

§. IX.

Quæ cum ita ſint, non eſt quod cum aliis hoc nomen *Jao*, *Javo*, *Javoh*, *Jahoh*, *Jaon*, *Jahod*, *Jave* vel *Jehva* *m*) legamus. Regu-

k) e. g. יהודה, nec non קהלת.


l) e. g. a radice נוח, מנוחה, a נור, מנורה ab אור, מְאוֹרָה. Ad eandem ergo formam reducimus vocem noſtram, cui hic Cholem adſcribendum eſſe, unicum (ו) quod eſt movendum, exigit. Si duplex (ו) exſcriptum eſſet, tunc ambiguum foret, quænam vocalis eligenda eſſet.

m) Vid. Algem. Welth. tom. 2. §. 408. p. 379.


Regulis modo grammatices, atque analogiæ linguæ ſanctæ inhæreamus, quæ omnino veram nos docet pronunciationem. Non alia itaque vox ſecundam analogiam & regulas admittit puncta; habet ergo genuina, ſibi propria, non aliena & mutuo ſumta; quemadmodum מְנוֹרָה, מְנוּחָה, מְאוֹרָה puncta propria habet.

§. X.

Exinde quod in ſacro codice, & quidem in libris poſteriori tempore V. T. ſcriptis nomen *Jehovah* rariſſime, & in libro *Danielis* & *Eſther* plane non occurrat; non recens natum eſſe Judæorum præjudicium, hoc nomen pronunciare nemini licere, ſit vero ſimillimum. Fortaſſis Judæi, cum nunquam hoc nomen pronunciatum audirent, ſibi imaginati ſunt, genuina puncta eſſe deperdita: quo facto genuina pro ſuppoſitis habuere, multosque ſecum in errorem deducentes, lites hodie non compoſitas excitarunt.



IV.



IV.

M. IOACH. HENR. OSTERMEIER
V.D.M. in Ecclef. Travemund.

Obſervationum Sacrarum biga,

quarum prima
in ſignificationem dictionis זרוע יהוה
Ieſ. LI, 9. inquirit;
Secunda
Doxologiam Petrinam 1 Pet. I, 3.
illuſtrat.

Promiſſi noſtri memores 1) id agemus, ut in veram ſignificationem dictionis זרוע יהוה *Brachii Jehovae*, quae in illuſtri loco prophetico Ieſ. LI.. 9. extat, inquiramus. Quo rectius vero partibus noſtris fungamur, integrum comma ex interpretatione VITRINGAE hic repetere placet: *Excitare, excitare, indue robur, Brachium Jehovae! Excitare ut diebus priſcis; generationibus ſaeculorum! Nonne tu illud es, quod concidit Ægyptum; lethaliter vulneravit Draconem.* Conſtituit effatum hocce prophe- ticum

F

ticum partem orationis Ecclesiae e Judæis & gentibus collectae, qvae crudelitate hostium Christiani nominis misere afflicta erat 2). Etsi vero doctissimus & sagacissimus interpres VITRINGA existimet, hanc orationem videri ad Patrem directam esse; connexioni tamen orationis propheticae magis convenire censemus, secundam Trinitatis personam hisce proxime invocari precibus, qvae Cap. LI. 9. 10. 11. continentur. Cum enim (quod non diffitetur VITRINGA & res ipsa clare docet) praecedente pericopa a v. 1. ad 8. tradatur sermo Filii Dei consolatorius ad recens ex Judaica gente conversos, varii generis aerumnis ab Evangelii contemtoribus pressos, quos hoc quoque argumento consolatus erat, quod *brachia ejus populos judicatura essent* v. 5: Apostrophe haec prophetica immediate sequens, qva spirituales filii Abrahami (Ecclesia scilicet ex Judaeis & Gentibus collecta) praesidium divinum exorantes introducuntur, aptissime ad Messiam, Redemtorem, sedentem ad dextram Patris, Ecclesiae suae Regem, qvi eam ab hostium insultibus stupenda prorsus ac imperscrutabili providentia tuetur, proxime dirigitur. Accedit, quod iisdem verbis Ecclesia mentionem admirandorum & praeclarissimorum facinorum injiciat in vindicando populo Israelitico ex servitute Aegyptiac

ptiaca olim editorum v. 9. 10. qvorum auctorem se diserte appellat Angelus Jehovae, Filius Dei, qui cum Mose ex rubo ardente collocutus est Ex. III. 20. 3.) Quoniam proinde preces Ecclesiae ad *brachium Jehovae* ceu personam vertuntur, illudqve in tota Ecclesiae oratione adorationis objectum statuitur, hac phrasi non tantum divinum attributum Omnipotentiae, sed proxime etiam personam Filii Dei indicari arbitramur. In qua sententia confirmamur, qvia Ecclesia a modo loqvendi non deflectit, verum quod probe notandum est, genus etiam ad *Brachii* vocem accommodatur: הלוא את־היא המחצבת רהב *Nonne Tu illud es, quod concidit Ægyptum*, & versu seqv. הלוא את־היא המחרבת ים *Nonne tu illud es, quod exsiccavit mare.* Licet autem summus interpres VITRINGA fateatur, hanc interpretationem, qva phrasin *brachii Jehovae* περιφρασιν Filii Dei esse hoc loco asserimus, nihil alieni habere a natura ipsius rei; tres tamen rationes profert, qvibus se impeditum esse dicit, qvo minus illam suam fecerit. Objicit I. *Hasce Ecclesiae preces videri ad Patrem fusas esse.* Hanc autem objectionem supra occupavimus, dum idoneis rationibus docuimus, longe rectius asseri, illas ad Filium Dei, secundam augustissimae Triados personam dirigi. Vrget II. *se non potuisse*

obſervare, ubi loca Prophetae aliorumque ſanctorum ſcriptorum, in qvibus Brachii, Dextrae aut Manus Jehovae mentio fit, inter ſe contulerit, illos huc directe reſpexiſſe. Ultro equidem largior, notionem *Brachii Jehovae* & in vaticiniis Jeſaiae & aliis ſcripturae locis ſaepiſſime pro attributo Dei capiendam eſſe; non tamen inde conficitur, hoc loco etiam tantum attributum divinum indicari, cum juſtae rationes aliud ſuadeant. Exemplo nobis ſit vox δυναμις, quae frequenter de Deo in N. T. tabulis praedicatur, & quam ſaepiſſime divinam potentiam, virtutem Chriſti in miraculis conſpicuam, & efficaciam Spiritus S. notat 4): nihilominus VITRINGA non diffitetur, illam Luc. I. 35. ſimul eſſe deſcriptionem Filii Dei 5). Inſtat III, *Filium Dei v. 5. hujus capitis ſibi tribuere Brachium, & de ipſo Cap. XL. 5. dictum eſſe: brachium ejus dominabitur.* Verum quae hic obvertuntur, ad notionem δυναμις etiam applicari poſſunt. Quem enim fugit, illam ſaepe potentiam Chriſti indicare? Conferantur modo loca Marc. V. 30. Luc. IV. 36. Luc. IX. 1. Luc. XXI. 27. Apoc. VII. 12. Sed hiſce non obſtantibus eadem vox etiam ſecundum περιςασιν textus ſacri Luc. I. 35. 1 Cor. I, 24. eſt deſcriptio Filii Dei. Haec enim translatarum notionum indoles eſt, ut pro re nata angu-

angustiori & latiori significatione gaudeant.

1) Vid. Differt. nostram ad Jes. LIII. 1. Vol. III. Biblioth. Nov. Lub. insertam §. XV. p. 87.

2) Praeclare hoc docet VITRINGA Tom. II. Comment. in Ies. p. 626.

3) Conf. elegantissima Disp. cel. I. H. MICHAELIS de Angelo Jehovae p. 12 sqq.

4) Vid. RAVANELLI Biblioth. S. voc. Virtus, & ER. SCHMIDII Concordant. N. T. voc. δυναμις.

5) Vid. Observ. S. L. I. p. 145.

OBSERVATIO II,

qua

Doxologia Petrina 1 Pet. I. 3. illustratur.

§. I.

Divus Apostolus divini Regenerationis beneficii fidelibus collati mentionem facturus 1 Pet. I, 3. a laude Dei exordium ducit: Ευλογητος ὁ Θεος και πατηρ τȣ κυριȣ ἡμων Ιησȣ Χριςȣ: *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* Utitur autem δοξολογια Paulo familiari, conf. 1 Cor. 1. 3. Eph I. 4. Quapropter observandus hic est elegantissimus Petri & Pauli in modis quoque loquendi consensus, quorum harmoniam ratione fatorum & gestorum erudite expendit max. rev. SCHARBAV 1.) Δοξολογιας hujus originem ab Hebræis repetendam esse, multa Hebræi codicis loca

cum interpretatione graeca των ό collata comprobant. Exempli loco esse possunt Eliezeris, Oeconomi Abrahami, verba Gen. XXIV. 27. ברוך יהוה אלהי אדני אברהם, quae verba in laudata interpretatione graeca hunc in modum translata sunt: Ευλογητος κυριος ό θεος τȣ κυριȣ μȣ Αβρααμ. Quibus adjungamus verba Danielis Cap. II. 20. chaldaico idiomate consignata: להוא שמה די - אלהא מברך qvae sic translata leguntur: ειη το ονομα τȣ θεȣ ευλογημενον. Inspiciantur denique sequentia loca Gen. IX. 26. Cap. XIV. 20. Exod. XVIII. 10. Ruth. IV. 14. Ps. LXVI. 20. Ps. LXVIII. 36. Ps. LXXXIX. 53. Cum igitur satis superque hinc constet, usitatissimam hanc esse Hebraeorum δοξολογιαν, qua tum in votis, tum gratiarum actionibus ad Deum directis uti solent, nullum plane dubium est, qvin ex hac consuetudine N. T. scriptores respondentem huic formulam ευλογητος ό θεος adhibeant. Nec hoc praetermittendum est, in hoc loco Petrino εςω subintelligendum esse, quod recte observarunt interpretes: b. LVTHERVS, BEZA, ER. SCHMIDIVS, Gallus, Genevensis & Anglus, a quibus tantum Vulgatus diversus est. Quibus addimus, nec profanis scriptoribus Graecis hanc ellipsin verbi substantivi ignotam esse, quorum loca LAMBERTVS BOS protulit 2).

Quo

Qvod particulam *καὶ* attinet, qva Apoſtolus hic utitur, obſervamus cum b. GERHARDO 3), illam hoc loco declarative ſeu ἐξηγητικῶς accipiendam eſſe, qvae ſignificatio & multorum exemplorum inductione a laudato Theologo confirmatur, & effato huic Petrino convenientiſſima eſt. Antiquiſſimum ſane Interpretem Syrum declarative particulam *καὶ* intellexiſſe hinc probatur, qvod illa plane omiſſa ſic haec verba transtulerit: מברכו אלהא אבוהי דמרן ישוע משיחא *Benedictus eſto Deus Pater Domini noſtri Jeſchua Chriſti.*

1) Obſerv. S. p. 86 ſqq.
2) Vid. Tractat. de Ellipſ. Graec. L. p. 297. ex ed. b. SCHOETGEN.
3) Comment. in 1 Epiſt. Petr. p. 45.

§. II.

Dum celebrat Apoſtolus Deum, qvi eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, verum Deum non modo a fictis & commentitiis Numinibus diſtinguit, ſed maxime eum quoque in finem hoc loquendi modo utitur, ut & Judaei & Gentiles recens Chriſti doctrinae addicti 1) in fide Chriſtiana magis corroborarentur. Edocet nos Scriptura S. fideles tempore V. T. Deum verum nomine *Dei Abrahami*, *Iſaaci & Iacobi* celebrare ſolitos eſſe. Conferantur hic ſpeciminis loco ſequentia SS. oracula: Geneſ.

XXIV. 12. 27. 1 Reg. XVIII. 36. 1 Chron. XXIX. 18. 2 Chron. XXX. 6. Hujus autem δοξολογιας auctorem ipsum Deum venerabantur, qvi semet ipsum Deum Abrahami. Isaaci & Iacobi appellaverat. Ex. III. 6. Verba haec summi Numinis, qvibus Mosen alloqvitur: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Iacobi* foederalia esse, foedusque, quod Deo cum dictis Patriarchis intercesserit, respicere, praeclare observavit b. GERHARDVS. Sed in hoc foedere illud praecipuum erat, quod in semine promisso Abrahami benedicendum fuerit omnibus familiis terrae Genes. XXII. 18. Jam vero interprete Paulo Apostolo Gal. III. 16. semen hoc promissum Christus est, ac benedici in semine isto nihil aliud infert, quam justificari per fidem in Christum, ac bonorum, qvae justificationem consequuntur, fieri participem z). Ex quibus luculenter colligimus, hanc phrasin, qua Deus appellatur Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, imprimis ad Messiam ex illorum posteris oriundum, ejusque benedictionem ad spiritualem ac aeternam hominum felicitatem promovendam directam, respicere. Immo hoc consilio Petrus Apostolus Act. III. 13. Deum nominat Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi in oratione ad Judaeos, miraculum ab ipso editum stupentes, habita. Hoc nempe lo-

loquendi modo, qui Judaeis notisſimus erat, & ampliſſima promiſſa divina Patribus ipſorum vi foederis facta iis in memoriam revocat, quorum primarium erat promiſſum illud de Meſſia ejusque larga beneficiorum copia, & ſimul aſſerit, eundem ſe praedicare Deum, qui a Patriarchis, nobiliſſimis illis & aeternum memorandis fidei heroibus, eorumque poſteris cultus erat. Ex quibus Judaei perſpicere poterant, doctrinam Chriſti, cultumque ipſi exhibendum, cujus praeconem agebat, cultui Dei Abrahami minime adverſari, quae pervulgata incredulae Judaeorum turbae calumnia erat, ſed auctoritate & mandato Dei Abrahami, utpote qui *πατρωος θεος* erat Act. XXIV. 14, niti. In locum igitur uſitatiſſimae hujus apud fideles V. T. doxologiae Scriptores ſacri N. T. impulſu Spiritus S. hoc memoratu digniſſimum axioma ſubſtituere, quo Deum, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrant, ut operis redemtionis per Chriſtum jam conſummati perennis in Eccleſia memoria extaret. Obſervamus ſanctisſimum Apoſtolum in loco noſtro *δοξολογιαν* ſuam ad primam SS. Trinitatis perſonam vertere. Haec tamen celebratio primae perſonae minime fit *excluſive*, quaſi ſcilicet extra & citra reliquas celebretur, quod alienum a S. ſacrae effatis iisque adverſum eſt (Qui enim *non honorat*

 Filium,

Filium, non honorat Patrem Io. V. 23.); imo in admirandam illam nec ad rationis decempedam dimetiendam personarum περιχώρησιν injurium est 3), qua una Persona est in alia, Pater in Filio Io. XVII. 21. 4). Est igitur celebratio Petrina primae SS. Trinitatis personae, salva tamen personarum ad se invicem relatione, *inclusive* intelligenda, cum eadem numero essentia Patris, Filii, & Spiritus S. eademque numero majestas sit. Quamvis igitur Apostolus hic solum expressis verbis ad Patrem, a relatione τρόπου ὑπάρξεως ad secundam Personam denominatum celebrationem dirigat, non tamen citra & extra reliquas SS. Trinitatis, Filium & Spiritum S., patrem celebrasse censendus est 5). Vt vero divinam gratiam in Salvatore Optimo Maximo mortalibus exhibitam eo magis illorum animis commendet, qui nuper Christianae civitati adscripti erant, Deum appellat *Deum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi. Descriptio haec est,* utimur verbis b. GERHARDI, *unius veri Dei, qui in verbo suo sese sic revelavit, quod sit Pater Domini nostri Jesu Christi i. e. quod in una & indivisa Deitatis essentia sint tres distinctae personae, Pater, qui ab aeterno genuit Filium imaginem suam substantialem, Filius, qui ab aeterno a Patre genitus in temporis plenitudine assumsit humanam naturam, in que ea opus redemtionis perficiendo factus est peculiari ratione*

tione noster Dominus; & Spiritus S., qui beneficia Christi merito parta in verbo Evangelii nobis offert atque applicat, ad quem vocula ἀναγεννήσας Apostolus respicit, quia regeneratio peculiariter tribuitur Spiritui S. Joh. III. 5. Tit. III. 5. 6) Κυρίυ proinde nomen (cujus etymologiam usumque egregie declarant b. Erasm. Schmidius in 1 Tim. VI, 15. & b. I. C. Dietericus in Antiqu. bibl. N. T. ad voc. κυριος), quo Christus hic ab Apostolo insignitur, dominium illud imprimis respicit, quod in homines vi officii mediatorii, & redemtionis operis ab eo peracti exercet, cujusque salutaris cognitio & fruitio solis fidelibus vindicanda est. Conf. Ioh. XX. 28. 1 Cor. XII. 3. Rom. XIV. 8. 9. 2 Cor. IV. 5. Κυρίυ praeterea vox, qua Messias salutatur, Hebræorum consuetudini vetustissimae convenit, quippe qui in Scriptura S. ceu Rex & Dominus Israelis describitur Ps. XLV., 12. Luc. I. 33, ac Mich. V. 1. מושל appellatur.

1) Idoneis scilicet rationibus adducimur, ut non tantum ad Ex-Iudaeos sed ad Ex-Gentiles quoque hanc epistolam Petrinam exaratam esse existimemus, quas hic recensere a nostro instituto alienum est, maxime cum haec ab aliis jam occupata sint. Conf. b. CALOV. Bibl. illustr. ad 1 Petr. I. & eruditus Anonymus, qui scite hoc argumentum excussit Vol. X. Biblioth. Lubec. p. 263. quibus add. b. WOLFII Curae Philol. Crit. ad h. l.

2) Vid. GERHARDI Harmon. Cap. CLV. p. m. 329.

m. 329., & qui ſcite b. Gerhardi veſtigia preſſit, ejusque meditationes uberius exornavit b. GOD. OLEARIVS Obſerv. S. in Matthæum p. 613. ed. rec.

3) Pulcherrimam περιχωρησεως Perſonarum SS. Trinitatis deſcriptionem apud DAMASCENUM in ejusdem Opere de orthodoxa fide L. I. Cap. XIX. p. 62. edit. Baſil. legas, quam hic repetere placet: ἡ ἐν ἀλληλαις τῶν ὑποστασεων μονη τε και ἱδρυσις. ἀδιαστατοι γαρ αὐται και ἀνεκφοιτητοι ἀλληλων εἰσιν, ἀσυγχυτον ἐχουσαι την ἐν ἀλληλαις περιχωρησιν. οὐχ ὡστε συναλειφεσθαι, ἠ συγχεισθαι ἀλλ' ὡστε ἐχεσθαι ἀλληλων. υἱος γαρ ἐν πατρι και πνευματι, και πνευμα ἐν πατρι και υἱῳ, και πατηρ ἐν υἱῳ και πνευματι μηδε μιας γινομενης, συναλοφης ἠ συμφυρσεως ἠ συγχυσεως. h. e. *Immanentia & ſtabilitas hypoſtaſeon invicem eſt. Nam ipſae inſeparatae & inabſcedentes ſunt ab invicem, inconfuſam habentes invicem circuitionem: non quod commiſceantur, aut confundantur, ſed quod invicem inhabitentur. Nam Filius in Patre & Spiritu, & Spiritus in Patre & Filio, & Pater in Filio & Spiritu, nulla quidem facta contractione, commixtione aut confuſione.*

4) Vid. nervoſam hujus dicti Johannaei explicationem ejusque Vindicias apud b. WILH. LYSER. Diſput. Exeg. in Cap. XVII. Evang. Ioh. §. LVI. LVII.

5) Vid. quae ſolidisſime Coryphæus ille Theologorum puriora ſacra amantium b. LVTHERVS in eximio Tractatu de ultimis verbis Davidis Tom. III. ed. Hallenſ. p. 2859. & quae

ex

ex Luthero repetit b. MART. CHEMNITIVS L. L. CC. de tribus perſonis p. m. 39, quibus add. Diſput. V. de Oratione religioſa T. VIII. Diſput. Giſſenſ. & b. ZACHAR. GRAPII Theol. recens Controverſa Cap. II. de Myſterio Trin. Quaeſt. XXV. p. 178 ſqq.

6) Vid. b. GERHARDI Comment. in 1 Epiſt. Petr. p. 44.

§. III.

Doxologia proinde ſua divus Apoſtolus, qua Deum, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, celebrat, inſignem illam nec unquam digne ſatis aeſtimandam Numinis gratiam, ex redemtione per Ieſum Chriſtum facta elucentem, fidelibus conſiderandam mentique penitus infigendam proponit. Haec nimirum eſt gratia, quam ceu *υπερβαλλοντα πλȢτον της χαριτος* merito praedicat S. Paulus Eph. II. 7. qua foederis gratiae fundamentum, & Oeconomia Perſonarum auguſtisſimae Triados in beando & ad perennem ſalutem perducendo peccatore occupatarum revelatur. Haec denique illa gratia eſt, ex qua infinitae Numinis perfectiones manifeſtantur, ejusque Benignitas, Miſericordia, *φιλανθρωπια*, Sapientia, Potentia, Iuſtitia ac adeo divinarum virtutum cumulus Deique gloria clarisſime relucet, & retecta facie quaſi in ſpeculo conſpicitur 2 Cor. III. 18. Et haec ſane *δοξολογια* ſanctisſimi Apoſtoli Petri fini,

fini, qui ſibi propoſitus eſt, quemque in hac tota Epiſtola intuetur, maxime conveniens eſt. Nam eo deſtinantur omnia, quaecunque in litteris hiſce ab Apoſtolo proferuntur & inculcantur, ut recens converſos in fide confirmet, & teſtificetur doctrinam Evangelii de gratia perChriſtum,quam receperant, quam profitebantur, &in qua ſtabant, invictae & plane divinae veritatis eſſe; eosque hortetur, ut ſanctitati operam dent, vitam gloria divina ex Oeconomia gratiae relucente dignam agant, cognitamque veritatem evangelicam moribus integerrimis exprimant. Hunc certe ſcopum ſibi praefixum habere divinum epiſtolae hujus, Spiritus S. impulſu exaratae, ſcriptorem, unicuique,qui illam haud perfunctoria opera ſcrutatur, in propatulo erit. Accedit, quod Apoſtolus ipſe aperiat, huc omnia, quae in hiſce litteris proponit, ſpectare 1 Petr. I. 12. Cap. V. 12. Quapropter ſub initium ἐργασιας Epiſtolae ſuae opportune Deum, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, celebrat, ut fideles erudiat, non aliter niſi in Chriſto, qui eſt *imago Dei* 2 Cor. IV. 4. Deum cognoſcendum eſſe,nec alium cultum ipſi placere, niſi qui in nomine Ieſu Chriſti exhibetur Rom. XIV. 18. Ioh. V. 22. Phil. II. 9. 11. coll. Ieſ. XLV. 2.



V.

V.

Selectorum epistolicorum Fechtianorum

Specimen alterum.

VIII.

Quum vero de Pietismi nostri progressu praecipue erudiri desideres, id Tibi primum in mentem reuocato, distinguere me ante omnia solere inter *Pietismum vulgarem*, quem non ignorabis potissimum vigere in Marchionatu Brandenburgico, Academia Halensi & Giessensi. Quae horum sit doctrina, ignotum Tibi non est. Chiliasmi illius sancti (ita scortum vulgo virginis nomine insignimus) sunt professores. Böhmii scripta commendant. Revelationes immediatas etiam in rebus fidei non reiiciunt. Haec deliria voco Fanatica. Dein in quibusdam controversiis, utpote de usu philosophiae, Theologiae Polemicae (quae duo fere universim reprobant) de notitia rerum divinarum in solis regenitis vera, in irregenitis falsa, de imbroborum ministrorum ministerio prorsus inefficaci, de libro-

librorum symbolicorum nimia, ut putant, aestimatione, de Ecclesiae nostrae corruptione & confusione Babelica, de separatione a corruptis Ecclesiae partibus instituenda, de adiaphororum, quotquot fere in communi vita ita dicuntur, illicito usu & similibus a reliquis Theologis discedunt.

Alteram Pietistarum sectam *Hyperpietistas* voco, Scaligeri, ut nosti, in Poëticis exemplo. Hi vero iterum in duas dispesci possunt partes. Quidam in non nullis tantum rectius quam caeteri omnes sapere volunt, utpote SCHADIUS in argumento de Confessione & absolutione, quam simpliciter tanquam inventum humanum improbat, (simile quid nuper M. Carolus noster Osnabrugii tentavit, sed suspensus e vestigio ab officio, ipse quoque poenitentia ductus, cum reliquo ministerio reconciliatus est) nonnulli de adiaphoris, qui ne quidem ut rideat quocunque casu homo, vel prodeambulet, concedere volunt. Alii vero totam religionem nostram reformant, neque ullum ei articulum, prout ille in ecclesia hactenus nostra tractatus est, illaesum relinqunt. Libros symbolicos & omnes docendi formas tanquam conscientiarum tyrannidem reprobant. Multo magis Theologiam sive Systematicam sive Polemicam, sive quamcunque aliam in ordinem

nem redactam. Ministerio inprimis nostro infensi, quod tanquam diabolicum & Antichristianum exagitant. Talis in Hassia quidam DIPPELIVS est, pro numine a suis, quanquam nondum annum XXVI excesserit, habitus. Progressus ex disciplina Giessensi conventus privatos cogit, fugiendam esse societatem cum Ecclesiis nostris, tanquam cum Babylone, dictitans. Idem plane fecit grandi in folio libro, eoque duplici, GODOFR. ARNOLDVS, brevi tempore Professor Historiarum Giessensis, quod officium ultro deseruit, quia in corruptissimo Academiarum statu Christum imitari non possit & obligatus sit ad certas formas & horas; cum tamen spiritus spiret, vbi vult, neque sit certis locis temporibusque alligatus. Sunt hi duo grandes libri directe toti Lutheranismo nostro oppositi, quanquam Lutheranus nihilominus velit audire auctor. Eum præivit in libertinismo propugnando (qui in eo consistit, ut dicant, scripturae simpliciter inhærendum, credendi libertatem omnibus concedendam, dummodo pietatem colant, philosophiam omnem & disputationes ex orbe eliminandas) THOMASIVS eiusque hyperaspistes L. BRENNEYSENIVS, de quibus forte Tibi adhuc aliquid in memoria haeret. Magni aestimatur Arnoldi liber, a politicis inprimis,

G qui-

quibus placet illa ἀδιαφορία, invisa e contra est Theologorum Academicorum rixandi libido. Ita contentionibus nostris effecimus, ut jam potentiores libentissime in alterum extremum discedant, nec controversias tantum, sed omnes credendi formas, articulos fidei, confessiones, orthodoxias (haec vocabula Hyperpietistis mera ludibria facta sunt, orthodoxum vocant, quem convitiari volunt.) rideant & eliminent. Improbantur quidem Arnoldus & Thomasius a moderatioribus Pietistis, inprimis Dn. D. Spenero, sed tamen contra eos non scribitur ab ipsis, imo laudant, quod Theologorum vitia ubique tam graphice descripserit. Generalem elenchum in Arnoldi Historiam Haereticam, perquam solidum scripsit, quatuordecim plagulis constantem, novellus quidam Professor Helmæstadiensis, sed perquam eruditus, Dn. Cyprianus. Scripsit & contra ipsum D. Hannekenius, sed disputationem tantum, argumentum potissimum de νοθεία Dionysii Areopagitae complectentem. Quid alii facturi sint, dies docebit. Ego præsenti æstate privatim lego in A. C. publice in F. C. Primo capite grande Arnoldi caput, quo in Libros Symbolicos omnes invehitur, hactenus fuse examinavi, ostendens technas, fraudes, intestabilem malitiam, versutiam Arnoldi in pingen-

gendis mendaciis ſuis & reliqua, quibus orbem ſeducit. Vivit Quedlinburgi privatus, neque Eccleſiam neque communionem ullam frequentat. Execratur ſemetipſum, quod aliquando deceptus opinione illa, quod vocationes externæ ſint Divinæ, ProfeſſioniGieſſenſi profanae ſeſe addixiſſet. Non ita inſaniviſſe Paulum, ut ſe pateretur conſtitui Profeſſorem Athenienſem, & tamen, hoc non obſtante, praedicaſſe in plateis Athenienſibus & Profeſſores ejus loci pro merito caſtigaſſe. Ita & ſe diviniore interna vocatione Gieſſa retractum, tam ſtultum non futurum eſſe, ut iterum ſe patiatur conſtitui alicujus Academiae Profeſſorem; interea ſe per ſcripta ſua in plateis hujus mundi omnes Academicos doctores inclamaturum eſſe & ipſorum malitiam omnibus detecturum. A Pietiſtis & Quackeris tantæ ipſi adfluunt facultates, ut & abundantiſſime vivat & innumeris libris inſtructam habeat Bibliothecam. Ejusmodi homines, vel portenta potius hominum, in Marchia & tolerantur & foventur. Quotquot alibi ob Fanaticiſmum & Indifferentiſmum ejiciuntur, tutum ibi inveniunt refugium.

Lipſiæ uno anno deceſſerunt Moebius, Lehmannus, Carpzovius, Alberti. Unus remanſit in facultate Theologi-

ca OLEARIVS, Pietiſtis ſemper addictus, cuius gener, D. ANTONIVS, Prof. Theol. Halenſis his novitatibus jam diu deditus fuit, quem deſerere non potuit Olearius. In Aula Regis Polon. principem miniſtrum agit BEVCHLINGIVS, Conſiſtorii ſimul ſupremi Director, D. SPENERO amiciſſimus. Totus igitur aulae favor in Pietiſtas protegendos, introducendos, defendendos propendet. Quare aliquot abhinc menſibus D. RECHENBERGIVS, Hiſtoricus, Profeſſor Theologiae primarius conſtitutus eſt. Hic igitur & OLEARIVS Pietiſtarum principiis patrocinium ubique præbent. Vide, quam ſit mutatus huius Academiae ſtatus! Solus ITTIGIVS, qui ſimul Superintendens eſt, ingenuus eſt, novitatibus contradicit, puritatem, quantum in ſe eſt, conſervat, magnam ideo ab illis patiens perſecutionem, graviſſimas enim ei lites jam in aula intentarunt. Quartus ordinarius Profeſſor D. SEELIGMANNVS eſt, vir equidem optimus, ſed timidior. Extraordinarii Profeſſores ſunt D. SCHMIDIVS & D. CYPRIANVS. Ita bona illa Academia in periculoſo miſeroque eſt ſtatu.

Fuit Soraviæ, in Luſatia, quidam Eccleſiæ diaconus BOESIVS, mali ominis nomen, qui ſcripſit libellum, cui indidit titulum: de peremptorio ſalutis humanæ termino. In quo

quo ex D. Spenero defendit, cuilibet homini hac in vita certum propositum esse a Deo terminum, quo gratiam ei peccatorum facere velit, quo praeterlapso, si plurimos adhuc annos vivat homo, & gratiam divinam quantum in se est, enixissime quaerat, tamen converti non possit, quia Deus eum non velit, detracta ei gratia et excoecato induratoque homine, convertere. Misit libellum istum superiori anno ad nos Consistorium Lubbense & consilium de eo nostrum requisivit. Respondimus, videri quidem e Theologis nostris nonnullos ab hac doctrina non fuisse alienos, sed nobis tamen probari sententiam contrariam, quae docet, gratiae januam, quousque vivit homo, esse apertam, Deumque, quantum in se est, omnes semper revocare, idque serio & ex animi sui sententia. Allegavimus universalitatem ubique praedicatam; adeoque a gratia neminem hominum, si centies labatur, excludentem. Repræsentavimus, ex particularitate & termino hoc peremtorio omnia ea sequi absurda, quae Calvinianorum absoluto decreto obiectemus. Imprimis ministerii operam erga homines, terminum prætergressos, fore evanidam & nihil talibus, nisi voluntatem signi prædicantem, cum intentio Dei non sit, ut illi convertantur, quos tamen Dei nomine ad conversionem invitent Pastores. Fuse ego

hanc materiam Decanus pertractavi. Boesius, cui communicatum a Comite suo fuerat hoc responsum, cognito, Lipsiensem Facultatem tum temporis tribus tantum constare membris, quorum duo novitatibus faverent, adiit Facultatem, eique obtulit *Apologiam* contra Rostochienses, sua censura approbandam. Approbarunt duo isti, contradixit Ittigius. Comes igitur Responsum Facultatis ex pluralitate, ut vocant, votorum confectum, Wittebergam misit, ubi Theologi Lipsiensium censuram prolixe refutarunt. Haec omnia autem scripto tantum acta sunt. D. Neumannus tamen, arrepto calamo, primus peremtorium istum terminum peculiari disputatione refutavit. Cumque eandem cumprimis D. Spenero opposuisset, D. Rechenbergius huius gener, contraria disputatione terminum adstruxit & deinde edito Germanico tractatu amplius eundem confirmavit. Ittigius terminum illum pro concione publice refellit. Unde accusatus in Protosynedrio caussam nunc suam agit. Sententia citra dubium pro pietistis feretur, horum enim favor in aula regnat. Interea & D. Schelgvigius contra terminum istum fatalem scripsit, &, si Apologia Boesiana, ut fama fert, lucem adspexit, & nobis quoque hic nostra vindicanda erunt. Ita ex parvo hoc igne grande incendium

genatum

enatum eſt. Ubique nunc, etiam adeo in privatorum domibus, de hoc termino in tota fere Germania diſſeritur, diverſam quolibet pro affectu ſuo defendente opinionem.

Iidem Lipſienſes, MITHOBIO cuidam, Hadelenſi Chiliaſtæ, ipſorum reſponſum, Oleario adhuc ſolo in Facultate exiſtente, requirenti reſponderunt: Chiliaſmum Peterſenii ſubtilem, rem mere problematicam eſſe, poſſe in utramque partem diſputari. In A. C. nonniſi craſſum illum Münzerianum prohiberi. Ut adeo ubique contra omnium anteceſſorum ſuorum exemplum cum novatoribus ſe facere velle, aperte prodant. In academia Ienenſi obiit & D. VELTHEMIVS, ſolo adhuc ibi ex Theologis ſuperſtite D. BECHMANNO, emerito. Ajunt locum ſecundum occupaturum eſſe D. HEBENSTREITIVM. Eſt &, qui æternum evangelium, antequam hinc abires, edituum, terminationem infernalium cruciatuum & dæmonum ſalvationem defendens, noviſſime incruſtavit. Vocat ſe GEORGIVM PAVLVM SIGVOLCK. Quod vocabulum ex graeco Nicolao factum eſt. Anonymum illum refutavit in diſp. ſua inaugurali ſub meo præſidio Dn. GRAPIVS, qui Metaphyſices hic Profeſſor & Archidiaconus Iacobæus conſtitutus, cum

Dn. D. Qvistorpii filia natu majore nuptias celebravit. Eundem anonymum germanicis tractatibus refutarunt L. Wolfius & qvidam Wernervs. - - -

Ex novatoribus nonnemo, edito cum approbatione Theologorum Lipsiensium libello, docere volebat, ad morem Christi s. coenam semel tantum in anno, & die quidem viridium, nec nisi communicante tota ecclesia, administrandam esse & sumendam, panem item esse frangendum. Hunc disputatione elegantissima refellit D. Ittigivs. Veielii Frater, Albertvs, Tubingæ Theologiæ Doctor, prævia *de indulgentiis* disputatione, creatus est.

In Academia Iulia vivit adhuc senex Calixtvs, & cum ipso Professorum in Theologia munia obeunt D. Fabricivs, D. Schmidivs & Widebvrgivs. Continuavit D. Schmidivs *Centurias Magdeburgenses*, cui fini edidit epistolam, consilium suum indicantem. Ferreae industriæ hic vir est & infinitæ in historiis scientiæ, sed proponendi modus nonnunquam paulo obscurior & difficilior. Non puto, qvemqvam unqvam, post Calixtvm & olim Chemnitivm, cum Ittigio nostro hoc in studii genere paria fecisse, sive quod vastam antiquitatis cognitionem, sive sole clariorem & longe jucundissimum pro-

proponendi modum concernit. Nihil ille ignorat eorum scriptorum, quæ sive in Germania nostra, sive in Gallia, Anglia aut Italia, lucem unquam adspexerunt. Nec tamen ideo in reliquis eruditionis partibus quicquam ipsi deest. Disputavit pro loco ad 1 Petri IV. 6. ubi diligentia, sive in colligendis ex omni Ecclesiæ ætate sententiis, sive iisdem dijudicandis, plane stupenda est. In nostra equidem ecclesia vix parem huic viro habemus. Inhibitum quidem est Regio mandato, ne quicquam amplius sive contra D. SPENERVM scribatur, sive contra D. THOMASIVM, sed mos huic edicto non geritur. Vocatus fuerat D. SAM. BENED. CARPZOVIVS Lubecam, ad capessendum Superintendentis officium, sed dimitti a Regina & provinciæ statibus non potuit. Spes quidem fuerat, pro puriore Ecclesiæ nostræ doctrina eo in loco ab illo aliquid momenti adferri posse, sed jam pars adversa, aulæ favore nitens, tantum obtinet roboris, ut parum ille habeat virium, & id plerumque decernatur, quod ipsi adversum esse reliqui non ignorant. In Academia Giessena dominium agitat D. BILEFELDIVS & post hunc D. MAJVS. Adsciverunt tertium, D. GERHARDVM, Iohannis N. Io. Ernesti F., quem quia non omnibus suis novitatibus adstipulantem deprehendunt, infesto odio prosequuntur.

In academia quoque Rintelensi novus est Theologiæ Professor, D. KISKERUS, qui, more hactenus fere desueto Lutheranis, disputationibus defendere veritatem incipit. - - - Rostochii d. 15 Aug. 1700.

Viro maxime reverendo, amplissimo, præcellentissimo Dn. M. *Gustavo Schrödtero*, illustriss. Legationi Régiæ Daniæ a Concionibus, Domino & in Christo Fratri honoratissimo.

Madriti.

IX.

Relatum jam a Parente Tuo, antequam epistolam Tuam accepissem, mihi fuit, transtulisse potentissimum Regem Tuum ministerium, quod in Hispania hactenus obiisti, in Galliam. Non potui improbare Parentis Tui consilium, a Rege id ipsum petendi, partim quod me certum redderet, valetudinem Tibi Madriti ex climatis, ut persuasus erat, indole, fere adversam fuisse, quam sperabat Parisiis magis Tibi fore propitiam, partim quod ego ex epistolis Tuis cognoveram, eum esse in re literaria & Theologia hodie in Hispania statum, ut non accedere Tibi tantum nihil olim profuturae in sacris scientiæ posset, sed & metus esset, ne detererentur, quas olim collegisti,

gisti, pulcerrimæ eruditionis dotes. Cumque Te ad solidiorem rerum Theologicarum notitiam, non parum fructus Ecclesiæ olim nostræ adlaturam, ex familiari quondam Tecum conversatione, natum factumque esse non ignorarem, quomodo peccare possunt, qui inditum Tibi a Deo hunc impetum provehere eo annituntur, ubi eundem explicandi optatissima offertur occasio. Quæ nullibi hodie quam in Gallia major est. Vocationes nostræ mediatæ sunt, nec ideo illicitum est, iis, qui vocandi jus habent, subministrare argumenta, animum vocandi eo inclinandi, quo majori aliquando Ecclesiæ emolumento fundamentum poni possit. Tibi vero sufficiet Regis Tui voluntas, cujus arcana rimari non debes; inprimis vero sequendus est Divinæ providentiæ digitus, qui rectius nobismet ipsis novit, quid vel nobis conducat vel Ecclesiæ. Successorem Tibi nominatum esse ne dubitari quidem potest, cum status regii intersit, ne Legationes iis careant, qui ipsis sunt a sacris. Itaque Deum, qui suam Tibi hoc pacto voluntatem significavit, ex toto pectore veneror, ut & iter Tibi largiatur ex voto secundum, & labores item Tuos curasque uberrima benedictione coronet . . .

Invi-

Invitavit me nuper regium Stettini Regimen, ut vellem pati, ut nomen meum Regi præsentaretur, ad amplectendam Inspectionem generalem Gryphiswaldensem, cum Professione Theologiæ primaria, aliisque annexis. Causatum, me statuum omnium & totius cleri desiderio expeti. Qua de re & ex clero nonnulli ad me enixissimis verbis scripserunt. Stipendium fere duplo meo præsenti majus est. Verum senectutis meæ imbecillitates me prohibent ullam suscipere de mutatione cogitationem. Quotidie aliquid deteritur de viribus meis, quanquam integer nunc annus est, ex quo lecto non decubui.

Controversia de *peremtorio gratiæ termino*, terminum nondum nacta est. Plusquam quadraginta tractatus intra biennium eo de argumento prodierunt in lucem. Collegium quoque Facultatis nostræ, quod, requisitum a Consistorio Lubbensi, primum in hac materia responsum dedit, eidem contentioni involutum est, malevolis quibusdam & responsum nostrum & apologiam Boesianam Halae in lucem edentibus. Nunc vindiciæ nostræ, calamum ducente D. GRVNENBERGIO, sub prælo sunt. Quibus adjiciemus suffragia Academiarum Kiloniensis, Havniensis & Londinensis in Scania, Ministeriorum item Hamburg. Luneburg.

neburg. Lubec. Swerinenſ. Güſtrov. Roſtoch. Stralſund. Wismar. Stettinens. & Dantiſcani. Qui omnes conſenſum nobis ſuum promiſerunt & jam e quinque locis præſtiterunt. Ita auctoritatem ſcripto noſtro raro exemplo conciliabimus, ſperoque eo maturius iſthoc pacto finem huic bello impoſitum iri.

Subſtituitur nunc præterea Pietiſmo *Indifferentiſmus* omnium religionum, inaudito in noſtra quidem Eccleſia exemplo. Eam rem ſtrenue agunt THOMASIVS Halenſis & BRENNEYSENIVS, Oſtfriſius, ICti; & GODOFR. ARNOLDVS, Exprofeſſor Gieſſenſis, & hic quidem integris iisque vaſtis in forma majori, quam folio vocant, libris. Non tantum toleratur hoc in Marchionatu Brandenburgico, ſed a plerisque politicis virisque magnis vehementer laudatur. Scripſit ARNOLDVS eine Unpartheyiſche Kirchen und Ketzerhiſtorie, germanico idiomate, duobus in fol. voluminibus conſtantem, in qua unice hoc agit, ut oſtendat, omnes hæreticos immerito a ſuperbo & contentioſo clero quorumlibet ſeculorum condemnatos eſſe. Sectarum omnium differentiam rejiciendam eſſe, ſufficere generalem Chriſtianorum, qua Chriſtiani ſunt, fidem. Quanquam nec Iudæis, nec Gentilibus, ſi morum ſtudeant probitati, gratiam

tiam Dei extra ordinem & ſalutem deneget. Vir alias infinitæ lectionis. Quedlinburgi vivit. Iuſſus nuper a sereniſſima Abbatiſſa aut ſolum vertere, aut communione publica unam trium religionum, quæ in Imperio tolerantur, profiteri, ad communionem acceſſit hypocrita, aſſerens, in qualibet religione quemlibet ſalvari poſſe, dummodo a contentionibus, quibus vna religio ab altera divellitur, intra animum ſuum ſit alienus. Sed de hac re poſthac, ſi reſcivero, Te Gallorum civem factum. Habes Pariſiis viros in omni genere eruditiſſimos. Ut enim potentia regnum iſtud cæteris omnibus palmam præripit: ita & virorum eruditorum gloria. . . .

Scr. Roſtochii d. xxv. Iun. MDCCI.

X.

Vti vocationem primum Tuam, qua ex barbaria iſta Hiſpanica liberabaris, mox iter in Galliam non ſuſceptum tantum ſed & feliciter confectum, ab optimo pientiſſimoque Parente Tuo non ſine ſumma animi mei voluptate accepi, ita nunc ex Tuiſmet literis vitæ Tuæ ſtatusque conditionem, non ſine Divinæ benedictionis, priſtina Tibi damna & difficultates reſarcientis, documentis, ex voto Tibi fluentem. Quo nomine ex toto Tibi pectore gratulor. Deumque

umque rogo, ut & ſucceſſus poſthac in demandato Tibi munere proſperrimos & valetudinem roburque corporis pariter animique exactiſſimum largiri, ſuoque tempore bona, quæ nunc in Eccleſiæ uſum diligentiſſime colligis firmasque, ad publici egregii ſingulare ornamentum applicare velit. Oblata illa a ſereniſſimo Marchione functio illo quidem loco inter præcipuas habetur; cui plerumque imo ſemper, Conſiſtorii Aſſeſſura, Profeſſio in Gymnaſio & Eccleſiarum in diſtrictu inſpectio, (quanquam hæc nonnunquam & Concionatori Aulico primario committatur) adjuncta eſt. Ex quibus etiam dein aliquod ipſi ſalario augmentum accedere ſolet. Neque dubito, intentionem Marchionis optimam eſſe, qui per gradus Te vellet ſubvehere ad ſumma. Sed ut nunc quidem officium acceptes, ſvaſor eqvidem nullo modo eſſe poſſum. Commendavi perſonam Tuam eo tempore, qvo & Tute multis cum difficultatibus Madriti luctabaris & ſumma pace provinciæ Germanicæ perfruebantur. Nunc omnia contraria ſunt. Novo officio admotus es. Nec videtur Theologicæ gravitati convenire, mutare, priusquam adieris. Cum in hunc vix locum veniſſem, duæ mihi ampliſſimæ functiones, alibi obeundæ offerebantur, quas non alia ex cauſa reprobavi, quam quod levis mihi videretur animi, cum

cum vocationibus ſacris hunc quaſi agere vel ludum vel mercatum. Deinde, quo in periculo ſint provinciæ Rheno vicinæ, illa præcipue patria mea, cui de caetero optime cupio, nemini amplius ignotum eſſe poteſt. Si ſe, quod metuendum equidem eſt, futuro anno diffuderint motus iſti, qui in Italia initium ceperunt, inter primas bonæ vrbis Durlacenſis calamitates erit nova ejus ruina & incolarum rediens per vices exilium. Quæ & cauſa eſt, quod, cum hactenus reparationi ruinarum operam dederint cives, nunc omnino remittant. Vnde & planiſſime perſuaſus ſum, primum Concionatoris aulici munus relinqui vacuum, donec, quo motus iſti tendant, certiori indicio cognoſcatur. Itaque poſthac, ſi forte preſſius inſiſtant, candide mentem Tuam aperi: expectent, quousque Deo diſponente appareret, tutam eſſe, quae Tibi offeratur, Eccleſiam, ne forte irato in nos, quod tamen Deus avertat, Numine, ſtatim iterum & Tu Eccleſiæ & Eccleſia Tibi ſurripiatur. Nec etiam Te ſine aliqua levitatis nota novam vocationem cum alia tam brevi temporis ſpatio permutare poſſe. Nunc enim videris eo a Deo loco poſitus eſſe, in quo ad futuram majorem in Eccleſia meſſem, præſidia omnis generis corrogare non tam poſſis, quam debeas. Cui rei nec ingenium Tibi deeſt,

deeſt, nec voluntas. Tenemur equidem vocanti Deo obſequi, ſed tum demum ſeria Dei intentio nobis clariſſime eluceſcit, ſi viderimus, ſingularem nobis uberemque aperiri campum, gloriam ipſius in oblato nobis officio promovendi. Retrahere autem nos videtur Deus & majoribus deſtinare rebus, ſi tam luculentam nobis exhibet occaſionem, animum noſtrum iis variæ eruditionis & experientiæ præſidiis locupletandi, quæ fructum aliqvando parere poſſunt ampliorem. Res itaqve Tuas, optime Schroedere, Deo committe, munere Tuo impigre & imperterrite fungere, theſaurum variarum eruditionis diuitiarum collige, & quid de Te aliquando facere velit, reſignato in voluntatem ipſius arbitrio Tuo, expecta.

Balvzivsne ille, de qvo ſcribis, Stephanvs ille eſt, qvi jam ante qvinqvaginta annos ſummam inter eruditos obtinuit celebritatem? vix credo, aut centenario proximus ſit oportet. Sed de viris Galliæ eruditis exactiorem mihi poſthac procurabis notitiam. Nunc pauca de rebus noſtris. Nondum deferbuit contentio de *Termino peremptorio*. Edidit & Facultas noſtra Theologica, manum ſcripto adponente Dn. D. Grünenbergio, defenſionem ſatis prolixam, adverſus primum

H per-

peremptorii termini auctorem, qvi responsum nostrum, Consistorio Lubbensi datum, refutare aggressus fuerat. Munivimus vindicias nostras variarum Ecclesiarum suffragiis, ne videremur, novam & insolentem proposuisse doctrinam. Accedet nobis & Havniensis Vestra, ceu ea de re certi redditi sumus, imo & Lundensis in Scania. Promiserant nobis & Hamburgenses, & hi quidem omnium primi, consensus sui expressionem, sed adducti dein a Dn. D. Mayero, odio, ut puto, Dn. Senioris Winckleri, ut promissionem suam retractarent, caussati, bellorum in Ecclesia nostra satis esse. Quam olim syncretistis propriam rationem mirari qvis posset illud Ministerium potuisse a tanto antea bellatore, cujus ductu omnes nil nisi bella contra proprios fratres gesserunt, subito perdiscere. Respondi ego, a nobis veritatem defendi, ab aliis veritati testimonium reddi. Quod utrumque sit a Deo mandatum, nec posse illud sine conscientiæ vulnere vel omitti vel hoc petenti denegari. Idem D. Mayerus, cum nuper officium suum aditurus Gryphiswaldiam venisset, tolerare noluit, ut vel D. Spenerus, quem antea integris libris refutaverat, vel alii, ipso eorum expresso nomine, refellerentur. Pacis se plantandæ causa venisse testatus. Optarent citra dubium Hamburgenses, & ob hunc finem

finem ipſum olim eo veniſſe. Aut animus viri, quantus quantus eſt, mira metamorphoſi immutatus eſt. - - - Scr. Roſt. ipſis Novembr. Calendis MDCCI.

XI.

Ita eqvidem eſt, nunc in ipſo eruditorum quaſi ſinu & meditullio ſedes, & variae ſolidaeque doctrinæ præſidia haurire potes, qvæ in ſemierudita noſtra Germania nullibi comparent. Nos enim adhuc rixis & contentionibus de controverſiunculis quibusdam adſueti, unicam noſtram gloriam in his minutiis quaerimus. Fervet adhuc certamen de *Termino ſalutis peremptorio* & plauſtra ſcriptorum eo de argumento adhuc quotidie prodeunt. Mihi, qui hactenus ſilui, homo inquietus & gloriæ cupidus, D. RECHENBERGIVS, nuper objectavit, me primum & præcipuum totius hujus litigii eſſe autorem & inſtrumentum, meque potiſſimum ad certamen provocat. Sed nullatenus, quod quærit, obtinebit. Ego enim ſimplicem tantum, ſi reconvaluero, edam narrationem, ne quidem expreſſo ullius hominis nomine, in qua demonſtrabo, hanc me, quam teneo, ſententiam toto officii mei tempore defendiſſe, adeoque nunc nihil feciſſe in cujusquam gratiam odiumque. Quæ vero in conqui-

rendis Theologorum ſuffragiis feci, quod unicum tantopere urit RECHENBERGIVM, innocua facti propoſitio ab omni me culpa apud ingenuos pioſque viros facile abſolvet. Stat de cetero apud me fixum firmumque, cum nemine hominum, poſt tot edita de hoc argumento ſcripta, contendere, quicquid etiam in me debacchentur.

Diſputavi nuper *de forma catecheſeos Paulinae* ad Hebr. V. & VI. & oſtendi, jam Pauli tempore obtinuiſſe & catecheſin & certam catecheſeos formam, connexis inter ſeſe fidei articulis, iisque ipſis, qui adhuc catecheſes noſtras conſtituunt, conſtantem. Vt reprimerem præcipuum Indifferentiſtarum hodiernorum THOMASII, BRENNEYSENII aliorumque principium, formas in religione omnes, utpote confeſſiones, catecheſes, ſymbola & omnia alia id genus, reiicientium, ut libertas ſentiendi, quid quisque Scripturæ conſentaneum eſſe judicaverit, pleniſſima cuivis maneat. Propediem & aliam proponam, *de veritate coeleſti*, in qua ſimilem Indifferentiſtarum hypotheſin configam, vel ex meis potius lectionibus Reſpondens meus, qua nempe peculiari ſcripto & prolixiſſima opera BRENNEYSENIVS diſputat, veritatem, notitiam, ſapientiam, aliaque vocabula, quæ toties in ſcriptura occurrunt, nullatenus

nus intellectus, sed vel solummodo vel primo & praecipue voluntatis actum designare, neque religionem & pietatem in notitia mysteriorum Divinorum, quam cerebrinam fidem vocat, sed in emendatione voluntatis, h. e. caritatis erga Deum & proximum demonstratione consistere, Deoque perinde esse, quid de essentia ipsius, deque personis, aliisque id genus cerebrinis credamus. Vide, carissime Schroedere, haec monstra in Ecclesia nostra non oriuntur tantum, sed impune tolerantur, imo a plerisque hujus seculi hominibus laudantur, eo quod rixas omnes contentiosorum Theologorum una quasi litura removeant, e contra solam pietatem, charitatem, abnegationem sui ipsius aliasque veras & divinas virtutes commendent. Sed abrumpendum mihi est, quia manus mea languida adhuc quietem desiderat. Tu igitur nunc vale & me indesinenter ama. Scr. Rostochii d. 13. Aug. 1702.

XII.

Ex toto pectore laetor, occasionem mihi tandem existere, reditum Tibi Tuum, difficilem admodum & molestum, ex peregrinis dissitisque regionibus gratulandi. O utinam, quemadmodum charissima Te mater revertentem amplexa est, ita excipere quasi redivivum & Parens, Tui longe

amantiſſimus, potuiſſet. Sed refricandus Tibi non eſt dolor, quem ipſa aedium paternarum conſideratio nuper renovavit. Incolit ille nunc locum diu a ſe deſideratum & iis perfruitur gaudiis, quæ ceu præmia pietatis ſuæ, optimus, quem tantopere amavit, Servator ipſi deſtinavit. Ego vero ſi paternas ſubire vices & in eo affectum meum, flagrantiſſimum certe ſemper, cum erga beatum virum, tum erga temetipſum, quocunque pacto teſtari poſſem, in non exigua felicitatis meae parte id poſiturus eſſem.

Commendavit Te illuſtri KLEINIO, præcipuo nunc ſereniſſimi Ducis noſtri in rebus ſacris miniſtro, primum Filius meus natu maximus, nuper factus Secretarius Legationis, ut vocant, a Principe noſtro in aula Hanoverana, deinde ego ipſe per literas, cauſatus, eiusmodi virum, ſi in provincias noſtras reciperetur, aliquando & Academiæ ſingulari ornamento eſſe poſſe, cum innumeris ea in qualibet eruditionis parte, quæ in Hiſpania Galliaque videris, comprehendendi occaſio non exiſtat. - - - Vides itaque, nondum eo in ſtatu rem hanc eſſe, ut certi quid hinc expectare queas. Quare omnino Regio e Dania mandato & comparendum Tibi Havniæ eſſe exiſtimo, ut, quod præmium longis Tuis bonisque meritis decreturi ſint, ante omnia cognoſcas.

Si

Si poſthac divino nutui viſum fuerit, ut in hac patria Tua ſacræ functioni admovearis, & in officio quoque publico jam conſtitutus, advocari poteris. Vivit nunc Havniæ Dn. D. LVETKENIVS, antehac Præpoſitus Colonienſis ad Spream, Regi a concionibus, magnoque & plane inſolito eius & Reginæ favore utens, mihique intima prorſus amicitia conjunctus. Huic Te jam integro abhinc anno ita commendavi, ut ad conſcientiam ipſius provocaverim, ſi dona divinitus Tibi conceſſa quacunque occaſione neglexerit. Id nunc in epiſtola hic adjecta ei in memoriam revoco, nec dubito, vires ipſum ſuas omnes eo locaturum eſſe, ut deſiderium meum expleat. Eſt enim Theologus, non ex genio ſeculi, ſed veræ ingenuæque pietati deditus & mihi ex toto pectore bene cupiens. Ubi redieris ex Dania, tum vero Te in aedibus meis, gratisſimum longe hoſpitem futurum, expectabo. Nec enim colloqviis Tuis quicquam mihi erit pretioſius. Dummodo a familiari morbo meo non torqvear. Scr. Roſtochii die 5. Ian. 1707.

XIII.

M. ZORNIVS hinc cedere coactus non eſt. Excluſus ob contumaciam Rectori oppoſitam, poſt unam alteramque hebdo-

madem ſtatim iterum receptus eſt. Abiit autem offenſus illa excluſionis ignominia, reſignato nobis, qvem me Præſide adeptus fuerat, Baccalaureatus gradu & civium Jure. Cum neque in Belgio, neque in Anglia, neqve Gieſſae impetraſſet, quod deſiderabat, ad Kilonienſes delapſus eſt. Lego meditationes ipſius Biblicas, neqve me ſingularia, quibus nonnunquam indulget, movent, quid alii judicent ignoro. Filius meus, Ducis Secretarius, nuper Conſiliarii Aulici dignitate auctus, iterum Hanoveræ ſubſiſtit cum familia, ſereniſſimi Ducis ibi negotia curans. Alter lateri Principis, etiam nunc Slangebadæ perpetuo adhæret, eodem Conſiliarii honore mactatus. Reliqui duo in curanda familia, imo officio meo, conſeneſcunt. GRÜNENBERGIUS febre ardente acerrima intra novem dies ſublatus eſt, orta, ut ego exiſtimo, non aliunde, niſi ex itineribus ipſius nocturnis. Ad ejus officia ſingula obeunda jam vocatus optimus eſt GRAPIUS noſter. --- Ex Superintendentibus Tuis, quorum meditaris ſcribere vitam, præter CLOZIUM, noſtratem quondam, nullus peculiariter hic cognitus eſt. De hoc vero nihil referunt documenta noſtra, niſi diem, quo ſummum in Theologia gradum adſumpſit. - - - Scr. Roſtochii, d. XI. Iun. MDCCXII.

VI.

VI.
MARTINI RVARI
ET
IOHANNIS KIRCHMANNI
EPISTOLAE.
CONTINVATIO ALTERA.

IV.

Literas tuas, ornatissime Rvare, accepi, ex quibus intellexi, priores meas tardius tibi redditas esse, quod mihi permolestum auditu fuit. Sed bonum factum, quod non omnino perierunt. Vt conditionem hanc accipias, ego nec auctor tibi esse nolui, sed nec dissuadere: quicquid autem hujus feci, id feci partim expugnatus precibus Varenholti mei, partim permotus ratione studiorum tuorum, quae nisi in academiarum aliqua urseris, nunquam aut certe tarde in notitiam doctorum virorum pervenies. De modestia ac liberalitate Varenholti noli dubitare. Est enim & eius ingenii, ut bene monentes libenter audiat, & illarum fortunarum, ut sine incommodo suo possit alere aliquem, cujus ductu & auspicio castra Musarum sequatur.

quatur. De ſtipendio non eſt, quod ſis ſollicitus; facile id ab eo impetrabis, ſi fidem ac induſtriam tuam perſpexerit. Succeſſorem tam cito tibi nominare nequeo. Si VOGLERUS vellet hanc conditionem accipere, & tibi & diſcipulis tuis & mihi gratularer. Verum is heri Hamburgum profectus eſt, ut non niſi per literas de hac provincia cum ipſo agere posſim; quod hodie faciam quam diligentisſime. Tu vero inter ea, mi RUARE, quod Deus bene vertat, primo quoque tempore in viam te dabis, ac Ioachimum noſtrum Lipſiæ præſtolaberis, qui cum IOHANNE WESTHOF Trebbiæ genero, inſtitore apud nos ſatis celebri, ſexto Aprilis, Deo volente, hinc diſcedet: quicquid ſumptuum in illud iter inſumptum fuerit, id ille bona fide tibi refundet ac omnia humanitatis, obſervantiæ & beneficentiæ officia prolixe præſtabit. D. THEODORUS BUSSIUS ex Italia IX. Dec. ad me ſcripſit literas, quibus ſignificat, ſe operam daturum, ut Menſe Maio primum in Germaniam revertatur. Si meas accepit, octavo, ni fallor, Decembris ſuperioris anni ſcriptas, quibus ipſum de obitu D. CLINGII certiorem feci, non puto ipſum tam diu emanſurum eſſe. BERNHARDO CLINGIO quoque ante paucas ſeptimanas uxor, quam anno ducebat, fato erepta eſt ſine prole, quæ res ipſi magnas controver-

ſias

ſias movit, avunculo defunctæ Breidiæ ſibi totam hæreditatem ex iure civili, quo academia utatur, vendicante: Bernhardo contra mediam bonorum partem poſtulante ex iure Lubecenſi, quod in hac urbe vigeat. M. RHÆDVS a ſenatu ſucceſſor electus eſt M. HOLSTEINIO, ſed nondum profesſionem hanc auſpicatus eſt. In Dania omnia ſunt bello plena, quod utrum in Sueciam, uti quidem fama eſt, an in vicinarum urbium aliquam redundaturum ſit, breui intelligemus. Deus perdat, qui bella volunt, cuius protectioni te commendo ac plurimam ſalutem tibi a Varenholto meo nuncio. Dabam Roſtochii XVII Martii Anno 1611.

T. A.

IO. KIRCHMANNVS.

Si otium tibi eſt, ſcribe elegidion quoddam in obitum filii IO. CASELII, de quo ex programmate hoc certior eris.

V.

Doctisſime Domine RVARE. Quod Deus optimus maximus bene fortunet, venit jam ad te IOACHIMVS VARENHOLTVS Lipſiam, ut inde recta Norimbergam tecum contendat, tuo conſilio & ductu in ſtudiis recte ordinandis uſurus. Quare eum

eum tibi de meliore nota commendo, rogoque operam dare velis, ne amor, quo literas humaniores amplectitur, in illo frigescat, sed quotidie magis magisque augeatur & incrementum sumat. Indolem in ipso ad modestiam natam deprehendi, sed quæ mollibus potius verbis, quam graviore increpatione vult regi. Ad continentiam illi & frugalitatem tuo exemplo præibis, quod ipsum summis viribus secuturum nullus dubito. D. RITTERSHVSII consilio, vel etiam REMI aut HVBNERI in eligendo hospitio uteris: ad illos enim scripsi & utrumque illis quam diligentissime commendavi. Dedi etiam aliquid literarum ad Dn. M. CHRISTIANVM BECMANNVM, Scholæ Naumburgensis Rectorem, quas, ubi Naumburgum transibitis, illi cum plurima salute reddere poteris. Vale mi RVARE. De successore tuo nihil dum possum aliquid statuere. HEINO VOGLERVS conditionem illam non vult accipere. Velim autem stipendii facias mentionem, quod ibi quis mereri possit, si forte eo quis illectus provinciam illam velit suscipere. Vale iterum & ignosce festinationi. Dabam Rostochii 6, Aprilis Anno 1611.

T.

IO. KIRCHMANNVS.

VI.

VI.

S. P.

Cum hic ſe Ioachimus meus ad convictores tuos literas daturum diceret, nolui deeſſe pulcherrimæ occaſioni, quin ad te quoque nonnihil exararem. Quamvis enim vix habeam, quo charta aut oculi tui occupari digne debeant, tamen non exiſtimabam vel ſalutandi vel quodcunque tandem in ſolum venerit intimandi officium ingratum tibi fore, dummodo perpetuum amorem aut potius pietatem erga te meam ex intervallo recognoſcas. Ea quidem tua ſunt merita, ut vel ſola ſpacioſam epiſtolam implere & omnibus lecythis pingi debeant: ea contra eſt tenuitas mea, ut nullam commemorando nedum referendo rem evolvere poſſit. Sed tu recte facti conſcientia contentus, cetera modeſtiæ tuæ gravia ſusque deque habes: & ego affectu potius quam verborum phaleris tibi placere cupio. Vitam nunc ſatis commode tolero loco, cuius me poenitere non debet, in ſumma Profeſſorum gratia & flore omnium rerum, quæ ad hanc ætatem recte collocandam pertinent, quæ tibi certe imputo tuæque benevolentiæ accepta refero. Ioachimum mihi ſatis, ut hactenus eſt, audientem dicto gaudeo: in quo ea utor diſcretione, ad quam tu mihi præiviſti, ut

leni brachio placidisque commonefactionibus & exemplo potius ad virtutem recto, quam imperiis austeris, a quorum iugo præter quod ætate etiam desuetudine cervices illius resilirent, auctoritatem meam obtineam, dissolutioris vitæ mores, a quibus alienissimum aliquando se non fuisse fatetur, juxta mecum detestatur, & jam est in literis assiduus, aut fuit potius & erit brevi, nam, ut nunc res fluunt, lecto magis est, ut ita dicam, accubuus, ob febrim tertianam, quæ pessima auis rectioribus institutis, cum minime foret usus, obscævavit. Spero nundinis hisce Naumburgensibus litteras a te nobis fore, quibus cum de aliis tum de Suecico bello certiores reddas. Nam fabri novorum apud nos plaustra quædam mendaciorum conficiunt & nos pro peponibus habent, qui talia credamus. Danum aiunt cum exercitu XV. peditum Colmariam obsedisse: Suecum contra cum XVIII. aut ut alii XXXV., militum copiis & tormentis mille bellicis maioribus, quæ bombardas vocant, in expeditione esse, ubi, ut de reliquis nihil dicam, quis unquam imperator eam tormentorum uim in aciem eduxit, fere, & fortasse verius dicam, habuit? Nuper omnium sermone percrebuerat, Matthiam, Hungariæ Bohemiæque Regem, exspirasse: sed eam fabulam certior nuncius postea refutauit. Cetera eiusdem

generis

generis nugarum libens omitto, farferi folia. Academiæ nostræ status tranquillus est. nisi quod factionibus interdum inquietatur. Nuper in partes discesserant antecessores, inter quos agebatur, utrumne dierum, quibus disputatur, pomeridiano tempore prælectiones haberi debeant? quod volebant SCIPIO & PICCARTVS, qui mane profitentur, nolebant plerique omnes. Senatus Noricus bipenni nodum dissecuit & sanciuit, ut disputationes istæ non nisi diebus feriatis, videlicet Mercurii Saturnique, tam ante quam post meridiem instituantur, ita nec istis odium nec illis invidia accrescit. Elegidion meum memoriæ CASELII F. consecratum, videbo an limando RITTERHVSII nostri iudicio probare possim, dein ad te mittam, vel potius, quæ via proximior, est ne tibi nimium a me negotii facessatur, per cl. REMVM recte curabo. Interim si data occasione mentionem mei aliquam apud venerandum senem CASELIVM injicere volueris, feceris mihi tam gratum quam quod gratissimum. Doctorem BVSSIVM plurimum saluere iubeo, si saluere potest is, qui sub regno Veneris ita vapulat, ut quotidie sibi moriatur, aliis tantum vivat. Salutem ad acutissimum quoque RHÆDVM, collegam, ut audio, vestrum, extendo. Priusquam epistolam obsigno, etiam illud indicare volo de ICto

RIT-

Rittershvsio, quem & liberis & libris rempublicam aucturum brevi ſcire debes; uxor enim partui valde vicina eſt & Salvianvs plane ad umbilicum deductus eſt. Ego & illi propitiam Iunonem opto & huic Minervam fuiſſe ſcio. Vale XII. Kal. Iul. cIↃ IↃ c x i.

T.

RVARVS.

VII.

S. P.

Binas a te literas accepi, doctisſime Rvare, quarum unas ex itinere, alteras Altorphio ad me dediſti: utræque ſane mihi fuere gratisſimæ, tum quod, quo loco res veſtræ eſſent, mihi ſignificabant, tum vero quod in iis non minus amoris in me tui, quam Romanæ elegantiæ non leviter impreſſa veſtigia apparebant. Quod vero mea in te merita tantopere prædicas, non poſſum equidem negare, me ſtudiis tuis ſemper ex animo faviſſe, nec quicquam prætermiſiſſe, quod ad ea iuuanda facturum iudicarem: non tamen agnoſco eas laudes, quas tu ἀυτῷ τῷ θυλακῷ in me congeris. Si quid feci, quod utile tibi eſſe ſentias, gaudeo. De Ioachimo noſtro nullus dubito, quod jam totus ſit in literis, modo, quod ſpero

ſpero & opto, cum valetudine in gratiam redierit. Bellum Regi Daniæ hactenus ſatis feliciter ſucceſſit, nam & urbem Calmariam & arcem, quæ expugnari non poſſe putabatur, intra breve temporis ſpatium in ſuam poteſtatem redegit. Ab utraque parte multi perierunt, partim armis & ferro, partim morbo, qui Danicum exercitum miſerum in modum afflixit, Regemque coegit, ut milites ſuperſtites in hyberna diſponeret. Nam ſi diutius illos in caſtris detinuiſſet, ad unum omnes opinor interiiſſent. Morbus ille ortus eſt partim ex peſſima victus ratione, qua uſi ſunt milites, partim ex foetore cadaverum paſſim iacentium. Omnes, quos quidem ego ex Dania hac tranſeuntes audivi & mecum alii, bellum hoc extreme deteſtantur. Vale. Dabam Roſtochii 28. Sept. A. 1611.

T. A.

IO. KIRCHMANNVS.

VIII.

RVARI Ep. ad KIRCHMANNVM Altorfii a. d. XIV. Kal. Ian. 1611. ſcriptam V. in appendice Epiſtolarum MARQ. GVDII Traiecti 1697. 4. a PET. BVRMANNO editarum n. CLXXXIX. p. 260. ubi tamen ſub finem ex MS. noſtro ſupplenda:

I BVSSII

BVSSII vestri, imo nostri res vehementer hic intricata fuit, eam nos, ut sperat animus, mediocriter expedivimus. Quare mirum est, illum non rescribere, quonam illic ordine cetera procedant. Nam si verum est, quod aliunde per nebulam inaudivimus de nuptiis ab illo celebratis, erunt reliqua ni fallor in vado, minima que plaga totum conficiet negotium, cum se videbunt sine præmio malos fore, qui calumniis suis optimum virum antea circumvenerant. Illi quæso plurimam a me salutem, quam a VARENHOLTIO tibi defero. Altorphii &c.

IX.

Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, eruditissime domine RVARE, quas pronuper ad me dedisti, gratiores autem futuræ erant, si Ioachimus quoque aliquid illis addidisset; nam illum tam cito officium suum negligere, nec fidem datam in mittendis crebro huc literis servare valde miror. Tu velim illum a somno excites, præsertim cum toties a me sit invitatus. STARCKIO, quem cum WOLDERO magisterii honore auctum esse non ignoras, oblata fuit a *BVSSIIS* provinciola illa, quam tu aliquamdiu gessisti, verum illam accipere recu-

recusavit. Ex Dania nihil certi habemus, nam quæ de morte Regis Daniæ & recuperata a Suecis Calmaria hic passim sparguntur, non videntur esse mihi vero consentanea. Et sunt tamen, qui quavis sponsione cum aliis contendere super hac re non verentur. Vrbes Anseaticæ consilia agitare dicuntur de ineundo foedere cum Batavis, qua fini etiam legatos Hagam Comitis miserunt, qui quid responsi acceperint nondum inaudivi. Respublica Stralsundensis pessimo loco est: cives a senatu dissentiunt & partes principis tuentur, qui nuper vrbem illam ingressus rationes administratæ reipublicæ a senatu exigit, nec prius inde discedere in animo habet, quam eas reddiderint. Vale cum ornatissimo Dn. VARENHOLTO, quem officiose a me salutabis. Dabam Rostochii 9. Mart. An. 1612.

T. A.

IO. KIRCHMANNVS.

X.

Quæ scripseras in appendice literarum tuarum, (ut inde potissimum ordiar) de casu viri in republica vestra factiosi, eadem antea quoque ex Henningo Halberstadio, equite Megapolitano, didiceram. Nunc autem tua magis relatione confirmatus cum

illam famam pro certa apud alios quosdam, atque etiam professores, non tamen tanquam a te profectam assererem. Plerisque mirum, nonnullis etiam gratum id accidere facile intellexi, ut pote qui putabant, honorem aut potius salutem Musarum, quarum ibi jugulum per vestrum latus totius petitur, egregie tandem in uno capite vindicatam esse. Quanquam mihi nec satis gloriosum videbatur alienis calamitatibus exhilarari, aut leoni mortuo, ut est in proverbio, τον πωγωνα τιλλειν: nec vero novum est, si, quem animus secundioribus auris afflatus fastu & insolentia supra sortem suam extulerat, Deo juxta & hominibus gravem, is etiam de gradu, quem sine invidia obtinere poterat, ad imum repente devolutus ceciderit. Illud autem vellem, aut tuæ me literæ, aut qui nobis eas attulit, adolescens nobilis BVCHWALDVS speciatim docere potuisset, per quem fumus ille convitiorum, qui modo tales dat flammas, ad principem pervenerit: nam alias quibusdam coniecturis ductus eo propendeo, ut de THOMA RHÆDO credam, qui si is est, nescio quam bene rebus suis consulat effundendo, ut est verisimile, senatus oppidani gratiam, sub cujus tamen patrocinio vivit & munus suum administrat. Sed his credo certiora propediem ex ALBINO amico meo sciam, qui literas domo iam

dudum

dudum expectat. De Danicis rebus quotidie sequiora nobis afferuntur, quibus ut aliquid veri subesse credam facile inducor: interim tamen subvereor, ut fidei semper litent, qui meras nobis κακαγγελιας perscribunt ex illis locis, ubi partium studia plerosque omnes in Danorum odium accendunt. Matthiæ Regis transitus ad comitia Electorum Francofurtensia Norimbergæ circa Calendas Maias expectatur. Interim civitates imperiales ex hisce circulis Wormatiam confluxerunt, haud dubie consilium collaturæ, quomodo oneribus, quibus hactenus plusculum gravatæ fuerunt, quæque etiam posthac impendent, sublevari per novum imperatorem possint. Illuc reipublicæ nostræ nomine legatus ivit MATTHÆVS HÜBNERVS vir amplissimus, amicus tuus aut noster potius, qui nimirum tuo beneficio meus etiam evasit. Exercitus, quem in armis a Bavaro splendidissimum haberi proximis tibi nundinis Lipsiensibus scripserat VARENHOLTIVS, quo tendat, nondum liquet. Sunt qui contra Bipontinum principem Iohannem ductum iri vereantur, ad jus administrationis in Palatinatu electorali repetendum Neopyrgio, cujus filius natu maximus Bavari affinis a quibusdam nimium fortasse credulis speratur. Iterum nunc Monachium profecti perhibentur Christianus, An-

haltinus princeps, & Ioachimus Fridericus Onoltzbacensis Marchio, quæsitum causas armorum: an responsi quicquam retulerint, & quodnam illud sit, nobis, qui procul a negotiiis reipublicæ vitam habemus, parum constat, nisi illud certum est, busones Esaviticos ovum aliquod exclusisse, ex quo, si modo foveatur, monstrum, quo vix Africa deterius tulit, indubitate prodibit. IOHANNI STARCKIO & DETHLEVO WOLDERO plurimum de honore, quo sunt aucti, gratulor: ne literis idem faciam, in causa est illud, quod me nolim ita tranquillum ostendere, vellem enim omnibus modis illis persuaderi, valde me iratum esse, quod ante biennium fere provocati nondum etiam literis mihi respondeant, ut discant tandem timere stomachum meum plusquam Achilleum. Extra tamen jocum, quin salutem illis, si adhuc in ædibus tuis ut antea vivunt, meo nomine dicas, non veto. HEINONEM VOGLERUM juvenem multis virtutibus mihi carissimum, tua quoque amicitia honorificentissime frui gaudeo: eum ergo, cum te fortassis salutandi causa domi interuiset, ut meis verbis moneas peto, mittere mihi nundinis Naumburgensibus, quæ incident a. d. IV. Kal. Iulii, duo ad minimum exemplaria disputationum metaphysicarum, quas THOMAS RHÆDUS habuit eo tempore,

pore, quo ſub illius præſidio VOGLERVS ipſe cathedram aſcendit. Obnixe me de iis rogavit quidam hujus academiæ Profesſor, philoſophus ad unguem exactisſimus: & pigebat tamen ipſum Voglerum epiſtola modo ſingulari convenire, qui cum unam adhuc mihi debeat, nolebam ſcilicet hac nondum ſoluta aliam credere, ne prodigerem. RITTERSHVSIVS noſter paulo melius habere coepit, cui de integra valetudine brevi recuperanda certum ſtipulatur medicus, modo contentionem ſtudiorum, a qua ſibi nec in morbo ſatis temperat, aliquantum remittere posſit. Vale clarisſime vir, columen ſtudiorum meorum. Iubet te ſalvere VARENHOLTIVS. Altorphii a. d. X. Kal. Maii anno epochæ chriſtianæ CIↃ IↃ CXII.

Tuus ex aſſe

MART. RVARVS.

XI.

RVARI Epiſtolam ad KIRCHMANNVM VI. Id. Iul. 1612. ſcriptam V. Centur. II. Epp. RVARI n. 30. & apud GVDIVM n. 191. p. 264-266.

XII.

MARTINO RVARO & IOACH. VARENHOLTIO S. P.

Post longum silentium, cujus ego culpam apud vos, carissima capita, deprecor, reiiciens eam in adversam valetudinem, quæ me sub ipsum tempus nundinarum Naumburgensium invaserat, redeo tandem ad officium & hæc conjunctim ad vos scribo. Dabitis enim mihi hanc veniam, ut isto utar compendio, dum simul ad alios plures scribendum, simul & alia negotia curanda sunt mihi. Principio autem tibi, charissime VARENHOLTE, gratias ago de Xenophonte transmisso, quem ego cum perpetua tui memoria usurpabo, nec ullam dimittam occasionem probandi tibi memorem ac gratum animum. Tu vero, RVARE doctissime, rem mihi gratissimam fecisti, quod qua pompa Cæsar urbem Norimbergensem ingressus sit & quam splendide ipsum Senatus vester exceperit, tam eleganter ac copiose ad me perscripsisti, rogoque ut imposterum quoque illam consuetudinem observare velis. Exemplum tuarum literarum (n. XI.) in aulam misi, ubi ab ipso principe & plerisque consiliariis cum voluptate lectæ sunt. Si quid autem librorum, qui dissertationes politicas contineant, apud vos recens editum

tum fuerit, id velim mihi meo ære compares & commoda occaſione unum atque alterum exemplum mittas, ut poſſim id cum quibusdam conſiliariis noſtrorum principum, qui hoc genere ſcriptorum mirifice delectantur, communicare: quicquid expoſueritis libenter rependam. Ex Dania nihil fere certi habemus: quo animo plerique erga iſtos populos affecti ſunt, eo etiam de hoc vel illo Rege paſſim loquuntur. Elsburgum autem hac æſtate captum eſt: Oelandia quoque inſula in poteſtatem Danorum redacta. Sed cum victoriam perſeqvi & in ulteriorem Sueciam penetrare vellent, non parva clade accepta retrogredi coacti ſunt. Sueci intra montium clauſtra ſe continent, fortean erupturi, ſi commodam occaſionem nacti fuerint. Claſſis Suecica aliquot Hollandorum & Lubecenſium naves, mercibus Suecicis onuſtas, Dantiſcum comitata eſt & rurſum eas, quæ Dantiſci hærebant, nec metu Danorum inde ſolvere audebant, in Sueciam incolumes deduxit. Quo cognito Rex ſuam claſſem, quæ morbo vexata paulo ante portum intraverat, extemplo renovari & in mare deduci juſſit, invaſurus claſſem Suecicam, ſi forte in eam inciderit: hactenus autem nullum prælium navale commiſſum eſt. Hoc anno in ducatu Luneburgenſi non procul ab urbe Danneberga fon-

tes aliquot reperti ſunt adeo ſalubres, ut qui aquam illam biberunt & in ea ſe abluerunt, ex iis multi priſtinam valetudinem recuperarint, cum ante vel pedibus vel oculis laboraſſent, vel alio quodam morbo, præſertim articulari, impliciti fuiſſent. Ejusdem efficaciæ fons non procul Lunæburgo quoque prope monaſterium Lunenſe hoc eodem anno manare coepit, quo uti & ad reliquos ſex milliaribus inde disſitos tanta hominum multitudo ex univerſa Saxonia confluit, quanta vix in nundinis celebrioribus conſpici ſolet. Ita enim mihi narrarunt aliquot primarii hujus urbis viri, qui valetudinis gratia & præſertim ob ſcorbutum expellendum eo iverant, nec ſpe ſua omnino fruſtrati ſunt. Mitto vobis exemplum diſcurſus ſuper negotio Caſtritiano a Dn. Cothmanno compoſiti, quod cum Ritterhusio communicabitis. Conſulis Stalmesteri negotium adhuc pesſimo loco eſt. Crimen quod princeps ipſi impingit hoc eſt, ſi forte id adhuc ignoratis. Miſſus fuit ſuperiori hieme vel autumno aliquis ex viatoribus Senatus Roſtochienſis, & quidem is qui Stalmestero ſolebat apparere, in aulam Guſtrovienſem cum literis, quas cum principi reddidiſſet & ſe in conclave ipſius reſponſum flagitaturus forte importunius inſinuaſſet,

a

a principe ipſo vapulavit. Non multo poſt Scotus pro diſcipulo ſuo a conſule aliquid pecuniæ mutuo ſumſit, ibi Conſul quærit, quisnam illam reddere ſibique pro Carolo Georgio ſatisfacere tandem vellet? reſpondit Scotus, illuſtriſſimum principem Albertum id ipſum in ſe recepiſſe. Tum ille in hæc verba erupit: Principem omnia prodigere & tam grande æs alienum iam contraxiſſe, cui ſoluendo non ſit: non igitur ſibi ex illa aula aliquid expectandum. Cui Scotus, principem quotidie poſſe alere trecentos homines, atque ideo non eſſe dubitandum, quin etiam pro Carolo Georgio ſit ſatisfacturus. Tum rurſus Conſul: Principem alere in ſua aula trecentos nebulones. Hæc in coena audientibus omnibus ejus commenſalibus dicta ſunt. Quæ non multo poſt ad aures conſiliariorum atque adeo ipſius principis advolarunt: qui hanc contumeliam initio quidem indigne tulit, ſed ſi tempori interceſſoribus quibusdam uſus fuiſſet, facile ipſi hanc injuriam condonaſſet: jam vero ægre adduci poterit, ut ipſum in gratiam recipiat, poſtquam conſul jure cum ipſius celſitudine experiri voluit. Habetis rem omnem, quam quidem cum aliis (ſed paucis) communicare poteritis, ſed nolim a me iſtud proficiſci intelligant. Valete, amiciſſimi & ornatiſſimi

mi iuvenes, ac me, quod facitis, amare pergite. Dabam Rost. xxx. Aug. An. 1612.

Vester omni studio

IO. KIRCHMANNVS.

HERM. TAPPIVS cum THEOD. PENTZIO brevi ad vos proficiscetur. STEINWICHIVS hanc æstatem febri laboravit, nec cum valetudine adhuc in gratiam rediit. LVD. GISELER ante aliquot hebdomadas dierum a nobis in patriam rediit, nam Iustum Philippum superiori autumno mortuum forte intellexistis. Iterum valete.

XIII.

RVARI responsorias Norimb. 1612. VII. (add. *Eid.*) Nov. V. in Gudii & Sarravii Epistolarum append. n. 190. pag. 263-264. ubi lin. 9. a fine lege HENTZNERI pro HEVTHNERI.

XIV.

Hanc adjectis quibusdam annotationibus publici juris fecimus in Nov. Biblioth. Lubec. vol. I.



VII.

IO. DANIELIS OVERBECK

Gymnas. Lub. Conr. designati.

breuis relatio de opere quodam,

quod sub manibus habet

V. CL. M. HENRICVS IACOBVS SIVERS

ordini sacro in prouincia Suecorum Tiustica septentrionali praepositus, rel.

Qui dudum ab ipsa iuuenili aetate variis scriptis inclaruit, quum Lubecae apud nos in patria viueret, M. Henr. Iac. Siuervs, Henrici filius, Cantoris quondam in hac schola & rei Musicae directoris meritissimi, vir perquam eruditus & in primis ingeniosus, idem nunc in Suecia non honoribus, non meritorum laude, non gloria ingenii destitutus viuit. Nam non modo pastor primarius est hodie coetus sacri, qui *Tryserumi Hannâsiique* prope *Norcopiam* colligitur, in *Ostro-Gothia* constitutus, sed dignitate etiam nuper & priuilegiis concionatoris aulici, immo eius, qui esset sacro ordini in prouincia Sueciae *Tiu-*

stica

ſtica ſeptentrionali praepoſitus, potentisſimi gratia Suecorum regis auctus fuit. Idem ſubinde ab aliquot annis varios excluſit ingenii & eruditionis fetus, Suecica partim, partim latina lingua editos, quorum, vt permultas taceamus conciones ſacras & alia, en tibi, lector, indicem breuiculum:

Elogium Spegelianum.
Elogium Echmannianum.
Meletema de NIC. BENED. RETZIO.
Elogium Bromſianum.
Elogium Euenſſonianum.
Plenior relatio de peſtilenti lue, quae ab anno MCCCXXXXVIII ad annum vsque MCCCL, totum fere orbem terrarum perVaſit, quaeque magna mors (Digerdöden) *vocari tum eſt ſolita.*

Quibus quidem aliisque ſcriptis magnas vir eruditisſimus gratias a tota gente Suecica iniuit multisque in ea primariis viris inſigniter quum induſtriam ſuam, tum doctrinam quoque commendauit. In his Andreae Antonio a Stiernmann, Viro illuſtri, potentisſimi Suecorum Regis a conſiliis tablini, quam *cancellariam* vulgo vocant, & tabulario regio primi praefecti ordinisque ſtellae ſeptentrionalis equiti, quocum viro magno & indefeſſo commercium eſt literarium Sivero eruditisſimo, cui multa fert documenta hiſtoriae Sueci-

cae


cae in acceptis, & ex quo compertum habet, fore, vt vberrima illius Viri *Bibliotheca Suio-Gothica* ſeptem voluminibus quartae magnitudinis propediem in lucem prodeat publicam. Eodem, vt apparet, ſuadente, certe incitante, id agit SIVERVS, v. cl. vt opus breui edat perquam memorabile *de Guſtavo I. Rege Sueciae ex Dania Lubecam fugiente rebusque aliquamdiu ibidem quum commoratus eſſet, feliciter geſtis inde in Sueciam proficiſcente, addita relatione vberiori de NICOLAO BROMSIO COS. quondam Lubecenſi, cuius conſilio atque auctoritati liberatum Suecia hunc regem debet.* Cuius quidem operis quae ſit futura dignitas, vel ex eo intelligimus, quod praecipuum rex ille Sueciae regum fuit decus. Nam non modo a CHRISTIERNI II. Daniae regis tyrannide liberauit patriam, ſed eius quoque gentis, quae poſtremo tempore huic populo imperauit, auctor fuit felicisſimus. Omnes enim, qui ex ſerenisſima ſtirpe WASA dicta progeniti regni hujus tenuerunt habenas, a GVSTAVO hoc traxere originem. Gente is nobilisſima & regio ſanguine oriundus inter obſides erat CHRISTIERNO ei, quem modo diximus, doloſe cum Suecis foedus pangenti A. MDXVIII. traditos & in cuſtodiam captiuorum more, ſecus quam conuenerat, datos. Ex qua cuſtodia mutato habitu elapſum, DAV. CHY-

TRAEVS

TRAEVS auctor eſt, (*) perueniſſe magnis itineribus Lubecam, ibique perorata cauſſa non ſolum benigne habitum, ſed etiam NIC. BRÖMSII, COS. Lubec. viri illuſtris fortisſimique ope ac praeſidio ita munitum fuiſſe, vt feliciter poſſet in patriam remigrare atque in ea, quod tandem euenit, ad regium faſtigium adſcendere. Cuius quidem fortunae caſus nondum ita ſunt in luce conſpectuque omnium poſiti, vt non maiori illuſtratione indigeant. Quare laudandam omnino nos quidem cenſemus operam, quam in hac re declaranda praeſtantisſimus SIVERVS collocabit. Hancque vel idcirco magni facimus, quod in Suecia, vbi egregiam perſonam ſuſtinet, praeclara dicuntur vetuſtioris hiſtoriae documenta aſſeruari, quae ab aliis gentibus multas ob cauſſas plane ignorantur. Accedit ad operis praeſtantiam, quod ex ipſa Lubeca noſtra rerum teſtimonia auctor, vt poſſet afferre omnem mouit lapidem. Scilicet literis ad IO. HENR. A SEELEN Virum admodum reuerendum datis id aſſecutus eſt,

(*) *Saxonia* ad ann. 1520. Lipſ. 1611. fol. p. 233. Adde viri ob vaſtam eruditionem dudum celeberrimi IO. HENR. a SEELEN, quem Gymnaſium noſtrum & totus literatorum orbis inſigne decus veneratur, *Selecta nummaria.* 1735. 8. p. 62 ſq. & V. CL. D. I. P. WILLEBRANDTIVM in *der Hanſiſchen Chronick* P. II. p. 126 ſq.

eſt, vt poſſet procerum conſenſu reipublicae noſtrae picta imagine rem ſuam confirmare. Namque aſſeruantur in conclaui curiae noſtrae, quod periſtylium Hanſeaticum ſolet ex priſtinorum temporum felicitate appellari, veſtimenta GVSTAVI, e cuſtodia Danica profugi, quae is ad perpetuam ſui memoriam ibi affigi iuſſit. Quorum effigiem egregii artificis manu accurate pictam vir admodum reuerendus ad praeſtantiſſimum auctorem vna cum literis miſit, quae documenti inſtar laudando operi non ratam modo fidem, ſed & ornamentum conciliabunt certiſſimum. Quare dubium eſt nullum, quin opus tot manibus eruditis perfectum intelligenti cuiuis lectori & adiumentum ſit & delectationem allaturum.





VIII.

Index & argumentum disputationum ad forum theologicum & philosophicum pertinentium, anno superiori *in academia Scaniae Londinensi* habitarum.

Recensente
FRIED. IOACH. SCHNOBEL.

1.) Dissertatio gradualis *de Spiritu Dei aquis incubante* ex dicto Gen. I. 2. quam - - sub vmbone - - Domini Mag. SUEN I. MUNTHE LL. OO. & Gr. Prof. Reg. & Ord. ad publicum defert examen IONAS BERGGRUND. Wermelandus. ad d. 15. Febr. 1742. pl. 4.

Terra in תהו constituta erat ingens materiae & aquae moles, sine vllo ordine, sine vllo nexu atque sine vlla relatione ad certum genus vel certam speciem inuicem permixta & confusa adhuc iners nullaqve vi productrice vel plastica instructa. Vocabulum בהו nihil a priori differt ratione

ne notionis principalis, sed leuis tantum & accidentalis quaedam, varietas intercedit, pro more hebraeorum in emphasi exprimenda solito. Suspicatur autem auctor, denotari totalem confusionem & intus & extus. §. 2. Ad explicandam Spiritus S. motitationem, adducuntur verba Ps. CIV. 30. Refutantur FRANC. VALESIVS pro igne quodam elementari pugnans, IOH ALB. HISPANVS, per Spiritum ipsum solem intelligens, IOH. AM. COMENIVS & OSV. CRELLIVS, spiritum mundi vitalem hic somniantes, CAJETANVS angelos principium motus constituens. §. 3. Eorum, qui heic impulsum aerem & ventum a Deo factum intelligunt, sententia refellitur. §. 4. Definitur status controversiae: anne hoc in loco vox Spiritus Dei ὑποςατικως sumi debeat? §. 5. Vox רוח denotat substantiam agentem & quidem tertiam Trinitatis personam, quod ex collatione verborum Ps. CIV. 30. vtpote loco Gen. I. 2. omnino parallelorum, conficitur. §. 6. Per vocabulum מרחפת intelligitur actus Spiritus s. infinita sua virtute res creatas viuificantis. Quod ex indole & significatione vocis, coll. Deut. 32, 11. probatur, & ab obiectionibus CLERICI vindicatur. §. 7. Verba Mosis ita redduntur: *& Spiritus s. massam informem & confusam fouebat, perficiebat atque viuificabat.* Addi-

tur ſimul ſequens explicatio: ſpiritus ſ. diuina ſua vi motum impertiebatur, leges naturae generales & particulares conſtituebat, ad quarum normam ſeparatio partium procedebat, quarum ſingulae deſtinata ſibi ſpatia & particulares functiones occupabant. Hinc ex motu partium ſubtiliorum lux oritur, hinc maſſa integra in plures partes reſoluitur, quarum aliae ſuperiora, aliae inferiora loca occupant, hinc fluidum ab arido diſcernitur, & quae ſunt plura momenta huc pertinentia. §. 8. Notatur iterum CLERICVS, nihil aliud hic intelligi aſſerens, quam quod diuina potentia informi extenſioni, antequam quidquam eſſet, praefuerit. §. 9. Quum actus ille ſpiritus ſ. quo leges naturae & motus rebus creatis impertiebatur, non ad fluidas modo ſed & ſiccas partes ſe extendere debuerit: vox מים, totum ſyſtema terraqueum, in quo partes ſiccae & fluidae inuicem permixtae a primo rerum exordio fuerunt, ceu obiectum operationis ſpiritus ſ. denotabit. Idem vocabuli ארץ in v. 1. ſignificatus eſt. §. 10.

2) Diſſertationem philoſophico hiſtoricam de *Creatione mundi ad doctrinam Hyperboreorum*, agentem -- ſub gladio Domini SVEN BRING Hiſt. Prof. reg. & ordin. - vt corolla obtineatur Apollinea, a. 1752. prid.

prid. non. April. - defendet NICOL. DAHLMANN OLOFFSOHN, Gothlandus. pl. 3.

Ex praemisſis §. 1-8. principiis metaphyſicis conficitur, mundum eſſe creatum §. 9. De hac veritate Suecorum maiores quondam penitus perſuaſi fuerunt, quum adhuc gentilismi tenebris obruti esſent. Quin etiam eo vsque meditationibus ſuis progreſſi ſunt, vt ſtatum quoque antemundanum contemplari ſint auſi, quem intuentes Deum & immane ſibi repraeſentabant vacuum ante mundum conditum. §. 10. Ipſam autem creationem ita ſunt interpretati: Deus, *Alfader*, vel omnium rerum pater, coelum terramque condidit, nec mundum ſolum corporeum, ſed etiam hominem, cui animam conceſſit, vel, corpore pereunte, perennantem. §. 11. Alio tamen modo ab aliis creatio exponitur. Tradit enim fama antiqua, tres *Borei* filios ſcilicet *Odin Vile* & *Ve* mundum creaſſe ex corpore Ymiri. Ipſo enim in medio vacui ſpatii collocato, ex ſanguine aquam & mare, ex osſibus montes & lapides ex dentibus, ex capite coelum produxerunt. Per tres illos Bore filios nonnulli tres Deitatis perſonas indicari ſtatuunt, ſed ſine fundamento. §. 12. Triplex hocce numen ex duobus arborum truncis marem & foemi-

nam perhibent produxisse, quorum illi *Askr* nomen, huic *Embla*: atque ita quidem vt *Odin* animam, *Vile* vitam, *Ve* sensus fuerit largitus. Aliud tamen hominum genus Suecorum maiores ex *Ymir* repetunt, quod ipsum hunc mundum aetate antevertat, adeoque a Peyrerii commentis non longe recesserunt. §. 13. Origo mali ex eorum sententia non est a Deo repetenda; sunt autem eius incunabula adeo vetusta, vt ipsum mundum aetate superent. *Ymir* enim malus fuit & tota eius soboles pestifera, atque ex hac scaturigine reliqua mala in mundum irruerunt. §. 14.

3.) Dissertatio philosophica de *caussis appetitus orientis & increscentis*, quam praeside M. Nicol. Alin, Ord. phil. Adiuncto & V. D. M. publice examinandum sistit Andr. Eekmann, Petri fil. Bahusia Gothoburgensis d. 16. Mart. 1752.

Appetitus vocabulum potentiam modo nudam, modo exercitam designat, atque nunc latioribus, nunc latis, nunc denique strictioribus terminis ab eruditis deprehenditur inclusum. Quidam solis rebus animatis appetitum tribuunt, non nulli praeter hominem animantium nulli. Vltimae huic sententiae auctor subscribit, controver-

troverſiam de beſtiarum animabus inutilem eſſe pronuncians, quam cum monadibus & mundo optimo & huius farinae aliis ingeniorum tormentis ad Indos atque Garamantas cupit eſſe relegatam. Diuiditur appetitus in voluntarium & phyſicum, qui etiam naturalis ſiue inſitus vocatur. Ille ab intellectus pendet iudicio & ab auctore ita definitur: *eſt actio, qua mens in quodlibet fertur bonum ob ſenſionem gratam, quam inde ad ſe redundaturam vtcunque praeuiderit.* §. 1. Errant, qui appetitum ſibi ipſi debere ortum affirmant. Experientia enim quemlibet docet, nihil omnino concupiſci, niſi quod aut reuera bonum ſit, aut ſaltim boni ſpeciem prae ſe ferat atque mentiatur. Nullum finitorum ratione ſui caret; alias enim in cauſſas rerum inutile eſſet inquirere, neque ſummi numinis exiſtentia demonſtrari ex ratione poſſet. Eſt autem appetitus a cogitatione boni deriuandus, idque ex eo auctor probat, quod, experientia teſte cogitationem boni ſemper habeat praecedentem. Addit, ſi appetitus ab intellectus imperio liberaretur, ſequi, hominem nullis agendorum fugiendorumque praeceptis imbutum ad frugem redire poſſe meliorem. §. 2. Variis ex cauſſis appetitus tenui ab initio profectus, magna ſubinde capit incrementa. Quo plura animo bona obuerſantur, eo magis ille incenditur.

Idem etiam inflammabitur, quoties bonum, quod iam ante concupiuimus, tanti facere incipimus, vt idem ipsi, imo etiam maius atque pluribus bonis, appetitum prouocare solitis, pretium statuerimus. Denique & ipsa imaginatio multum valet ad appetitum reddendum acriorem. §. 3.

4.) Dissertatio philosophica, *an ex vi mentis eiusdem fluant mutationes*, expendens, quam - - praeside Dno M. Nic. Alin - publicae placidaeque bonorum censurae submittit alumnus regius Thuro Eneroth. Scanus, d. 22. April. 1752. 2 pl.

Vis, generatim accepta, est conatus, vt alterum sit efficiendi, seu est illud, ex quo, cur alterum detur, intelligatur. Est illa vel sufficiens vel minus sufficiens. Wolfius, vim in ratione actionis sufficiente ponens, iusto dicitur fuisse tenacior; Walchio autem satis caussae fuisse negatur, quare in illo reprehenderet, quod fundamentum actionis, pro opinione sua in vi ponendum, ab ipsa actione non satis discreuerit. §. 1. 2. Vis animae propria in eo consistit, quod & se ipsam & res extra se positas, cogitet, cogitatas inter se conferat, ex collatis similitudines eliciat, hisque erutis & nexu rerum indagato,

gato, magnam veritatum exinde fluentium vim perſpiciat, quae ſibi conueniant, appetens atque decernens, inimica vero auerſans atque repudians. Haec enim ſingula eius indolis ſunt, vt in corpus haudquaquam quadrare posſint. §. 3. Variae competunt menti mutationes, quarum aliae ab ipſa ſola, quippe vi ſponte agendi praedita, proficiſcuntur, aliae in mente nunquam orirentur, niſi haec vtcunque demum extrinſecus afficeretur, & ad hanc potius, quam aliam, mutationem faciendam induceretur. Illae niſi animae competerent, nihil inter ipſam atque machinam intereſſet. Inde patere auctor exiſtimat, quam miſere illi hallucinentur, qui a ſenſatione, cuius tamen necesſitatem ipſi concedant, omnes animae mutationes deriuatum iuerint. Longam illis ratiociniorum ſeriem opponit, atque recentiorum hac de re philoſophemata harmoniae velificari praeſtabilitae iudicat. §. 3.

5) Diſſertatio philoſophica *de vſu atque abuſu hypotheſium*, quam praeſide Dn. M. NICOL. JALIN defenſurus eſt PETER GUSTAV OSANDER NILSSON, natione Smolandus. d. 13. Iun. 1752. 3 pl.

Hypotheſis eſt propoſitio, qua quis aliquid, cui demonſtrando impar eſt, tanquam verum adſumit, & quidem rationis

aliorum reddendae gratiae. §. 1. Refertur ea ad veritates probabiles, i. e. ad rationem ſufficientem propius accedentes. Harum in numero ſyſtema influxus phyſici eſt; harmoniam vero praeſtabilitam ἄτοπα continere & male cum efficacia verbi divini cohaerere auctor iudicat. Poteſt hypotheſis modo in veritatem certam conuerti, modo in errorem abire. Hypotheſis, cui experientia aliaeque veritates certae repugnant, omnem amittit veri ſpeciem. §. 2. Hypotheſes in veritates certas commutabiles, viam ad veritates certas ſubinde nobis patefaciunt, adeoque & illuſtrandae gloriae diuinae & promouendae rerum creatarum felicitati inſeruiunt. Sed & illarum, quae veritatum certarum induere naturam nequeunt, varius vſus eſt. Interdum timori atque ſuperſtitioni obicem ponunt: interdum, vt rerum quas certo cognoſcere non licet, rationem qualemcunque generatim reddere poſſimus, efficiunt. Prius illuſtratur aurorae borealis exemplo, cuius cauſſa in effluuiis ſulphureis, particulas terreas atque aquoſas certa proportione ſibi admixtas habentibus, & variis de cauſſis, inprimis Boream verſus, candeſcentibus quaeritur. Poſterius phaenomenis probatur magneticis, quorum ratio e materia qvadam fluida atque tum per meatus magnetis ſeſe mouente, tum ipſum terrarum orbem

orbem ambiente repetitur. §. 3. Abutuntur hypothesibus, qui, quas venditant scientias, hypothesibus deformant, scripturae s. oracula ad easdem detorquent, tanquam pro aris & focis pro illis pugnant, aut hypotheses rei publicae & priuatae damnum adferentes excogitant. §. 4.

6) Dissertatio philologica *de origine & ratione ritus hircorum piacularium* ex Levit. XVI. 7 - 10. 21. 22. quam - praeside viro ampliss. & celeberrimo Dn. Mag. SUEN J. MUNTHE - pro Daphne obtinenda placidae συμφιλολογουντων συζητησει submittit IO. NIC. LUNDAEUS Scanus. d. 13. Iun. 1752. 6 pl.

Hircos, SPENCERO iudice, in die expiationis ideo voluit Deus offerri, vt ab Aegyptiorum τραγολατρεια Israelitas auerteret. Sed nulla est ratio, cur hircorum magis quam aliorum animalium, impedire cultum voluerit, quum omnia apud eos pro sacris haberentur. Quid? quod hic finis per hircum in desertum ablegandum obtineri non potuit, quippe qui primo adspectu deum quemdam auerruncum exhibebat, adeoque τραγολατρειαν confirmare potius quam destruere videbatur. §. 1. 2. Non ab ethnicis Judaei, sed a Judaeis ethnici sacrificia expiatoria acceperunt. §. 3. Quum

Quum ritus Aegyptiorum ſacri, PLUTARCHO teſte, quemdam habuerint ſenſum moralem; nullo iure SPENCERVS ſenſum myſticum a ritibus moſaicis remotum eſſe vult. §. 4. Sacrificia piacularia ex intentione Dei mortem & ſatisfactionem Chriſti debuerunt adumbrare. §. 5. 6. Hircorum alteri pontifex ſummus manus imponebat, totius peccata populi confeſſurus, eoque ipſo hircum deuouebat, vt quicquid poenarum in populum propter admiſſa peccata impenderet, in illum conuerteretur. §. 7. Omnia itaque Iſraelitarum peccata in hircum emiſſarium fuerunt coniecta & expiata. Refutantur Rabbi Moſes Kotzenſis, crimina capitalia & profanationem nominis diuini excipiens, & GROTIUS eandem fere tibiam inflans. §. 8. Verba 1 Sam. III. 14. quae priori videntur aſſertioni repugnare, ita transferuntur: *non expiabit ſibimet ipſi iniquitatem familia Eli per ſacrificium & oblationem in longisſima tempora.* Additur explicatio: *familia Eli non conſeruabit ſacerdotium & officium expiandi iniquitatem vel ſibimet ipſi vel aliis.* Hanc interpretationem hiſtoria confirmat, accentuum ſeries non tollit. §. 9. Hircus, in quem populi delicta transferebantur, non fuit exemplar peccatis renuntiandi, ſed ipſo actu ſymbolice illa ſuſtulit, quod contra Socinum ex Leuit. XVI. 22. coll. Ieſ. LIII. 12.

pro-

probatur. §. 10. Hircus mactatus Christum morientem & sanguinem pro peccatis nostris effundentem, hircus autem in desertum missus eundem in vitam redeuntem praefigurauit. SPENCERUS in alia hic discedens refellitur. §. 11. Quod hircus viuus Christi resurgentis & viuificati symbolum fuerit, id sequenti modo euincere auctor satagit: satisfactio Christi pro peccatis non tantum morte ipsius sed & viuificatione absoluitur. Est enim & haec essentiale satisfactionis constitutiuum, docente Paulo Rom. IV. 25. 1 Cor. XV. 14. 17. Satisfactio ista per oblationem hircorum simultaneam adumbrata atque Israelitis applicata est. Hoc vero quum sine cognitione satisfactionis, adeoque & viuificationis Christi fieri non potuerit, atque praeter sustentationem vnius hirci in vita nullum aliud symbolum viuificationis exprimendae aptius in sacrificio expiatorio succurrat: sequitur, illam hirci viui dimissione fuisse adumbratam. §. 12. Hircus viuus non de rupe praecipitatus, nec alio quocunque modo interfectus, sed a ductore suo dimissus est. §. 13. vox עזאזל composita ex עז & אזל ad formam צלמות, significat *munimentum abeuntis.* Fuit autem, auctore iudice, locus quidam in deserto sic dictus, quod is, qui a reliquorum societate abiret, in hoc loco deserti, tanquam in loco munito

nito clausus degerit. Haec illustrantur ex 1 Sam. XX. 19. §. 14. Sententiam allatam confirmant praedicata לשלח אתול עזאזל המדברה v. 10. & portabit hircus peccata populi אל ארץ גזרה v. 22. Refutantur SPENCERVS, diabolum, & Judaei, angelum mortis hic somniantes. §. 15. Hircus mactatus sorte cessit ליהוה hoc est לפני יהוה siue tabernaculo, vbi immolandus erat. Per locum in deserto, עזאזל dictum, designatur tum longissima peccatorum a conspectu sanctitatis diuinae & tergo Israelitarum remotio, tum τὸ πᾶ inferorum, vbi genuinum erat peccatorum repositorium. Posteriori sententia nihil auctori videtur esse conuenientius, quum vita hirci designaverit Christi in vitam reditum, qui primum descensu eius ad inferos sese exseruit. §. 16.

7) Dissertatio philol. critica *de Saule dispari Spiritu acto*, quam - sub praesidio - D. M. SUEN MUNTHE - examinandam d. 17. Iun. 1752. sistit ANDR. BERING *Olufsson.* Scanus. 4½ pl.

Quum Spiritus Dei 1 Sam. XVI. 14. dicitur recessisse מעם שאול, Spiritus autem malus eum infestasse מאת יהוה, hoc sibi vult scriptor sacer, illius inhabitationem seu cooperationem cessasse, hunc vero dependenter

ter a Deo, seu, Deo ita decernente, Sauli infestum esse factum. §. 1. Refellitur Grotius per רוח יהוה spiritum regium seu virtutem regnum bene administrandi intelligens. §. 2. Spiritus Dei, quo Saul sub regni sui initium donatus fuit, erat Spiritus Dei substantialis, qui ipsum inhabitabat, & in ipso gratiose praesens erat. §. 3. Recessit autem ille, dum ob Saulis peruicaciam a gratiosa cooperatione destitit. §. 4. רוח רעה fuit spiritus aliquis malignus, quod ex operationibus eius patet. §. 5. 6. Sunt qui Saulis terrorem, animum inimicitiae plenum, propositum occidendi Dauidem, vaticinandi actum & violentam sui ipsius internecionem e melancholia deriuant. §. 7. Existentia daemonum eorumque operationum probatur, §. 8. & qui soli melancholiae peruersas Saulis actiones tribuunt, refutantur. §. 9. Quando Dauid citharam pulsans spiritum malum fugasse dicitur, nulla adest necessitas statuendi, citharam solam & per se tantum ipsum pepulisse. Subordinate tamen & concomitanter eam aliquid hic contulisse, rationes variae suadent. §. 10. Musica scilicet potuit esse occasio aliqua motus sanguinis temperandi: hanc vero comitabatur virtus diuina principaliter agens, quam Deus in producendis actibus supernaturalibus interdum cum caussis naturalibus connectit, vt homi-

homines ſtimulentur ad ſectandum illas naturae artes, quibus natiua eorum ferocia, violentique motus compeſci & ingenia manſueſcere queant. Aliud eiusmodi exemplum occurrit 2 Reg. III. 15. Pulſata cithara, Eliſa vaticinari incipit. Nihil ad iſtud donum propheticum Eliſae conferendum muſica principaliter & primario fecit, ſecundario autem & concomitanter naturali virtute motus ſanguinis temperare potuit, vt diſtinctius menti obuerſaretur repraeſentatio inſtinctus diuini immediate agentis. §. 11. Coniunxit autem Dauid cum citharae modulatione hymnos ſacros & preces, tanquam ſufficientiſſimum pellendi daemonem medium. Matth. XVII. 21. Eph. IV. 10. §. 12. 13.

8) Diſſertatio philoſophica *de arte formandi Soriten vulgarem*, quam - ad d. Iun. 1752. praeſide Dno M. Nic. Alin - publico examini ſubmittit Abrah. Faxe. Blekingus. 2¼ pl.

Sorites tanta ſe commendat vtilitate, vt nulla fere colligendi ratio ſupra. In oſtendendo autem eius formandi modo nemo logicorum adhuc officio ſuo omni exparte ſatisfecit. Nulla ſoritis definitio hac Dariesiana melior eſt: *eſt ſeries ſyllogiſmorum ordinariorum crypticorum, in qua ex pluribus propo-*

propositionibus, *continuo catenatis*, *infertur conclusio* §. 1. Sorites vulgaris est, in quo ex propositionibus ita catenatis, vt praedicatum praecedentis sit subiectum sequentis, infertur conclusio, subiectum habens subiectum primae propositionis & praedicatum penultimae. §. 2. 3. Nouem eius formandi modi traduntur & demonstrantur § 4.

9) Dissertatio philosophica *de idearum diuisione respectu relationis eiusque usu*, quam - placidae disquisitioni offerunt Andr. Gvst. Rhodin Phil. Mag. Doc. & respondens stipendiarius regius Magnvs Carlmarck, Vestro-Gothi. a. d. 22. Iun. 1752. 3½ pl.

Idea est repraesentatio cuiuslibet rei a spiritu facta & cum apperceptione seu conscientia coniuncta. §. 1. *Relatio* est mutuus duorum vel plurium respectus, vel affectio, vi cuius plures res se inuicem respiciunt, vt vna absque altera intelligi nequeat. Diuiditur illa in relationem *verbalem*, *rationis & realem*. §. 2. Ideae possunt distingui ratione originis, formae, obiectorum & relationis mutuae. §. 3. *Relatio idearum* est earundem conuenientia vel disconuenientia. *Conueniunt* ideae, quando earum vna in et sub altera continetur, *disconueniunt*, quando contraria ratione se ha-

L bent.

bent. Conuenientes diuiduntur in *reciprocas*, *subordinatas* & *coordinatas*. §. 4. 5. Vsus cognitae idearum relationis in singulas Logicae partes diffunditur. §. 6. 7. 8.

10) Dissertatio gradualis de *caussa restaurationis euangelicae religionis sub Gustavo I.* quam - sub praesidio Dni SUEN BRING Hist. Prof. reg. & ord. publico iudicio subiicit PETRUS E. WESTRING, Strengnesia-Sudermannus. d. 11. Aug. 1752. 2 pl.

Rationem susceptae a GUSTAVO I. sacrorum in Suecia emendationis Pontificii a regis auaritia repetunt. Persuasum enim ipsi esse contenditMAIMBOVRGIVS, bonis, quae clerus possideret, posse partim regios reditus, partim magnatum opes augeri. §.I. Per libros LVTHERI a mercatoribus Holmiam allatis prima euang. religionis semina in Suecia iacta sunt. Auxit haec initia OLAI PETRI industria, qui Strengnesiæ LVTHERI dogmata defendit, primarium ibi aduersarium nactus Doctorem NICOLAVM Strengnesiae Decanum. §. 2. Inscio haec omnia GVSTAVO gesta sunt. At iacta semina ipse mirifica fouit diligentia. Quod initio an eum potissimum in finem fecerit, vt bonis ecclesiasticis sua augeret, Deo soli notum est. Patet tamen ex rationibus, Capitulo Vpsaliensi a rege propositis, eum horum bonorum vindicias molientem

tem

tem non praecise ex Lutheri concionibus, sed e iure publico vniuersali argumenta petiisse. §. 3. Adduntur alia argumenta, quae regem multo grauiora animo agitasse & de instauranda veritate fuisse sollicitum, euincunt. §. 4. Refutatur WASTOVIUS, qui in Suecia complures religioni Lutheranae subscribere recusantes, poenis variis esse affectos conuiciatur. §. 5. Laudatur DAN. GERDESIUS, qui Gustauum, in hist. reformat. Tom. III. p. 337. inclytum religionis emendatae statorem vocat, eumque immortalem sibi pietatis, iustitiae, prudentiae & animi magnitudinis gloriam peperisse iudicat. §. 6.

11) Dissertatio catechetico theologica de *Gradibus gratiae in Christo datae speciatim*, quam nutu & auctoritate reuerendiss. Scaniae & Blekingiae episcopi, nec non Academiae Carolinae Procancellarii eminentissimi, Dom. *D. Io Engeström*, in synodo anniuersaria Lundensi d. 22. & 23. Sept. publico examini submittit *Ake Engeström* Praep. & Past. Coroniensis, defensorias partes secum sustinentibus viris admodum reu. & clariss. Dn. *Mich. Tengwall*, Mag. *Io. Iac. Eurenius* & Mag. *Eilert Frost*, Pastoribus. 11 pl.

Prolegomena ipsam rem tractandam definiunt. Loquitur auctor de beneuolo illo Dei erga homines lapsos affectu, a merito Christi repetendo, quatenus per certas species, actus vel gradus in hominis salutem progreditur. *Tractatio* ipsa 4 quaestionibus constat. *Prima: an dentur gradus gratiae in Christo datae?* affirmatur. Agit Deus in conuertendo & saluando peccatore pedetentim, ita vt ex vno actu transeat in alterum. Ad probandam thesin praeter alia loca adfertur dictum Io. I. 16. vbi per χαριν ἀντι χαριτος intelligit auctor vnam gratiam post alteram. *Altera* quaestio est: *quot sunt gradus gratiae in C. datae & quinam?* Quatuor ab auctore constituuntur, scilicet vocans, illuminans, sanctificans & conseruans. *Tertia* quaestio ita sese habet; *quae est singulorum graduum*

gratiae indoles & natura? Agitur hic 1. de *vocatione*, eiusque termino ad quem, causa organica & obiecto. Refutantur, tum qui legem & f. coenam vocationis mediis accensent, tum qui eius vniuersalitatem impugnant, Deumque serio hic agere negant, tum termini peremtorii defensores. 2. de *illuminatione*, conuersionem & regenerationem sub se continente. Sunt eius terminus a quo tenebrae; medium non ratio, nec lumen internum, sed Scriptura s. & baptismus; causa ministerialis minister etiam impius; subiectum denominationis interdum irregenitus; effectus notitia & fides per charitatem operans. 3. de *sanctificatione*, quae iustificationem & renouationem complectitur. Refelluntur Sociniani, imputationem sanctitatis Christi reiicientes, Fanatici, tres homini partes tribuentes, G. ARNOLDVS & alii, perfectae sanctitatis in hac vita obtinendae possibilitatem asserentes. 4. de *conseruatione*, cuius ostenduntur necessitas, causa efficiens, media & finis. *Quarta* quaestio *in ordinem, quo gradus gratiae in Christo datae se inuicem sequuntur*, inquirit. Defenditur ordo supra constitutus, aduersus Herrnhuthianos, Mysticos aliosque. Hunc Deus in quolibet homine saluando obseruat, etiam in latrone cruci affixo obseruauit. *Quinta* quaestio versatur circa *officia tum ministrorum verbi diuini, tum Christianorum in genere circa gradus gratiae in Christo datae.* Illa continentur Act. XX. 28. Matth. VII. 6. 1 Petr. V. 2. 3. Hebr. V. 12. Gal. VI. 1. 1 Tim. V. 20. & alibi; haec 1 Cor. XII. 31. 1 Petr. II. 9. 2 Petr. I. 10. Eph. IV. 1. 1 Io. I. 6. Rom. XIII. 12. 2 Cor. V. 20. Hebr. IV. 16. Tit. II. 12. & pluribus aliis locis.



I. Index

I. Index locorum biblicorum data opera illuſtratorum.



II. Index
rerum, auctorum & vocum.

Brenn-

Pie-

Sher-

Wachterus refut. III. 1.
Winckler... Sabbathismo. II. 194.

Corrigenda.

Vol. III. p. 17. lin. 6. indignam. p. 25. lin. penult. notatam. lin. vlt. vide, Mus. *Vol. IV.* p. 40. lin. 2. Hiob. *XXII.* p. 66. lin. vlt. CASP. ERN.

FINIS.

